Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library

THEOLOGIAE MORALIS

ELEMENTA

EX

S. THOMA

ALIISQUE PROBATIS DOCTORIBUS

TOUS DROITS RÉSERVÉS

THEOLOGIAE MORALIS

ELEMENTA

EX

S. THOMA

ALIISQUE PROBATIS DOCTORIBUS

COLLEGIT ORDINEQUE DISPOSUIT

A. J. J. F. HAINE

SANCTITATIS SUAE PRAELATUS DOMESTICUS,
ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON.,
IN UNIV. CATH. LOVAN. S. THEOLOGIAE DOCTOR,
PONT. INS. « *Pro Ecclesia et Pontifice* » DECOR.,
ROM. ACAD. RELIG. CATH. SOCIUS,
S. FAC. THEOL. PROP. ORD. HON.

#4129

250.8
H152

TOM. IV

EDITIO QUARTA

THEOLOGICAL
LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
NO. 26,454

FRANCISCAN
CONVENT
SANTA BARBARA, CAL.

LOVANII

Edidit CAROLUS FONTEYN, Bibliopola

VIA DICTA MARENGO, 18

ROMAE

APUD DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. EDITORES PONTIFICES

Via S. Chiara, 20-21

1900

Imprimatur

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap.

Magister

LOVANII, TYPOGRAPHIA E. CHARPENTIER

DE MATRIMONIO.

PRAEAMBULUM. Postremum e Sacramentis omnibus est MATRIMONIUM, quod, sicut ORDO, ut supra (tom. III, p. 440 seq.) dictum fuit, a Deo institutum est ad perficiendum hominem *in ordine ad totam communitatem*, scilicet ad ipsius humanae societatis constitutionem et conservationem per generationem prolis ad Dei cultum et honorem educandae. — Quamvis autem, ut monet CATH. ROM., ex Apostolo (I COR. VII, 7) Christianis maxime optandum esset, ut omnes continentiae virtutem sectarentur, quia tamen non datur omnibus carnis rebellionem coelibatu refricare, et aliunde MATRIMONIUM magnis et divinis bonis ornatum est, satis apparet, ejus doctrinam tradendam esse, ut omnes quoque intelligant, quanta et quam multa commoda ad Christianam societatem pervenire possint, si fideles MATRIMONII sanctitatem cognitam habeant et inviolatam servent; contra vero, ea ignorata, vel neglecta, plurimas maximasque calamitates et detrimenta in Ecclesiam importari.

Porro ut gravissimas, ipsoque D. AUG. judice (lib. 1 *de conj. adul.*), *implicatissimas* quaestiones de conjugiis cum methodo pertractemus, totam hujusce tractatus materiam in **quatuor partes** dividemus, quibus additur *Appendix*.

Prima pars erit de *Sponsalibus* et *Bannorum proclamationibus*, exemplo ducto a GREG. IX, qui in IV *Decretalium*, ubi de MATRIMONIO sermo est, a *sponsalibus*, quae viam ducunt ad conjugia, sumpsit exordium. — **Secunda** pars aget de *matrimonio naturali* et *sacramentali*. **Tertia** pars tractabit de *impedimentis*, de *dispensationibus* et matrimonii *revalidatione*. **Quarta** denique dicet de *usu* et *debito conjugali*. Addetur **Appendix** de *juris civilis solemniis non omittendis*.

PARS PRIMA.

DE SPONSALIBUS ET BANNORUM PROCLAMATIONIBUS.

CAP. 1. De quidditate et divisione sponsalium.

Q. 1. Dic : 1°) *undenam* sit, et 2°) *quotupliciter* sumatur VOX SPONSALIA?

R. Ad 1^{um}) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 43, a. 1) Sponsalia dicuntur a *spondendo*.

Explanatur. Ratio est : quia, ut notatur (l. 2 et 3 ff. *de spons.*), « *moris fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras : unde* SPONSI SPONSAE*que appellatio nata est.* » In SS. LL. (GEN. XXIV) manifestum exstat exemplum de sponsalibus inter REBECCAM et ISAACUM celebratis.

R. Ad 2^um^) *Tripliciter* sumitur haec vox.

Explanatur. Sumitur : 1°) **Improprie** seu **latissime,** pro muneribus a sponso sponsae et vicissim oblatis; et ita sumitur (1 REG. XVIII, 25) : « *Non habet rex sponsalia necesse.* » 2°) **Late,** pro matrimonio rato, i. e. valide inito, sed nondum per copulam consummato; quo sensu B. V. dicitur (MATTH. I, 18) « *desponsata Joseph* » : quia, ex S. THOM. (*loc. cit.* ad 6), sicut qui init sponsalia proprie dicta spondet matrimonium, ita qui init matrimonium, spondet ordinarie actum matrimonii. 3°) **Stricte** ac **proprie,** pro contractu bilaterali, quo vir et mulier sibi invicem matrimonium in futurum spondent; quo sensu sponsalia sunt veluti *via* et *praeambulum* ad matrimonium, seu, ut loquitur S. THOM. (*ibid.*), « *sunt quaedam* SACRAMENTALIA *matrimonii, sicut* EXORCISMUS *baptismi,* » et dici solent cum addito : *sponsalia de futuro,* cum fiant per verba de futuro : *ducam te, nubam tibi;* ad distinctionem matrimonii rati, quod *sponsalia de praesenti* nuncupatur, cum fiat per verba de praesenti : *accipio te in uxorem, in maritum.*

Q. 2. *Quare* matrimonio SPONSALIA soleant *praemitti?*

R. Hisce praecipue *quatuor* de causis.

Explanatur. Causae sunt : 1°) ut matrimonium maturiori consilio ineatur; 2°) ut sponsi tempore intermedio melius se praeparent ad gratiam sacramenti; 3°) ut cognoscatur, an aliquod adsit impedimentum; 4°) ad augendam nupturientium amicitiam, dicente S. AUG., uti notatur (in cap. 39, caus. XXVII, q. 2) : « *Institutum est, ut jam pactae sponsae non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit sponsus dilatam.* » Interim nulla exstat generalis lex aut consuetudo de sponsalibus matrimonio praemittendis; unde nec eorum mentionem facit RIT. ROM., ut adeo, sponsalibus omissis, non propterea matrimonium *invalide* aut etiam

per se *illicite* celebretur. Dico : *per se ;* nam observanda sunt statuta particularia, quae vigent in loco, ubi nuptiae sunt celebrandae.

Scholion. Non potest episcopus legem edere, quae normam praescribat ineundi sponsalia, quoad eorum validitatem, a jure communi alienam. Constat ex S.C.C.(8 Jul. 1865 et 23 Mart. 1878). Multo minus potest episcopus irritare matrimonia contrahenda sine praemissis denuntiationibus, auferendo ad hunc effectum jurisdictionem a parocho. Constat ex S.C.C. ap. Lug. (*Resp. Mor.* lib. I, dub. 45).

Q. 3. *Quomodo* SPONSALIA de futuro *definiantur?*

R. Ex S. Th. (*Sup.* q. 43, a. 1), ex jure et communi sententia, recte definiuntur: «*futurarum nuptiarum mutua promissio.*

Explanatur. Huic definitioni concordat, quae habetur in Jure Rom. (leg. 1 ff. *de spon.*) : « *Mentio* (i. e. promissio) *et repromissio futurarum nuptiarum.* » — Dicitur : 1°) **futurarum nuptiarum** ; quibus verbis exprimitur objectum contractus sponsalitii, scilicet matrimonium suo tempore contrahendum. — Dicitur : 2°) **promissio** ; unde non sufficit intentio, desiderium aut propositum, licet exterius manifestatum, cum nullam obligationem imponat ; sed omnia ad veram promissionem necessaria requiruntur. — Dicitur : 3°) **mutua,** i. e. *reciproca* seu *utrimque data* et *acceptata* promissio. Nam sponsalia constituunt contractum bilateralem (tom. II, pag. 180) ; et sicut non subsistit matrimonium sine mutua corporum traditione, sic nec sponsalia sine mutua promissione futurae hujus traditionis. Quare tritum illud proverbium : « *sponsalia claudicare non posse ;* » obligant enim utramque partem, vel non sunt sponsalia. Hinc si Titius promittat nuptias Cajae, quin haec repromittat, licet nuptiae acceptentur, non tamen Titius obligatur vi *sponsalium*, quae hic nulla sunt ; et nequidem, *saltem ordinarie loquendo*, vi *simplicis promissionis*, cum regulariter in praesenti negotio una pars non censeatur se velle obligare independenter ab alia : quia quisque censetur velle contractum inire juxta naturam illius. Dixi : **ordinarie loquendo** ; nam si quis, absque animo contrahendi sponsalia, ex mera liberalitate promitteret matrimonium alteri, illud acceptanti, ut si quis a naufragio ereptus in grati animi signum diceret liberatori suo : *filiam hanc tuam ducam uxorem ;* aut foeminae, ob servitia in gravi infirmitate praestita, gratiose

promitteret, se eam ducturum, dum convalesceret; tenetur, si ipsa voluerit, eam ducere, non vi sponsalium, sed vi simplicis promissionis acceptatae. Quae obligatio, ex S. Lig. (VI, 837) probabiliter gravis non est. In dubio autem nemo censetur promittere liberaliter, sed tantum sub conditione repromissionis : quia sic plerumque accidit, et « *ex communiter contingentibus prudens est praesumptio.* »

Q. 4. *Quaenam* requirantur *conditiones* ad vera SPONSALIA?

R. Ut sequitur ex dictis de *Contractibus* (t. II, p. 188 seqq.), ad vera sponsalia requiritur, ut futurarum nuptiarum mutua promissio sit : 1°) *vera*; 2°) *deliberata*; 3°) *signo sensibili expressa*; 4°) inter personas *determinatas* et 5°) *jure habiles*.

Explanatur. Dicitur : **1°) vera,** i. e. seria, non jocosa, non simulata; alias deesset consensus internus sive animus sese obligandi ad matrimonium. Hinc jocose aut ficte promittens matrimonium, ad illud contrahendum non tenetur in conscientia, licet ad id possit adigi in foro externo, si fictionem probare nequeat, juxta regulam juris : « *Nemo dixisse existimatur, quod non mente cogitaverit* » (tom. II, pag. 188). Juxta multos, quos inter S. Lig. (III, 642), si ficte promittens, per eam promissionem virginem defloraverit, regulariter tenetur eam ducere, nec satisfacit constituendo dotem, « *quia aliud pro alio invito creditore solvi non potest;* » sed non immerito contradicunt alii asserentes, quod in tali casu sufficiat, ut damnum illatum alio modo reparetur (tom. II, p. 163 seq.).

Dicitur : **2°) deliberata,** i. e. facta cum ea *saltem* advertentia et libertate quae sufficiat ad peccatum mortale : quia per sponsalia gravis assumitur obligatio et quasi alienatur propria libertas quod nemo censetur velle facere, nisi omnino deliberate, i. e. perfecte sciens et plene volens. Quare semi-deliberata sponsalia nequidem sub levi obligant (tom. II, p. 189). Cave tamen, ne *deliberationem* cum *maturitate consilii* confundas : multa enim deliberate fiunt, quae nec prudenter nec sapienter acta, praesertim in hoc negotio, quoniam « *amor coecus est,* » et, ut dicebant veteres, « *amare et sapere vix Jovi conceditur.* » — Dixi : *saltem;* quia ad peccatum mortale sufficit voluntarium *indirectum*, non sic ad sponsalia; et ideo invalida sunt sponsalia contracta ab ebrio perfecto, etsi praeviderit, se in ebrietate nuptias promissurum, aut dum sanae mentis erat, formalem ha-

buisset intentionem contrahendi sponsalia cum determinata persona, et postmodum in ebrietate eidem personae repromittenti matrimonium promitteret. Intentio enim antecedens, cum actuali promissione careat, non habet vim constituendi sponsalia : promissio vero consequens, cum desit deliberatio, est prorsus nulla. — Ex dictis **sequitur,** non valere sponsalia *infantium* inita ante usum rationis ; neque *amentium*, si excipiantur quae fiunt lucidis in intervallis; neque contracta ex *dolo* aut *errore* tum circa *naturam* sponsalium, tum circa *personam* quacum contrahitur, tum circa *qualitatem* redundantem in ipsam personam (tom. II, p. 187).

Dicitur : 3°) **signo sensibili expressa**; alias non potest utrimque innotescere promissio, nec proinde utrimque dari et acceptari. Quare si puella et adolescens sibi obviam facti ita mente conspirent, ut illa apud se dicat : *te sponsum ;* ille vero : *te sponsam volo*, non propterea sponsi fiunt, nisi postquam consensum internum sibi invicem manifestaverint. Sufficit autem signum qualecumque, sive dictum, scriptum, factum, quo per se vel saltem ex consuetudine recepta aut intentione contrahentium vera et reciproca futuri matrimonii exprimatur promissio. Unde porrectio manuum, datio arrhae vel annuli, si consuetudo patriae talia habeat ut signa consensus et promissionis, sufficere possunt, maxime si praecesserint tractatus de nuptiis. — Sola **taciturnitas** non est signum sufficiens consensus. Excipe, pro *foro externo*, quando parentes sponsalia contrahunt pro liberis suis, si hi *praesentes* et, quid agatur scientes, non contradicant, aut *absentes* postea factum saltem tacite, non reclamando, ratificaverint (tom. I, p. 12). Tunc enim jus accipit silentium pro manifestatione consensus : tum quia parentes prolibus suis recte consulere praesumuntur; tum quia loqui et mentem suam explicare tenentur liberi, si dissentiant, ne parentum acta videantur contemnere. Pro foro tamen *interno*, in quo praesumptio cedit veritati, si filii quidem taceant ob metum reverentialem vel aliam ob causam, interiori autem animo reipsa dissentiant, aut etiam sese mere negative habeant, sponsalia revera nulla sunt. Imo nec valebunt in foro *externo*, si suum dissensum probent per conjecturas aliasve praesumptiones, aut in harum defectu per juramentum. Ceterum signa seu verba debent esse *de futuro*, non vero *de praesenti :* alias non promissionem, sed ipsum matrimonium ex-

primerent. **Hinc** vim sponsalium non habent, neque impedimentum *publicae honestatis* pariunt : **A**) *matrimonium clandestinum*, ut saepe declaravit S. C. C. ; **B**) *matrimonium civile*, ut constat ex decreto ejusdem S. C. C., a Leone XIII (17 Mart. 1879) approbato.

Dicitur : **4°) inter personas determinatas**; sicut enim matrimonium est contractus unius cum una determinata persona, ita pariter ejus praeambulum. Quare sponsalia non forent, si quis duabus simul, promissionem acceptantibus et repromittentibus, promitteret, se unam ex illis forte ducturum. Vix autem facta electione, sponsalia perficiuntur.

Dicitur : **5°) et jure habiles**, i. e. habentes aetatem a jure requisitam, et inter quas matrimonium aliquando valide et licite consistere potest, pro eo scilicet tempore quo sponsalium obligatio est adimplenda. **Hinc A) inhabiles** sunt *septennio minores*. Jus enim canonicum requirit septennium completum et quidem ad diem et horam, etsi prius habeatur usus rationis sufficiens, ut conficitur ex Cap. *Litteras*, *4*, et Cap. *Accessit*, *5*, *De desponsatione impuberum*, in quibus sponsalia ante septennium contracta absque ulla exceptione declarantur invalida; neque ulla probatur ratione, illas leges ad forum externum esse restringendas. Contra, sponsalia post septennium contracta, sed ante pubertatem, supposito usu rationis sufficiente, sunt quidem valida, sed non sunt firma, etiamsi juramento fuerint confirmata. Impuberes enim, postquam pervenerint ad pubertatem, ex privilegio juris resilire possunt, etiam altera parte invita, modo **a**) *statim*, i. e. intra triduum post adeptam privilegii cognitionem reclament, et modo **b**) inter eos non intervenerit *copula carnalis*.—Ceterum *regulariter non sunt* admittendi ad sponsalia, nisi qui intra sex hebdomadas sunt contracturi matrimonium, ut Ritualia passim praescribunt. **Hinc B) inhabiles** sunt, qui laborant *impedimento* matrimonii *perpetuo*, i. e. tali quod de se semper durat, sive *dirimente*, sive *impediente* tantum, et modo absoluto sponsalia contraherent : ad actum enim invalidum aut illicitum nequit dari obligatio. — Dixi : *modo absolute ;* si enim impedimentum, licet de se perpetuum, equidem amovibile foret aut auferri posset, sive per propriam contrahentium voluntatem, sive per dispensationem, et mutua promissio fieret sub conditione : sive amovendi impedimentum,

sive petendi dispensationem, tunc verificata conditione, et non antea, sponsalia perficerentur. Quare si fidelis promittat matrimonium infideli, apposita conditione : *si convertatur*; simul ac pars infidelis susceptione baptismi Ecclesiam fuerit ingressa, valebunt sponsalia, quippe sublato impedimento *disparitatis cultus*, matrimonium valide contrahi potest. Similiter, si catholicus nuptias spondeat haereticae sub conditione *futurae conversionis*, hac conditione adimpleta, valebunt sponsalia, cum sublato impedimento impediente *mixtae religionis* matrimonium licite iniri valeat. Item, si consanguinei in gradu, in quo dispensari solet, sibi invicem matrimonium promitterent sub conditione : *si Papa dispensaverit*, simulque adesset justa causa dispensationem petendi, tunc quidem, obtenta dispensatione, sponsalia valebunt, siquidem matrimonium absque impedimento dirimente *cognationis* ac proinde valide contrahi poterit. De hac conditione ulterius postea.—**Contra C) habiles** sunt, qui laborant impedimento sive dirimente, sive impediente, *temporali* tantum, et promissionem suam referunt ad tempus quo fuerit legitime sublatum : quia matrimonium in casu suo tempore valide ac licite iniri poterit. Quare *tempore clauso*, etsi illicite contraheretur matrimonium, valida tamen forent sponsalia, quia intelligitur promissio de matrimonio ineundo post tempus clausum. Sic quoque valent sponsalia cum *voto castitatis servandae ad tempus*, v. g. ad biennium, si contrahentes promissionem suam referunt ad tempus quo fuerit sublatum. Item subsistunt sponsalia inter impuberes septennio majores, quia impedimentum *aetatis* tempore cessat et promissio per se refertur ad tempus quo impedimentum sit sublatum. Ast nihil valet promissio facta a viro conjugato de matrimonio post mortem uxoris suae ineundo : quia impedimentum *ligaminis*, quamvis obitu compartis cesset, censetur tamen perpetuum propter perpetuitatem vinculi conjugalis. Praeterea hujusmodi promissio est omni jure nulla, quia turpis est et contra bonos mores, ansamque praebet captandi mortem conjugis.

Q. 5. *An* valeant SPONSALIA ex *metu* inita?

R. *Probabilius* invalida sunt, etiam ipso jure naturae, sponsalia contracta ex metu gravi injuste incusso in ordine ad extorquendum consensum.

Explanatur. Ratio est : non quod metus etiam gravis per se

advertentiam rationis et voluntatem, atque adeo deliberationem perimat; sed ideo : tum quia implicat ex causa totaliter injusta jus aliquod acquiri alicui posse; tum quia nequit dari obligatio ad actum invalidum aut illicitum. Atqui matrimonium ex ejusmodi sponsalibus contrahendum foret actus invalidus, quippe contraheretur cum impedimento *vis* dirimente. Nec juvat sponsalium dissolubilitas : quia adhuc valor illorum nocet innocenti, cum per dissolutionem non tollatur impedimentum publicae honestatis. Cui sententiae favet Cap. *Ex litteris*, XI, *De desponsat. impuberum*.— Dixi : 1°) **ex metu gravi**; si enim fuerit *levis*, tunc, juxta S. Lig. (VI.844) et alios, sponsalia forent *valida*, cum in re morali parum pro nihilo reputetur; sed *rescindibilia* ex parte illius qui metum passus est; juxta alios vero, et forte probabilius, essent *invalida*, cum equidem in casu matrimonium cum injuria, ac proinde illicite contraheretur. Atque magna, ut patet, inter utramque sententiam intercedit differentia, siquidem juxta priorem publicae honestatis impedimentum exsurgeret, juxta posteriorem vero nequaquam. Cui sententiae, cum sua negari non possit probabilitas, hinc probabile omnino erit, nullum impedimentum ex eo contractu oriri, atque adeo valide ac licite matrimonium contrahi ex regula generali quam in casu *dubii impedimenti*, jure ecclesiastico inducti, ex communi DD. tradi postea videbimus. — Dixi : 2°) **injuste incusso**; nam valebunt sponsalia contracta ex metu gravi juste incusso etiam in ordine ad extorquendum consensum, ut si juvenis gravi denuntiationis metu promittat matrimonium virgini quam vi oppressit. — Dixi : 3°) **in ordine ad extorquendum consensum**; si enim metus alio fine inculeretur, sponsalia juxta alios forent *valida*, sed rescindibilia ad nutum illius qui metum passus est, ut si puella incidens in manus latronis nuptias promittat juveni adventanti, si eam liberet; *invalida*, vero juxta illos, qui putant matrimonium ex tali metu initum non valere. Et quoniam haec sententia probabilis est, impedimentum publicae honestatis in casu fit dubium ac proinde nullum.

Q. 6. Valeantne SPONSALIA inita *invitis* vel *inconsultis parentibus?*

R. *Affirmative* per se.

Explanatur. Ratio est ex S. Thom. (2. 2. q. 104, a. 5; *Suppl.*

q. 47, a. 6) : quia liberi in eligendo statu vitae sui juris sunt, nec a parentibus *per se loquendo* impediri possunt. — Dico : *per se loquendo;* nam justissimis quandoque de causis parentes suum assensum denegant, ut si tale matrimonium vergeret in magnum dedecus honestae familiae, quippe v. g. indigna fuerit electa; quo casu sponsalia *per se* forent etiam invalida, non quidem propter defectum parentum consensus, qui sicuti ad validitatem matrimonii (quod est de fide a Trid. definitum), ita nec ad validitatem sponsalium requiritur; sed ideo, quia in casu, quum matrimonium saltem ordinarie licite contrahi non posset, nequit dari obligatio ad actum illicitum. Dixi : *per se;* nam per accidens fieri potest, ut matrimonium licite possit contrahi, si nempe justa detur causa ut ineatur, ut si juvenis non posset ab eo abstinere nisi cum gravi suo incommodo. Ceterum, hujusmodi sponsalia plerumque sunt *illicita* : quia pietas et reverentia parentibus debita exigit, ut filii in re tam ardua ab iis saltem consilium exquirant.

Q. 7. In quibus sponsalia *de futuro* DIFFERANT a sponsalibus *de praesenti?*

R. Praeter alia in his sequentibus differunt.

Explanatur. 1°) Quod sponsalia *de futuro* multis modis solvi queant; sponsalia vero *de praesenti* non nisi duobus, nimirum professione religiosa et dispensatione apostolica. 2°) Quod in dubio de valore contractus, ubi, facto examine, id vinci nequit, in utroque foro potius contra sponsalia *de futuro* quam pro illis standum sit : tum ne quis forte patiatur injuriam per spoliationem libertatis quam posssidet; tum quia coacta matrimonia solent funestos et tristes habere exitus. Contra, ubi dubitatur de valore sponsalium *de praesenti*, non pro libertate sed pro matrimonio in utroque foro standum est, ob periculum ne forte homo separet quod Deus conjunxit; ex quo, praeter injuriam sacramento illatam, gravissima orirentur incommoda, praesertim si proles ex matrimonio fuisset suscepta.

Q. 8. *Quomodo* DIVIDANTUR sponsalia *de futuro?*

R. Dividuntur in quatuor classes.

Explanatur. 1°) In **ecclesiastica** seu *solemnia*, et in **civilia** seu *privata*. **Priora** sunt, quae in facie Ecclesiae seu coram

parocho aut alio sacerdote legitime deputato et duobus vel tribus testibus celebrantur; **posteriora** vero, quae sine praesentia parochi ineuntur; et ea quidem pressius vocantur *clandestina*, si oretenus tantum fiant, nullis adhibitis testibus nullaque scriptura, ita ut in foro externo nullatenus probari queant. Vocantur autem *non clandestina*, si in foro externo sive per testes, sive per scripturam probari possunt. Hujusmodi tamen sponsalia *privatim* contracta, etiam *clandestine*, non tantum sunt valida, sed etiam per se loquendo licita, quia nulla lege generali reperiuntur prohibita (pag. 3). Quod autem sponsalia *clandestina* sint valida, conficitur ex declaratione S. C. C. (19 Dec. 1596), in qua, teste Bened. XIV (*Inst.* XLVI, n. 12), legitur : « *S. Congregatio saepius declaravit sponsalibus per verba de futuro contrahendis nullam formam praescripsisse Concilium, ideoque eo modo contrahi posse, quo poterant ante ipsum Concilium.* » Atqui, ante Trid. sponsalia clandestina erant certe valida; ergo, de jure communi, et in praesenti. Dico : *de jure communi*, nam in Hispania non sunt valida, si absque publica *scriptura* contrahantur, obstante pragmatica Carolina, quae, legitimo jure consuetudinario, auctoritatem canonicae disciplinae et vim ecclesiasticae sanctionis sibi acquisivit, uti constat ex S. C. C. (31 Jan. 1880). — 2°) In **firma**, quae a neutro, et **infirma** seu *rescindibilia*, quae ab alterutro rescindi seu solvi queunt, qualia sunt sponsalia inita ab impubere septennio majori (pag. 6). — 3°) In **absoluta** et **conditionata**, prout absque ulla conditione fiunt aut cum ea. Sed haec divisio est improprie dicta. Quae enim dicuntur *conditionata*, vera sponsalia non fiunt, nisi postquam desierint esse conditionata, i. e. nisi postquam, adimpleta conditione, transierint in absoluta, ut adeo ex sponsalibus, ut dicitur, conditionatis, non exsurgat publicae honestatis impedimentum, quamdiu conditio non fuerit adimpleta. Interim tamen, i. e. pendente conditione, duplex in contrahentibus oritur obligatio : una *absoluta*, altera *hypothetica*. Prior seu *absoluta*, quae statim nascitur, consistit in exspectando fideliter conditionis eventum (si sit possibilis et honesta) : ad hoc enim saltem implicite se obligant quicumque sub conditione contrahunt, ita ut neuter possit pro libitu resilire aut malitiose impedire eventum conditionis. Imo, irrita forent alia sponsalia, quae durante conditione contra-

herentur, utpote facta contra fidem priorum : promissio enim de re injusta non obligat; ut si Petrus promittat nuptias Berthae, si centum aureos in dotem datura sit, et postea sub eadem conditione contrahat cum Barbara, quae statim illos affert. Posterior vero seu *hypothetica* est obligatio praestandi promissum seu contrahendi matrimonium in hypothesi quod conditio fuerit adimpleta. Hae enim adimpleta, promissio conditionata transit in absolutam, statimque sponsalia perficiuntur, idque sine novo consensu, cum antiquus censeatur habitualiter seu moraliter perseverare. — 4°) In **simplicia**, quibus nulla, et **non-simplicia**, quibus quaedam adjunguntur, quae in ipsa eorumve firmitatem influunt, ut si promissio fiat sub *juramento*, aut *conditio* aliqua adjiciatur, aut *poena* contra resilientem sit apposita, aut sponsalibus *arrha* addatur, vel *copula* inter sponsos superveniat.

CAP. 2. De adjunctis sponsalium, ubi de juramento, conditione apposita, poena aut arrha addita et copula superveniente.

Q. 9. *Quid* faciat JURAMENTUM adjectum?

R. *Sub distinctione*, juxta dicta de *juramento promissorio* quod contractui additur (tom. II, pag. 194 seq.).

Resolvitur 1. Juramentum additum sponsalibus **validis** et **firmis** ea firmat hoc sensu, quod naturali obligationi justitiae superaddat obligationem religionis, ut adeo non adimplens ea non solum injustus sed etiam perjurus sit habendus. Quia tamen juramentum, utpote accessorium, sequitur naturam omnesque involvit conditiones ac limitationes quas ipse contractus involvit; si contingat causa ob quam sponsalia non jurata postea fiant solubilia, etiam dissolubilia sunt jurata. Sic solvi possunt sponsalia jurata, si alter alterius fidem sponte remittat, quia quaelibet promissio hanc conditionem imbibit : « *si is, cui fit promissio, acceptet vel non remittat;* » aut aliam : « *nisi is, in cujus gratiam et utilitatem promissio fit, obligationem remittat.* » Item solvi possunt, si notabilis superveniat mutatio, ut si sponsa labatur in fornicationem cum altero, quippe in omni promissione tacite subintelligitur conditio : « *dummodo res in eodem statu permanent.* » Similiter qui

sponsalia jurata fecit, libere poterit, etiam invita comparte, religionem ingredi, quia contractui sponsalitio, imo et ipse matrimonio rato, ex speciali juris dispositione inest conditio : «*nisi statum religiosum elegerim.*» **Resol. 2.** Juramentum adjectum sponsalibus **invalidis** nec valet, nec firmat ea, sive invalida sint quia matrimonium inter contrahentes esset irritum aut illicitum, cum juramentum non possit esse vinculum iniquitatis ; sive illa irrita sint ob defectum consensus, ut si erretur circa substantiam, quia jurans non intendit jurare de re circa quam non consentit. **Resol. 3.** Juramentum additum sponsalibus **validis** quidem sed **rescindibilibus**, non firmat ea, sed relinquit ea rescindibilia, cum utpote accessorium naturam contractus non immutet. Quia tamen juramentum servandum est, quoties sine peccato servari potest, dicente Alex. III (cap. *Si vero aliquis*, de jurejur. lib. 2 Decret.) : «*Quod non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae,*» ideo jurans in casu tenetur juxta *communiorem* sententiam servare sponsalia usque dum obtenta fuerit juramenti relaxatio sive a comparte, sive, si nolit, a superiore ecclesiastico.

Q. 10. *Quid* faciat conditio sponsalibus adjecta?

R. *Sub distinctione* juxta dicta de *Contr.* (t. II, p. 198 seqq.).

Resolvitur 1. Conditiones, ut vocant **imbibitae,** seu quae omni contractu continentur, v. g. *si vixerimus, si Deus voluerit ;* vel quae sponsalibus **intrinsecae** sunt, veluti : *si non exsistat inter nos impedimentum, si statum religiosum non elegerim, si non superveniat notabilis mutatio,* vim conditionum non habent, quia non suspendunt sponsalia. **Resol. 2.** Conditiones **de praeterito** seu **de praesenti,** v. g. *si semper caste vixeris, si pater tuus mortuus est, si sis virgo, si sis legitima seu nobilis,* sponsalia non suspendunt, sed ea vel statim perficiunt, si sint verae ; vel inficiunt, si sint falsae. Ratio : quia sponsalia dependent a voluntate contrahentium, adeoque si obligari velint dependenter a conditionis exsistentia, conditione exsistente, jam exsistit obligatio ; conditione deficiente, deficit obligatio. **Resol. 3.** Conditiones **de futuro necessario,** v. g. *si sol cras oriatur,* per se non suspendunt sponsalia, quia pro exsistentibus jam habentur, et ideo in foro externo censentur pro non adjectis. Per accidens tamen possent

suspendere sponsalia usque ad eventum, si contrahentes bona fide putarent eas esse contingentes, cum tunc ita intenderent. **Resol. 4.** Conditiones **de futuro contingenti et honesto,** quae nimirum sine peccato impleri possunt, valorem sponsalium suspendunt usque ad eventum. Ratio : quia sponsalia dependent a voluntate contrahentium ; voluntas autem in casu alligatur conditioni contingenti quae potest exsistere vel non exsistere, ac proinde voluntas et consequenter sponsalia suspenduntur quousque conditio ponatur, ita ut, si ponatur, sint valida sponsalia, si non ponatur, sint nulla. Interim duplex in contrahentibus oritur obligatio (p. 10 seq). **Resol. 5.** Si conditio sit **de futuro contingenti** sed **inhonesto,** quae nimirum non potest impleri sine peccato, videndum est cum S. Thom. (*Suppl.* q. 45, a. 1) : an **substantiae matrimonii repugnet,** an vero **simpliciter sit turpis.**—Si **primum** : quales sunt conditiones *repugnantes uni ex tribus bonis matrimonii*, ut si quis dicat : *Accipiam te, si venena sterilitatis procures*, quod esset contrarium bono *prolis ;* aut nuptias promitteret sub conditione fornicationis cum tertio committendae post matrimonium, quod repugnaret bono *fidei*, sponsalia sunt prorsus nulla, quum foret promissio de matrimonio invalido.—Si **secundum** : quales essent conditiones : *Accipiam te, si furtis meis consentias ; si velis mecum fornicari ; si sententiam injustam pronunties*, etc., multi probabiliter tenent sponsalia in **foro externo** ab initio esse valida, licet nefas sit implere conditionem : quia in celebratione matrimonii hujusmodi conditiones habentur pro non adjectis. Quod autem leges disponunt circa matrimonium, censetur quoque dispositum circa sponsalia, quippe quae ad matrimonium ordinantur. Quantum vero ad **forum internum** attinet, in hoc omnes conveniunt, quod promissio matrimonii sub conditione simpliciter turpi de futuro inita nullam inducat obligationem *ante* conditionis adimpletionem. Non enim obligat promittentem sive ad dandum promissum, quia non est impleta conditio ; sive ad exspectandum eventum conditionis, quia debet non poni ; neque obligat promissarium cui imponitur conditio, quia implicat aliquem obligari ad peccatum quod vitare tenetur. Dixi : *ante conditionis adimpletionem ;* nam ea adimpleta, num valeant sponsalia, DD. *disputant*. Duplex datur sententia. Communior *affirmat*. Alii probabiliter

negant cum Gousset juxta dicta (tom. II, pag. 200). Quare dubium manet, num sponsalia, quae juvenis init cum puella sub conditione quod secum fornicetur, impleta conditione, subsistant necne. **Resol. 6.** Conditiones **impossibiles,** sive de praesenti, v. g. *si sit mons sine valle*, sive de praeterito, v. g. *si Adam non sit mortuus*, sive de futuro, v. g. *si manu lunam tetigeris*, *si volaveris*, in foro *externo* sicuti non irritant matrimonium, ita probabiliter non irritant sponsalia et habentur pro non adjectis, cum connexorum idem debeat esse judicium. At in foro *interno* standum est intentioni quam contrahentes dicunt se habuisse, et ideo, si serio alligaverint suum consensum conditioni impossibili, sponsalia sunt nulla. **Resol. 7.** *Speciatim* loquendo de conditione : **si Pontifex dispensaverit,** certum est eam conditionem esse inhonestam et impossibilem, si agatur de impedimento in quo Pontifex non solet facile dispensare, et contrahentibus nulla suppetat aequa dispensationis obtinendae causa. Iis enim in circumstantiis conditio apposita in hanc resolveretur : *si Pontifex temere dispensaverit.* Jam vero inhonestum est praesumere, principem velle dispensare in legibus generalibus sine sufficienti ratione, idque a jure impossibile reputatur. Sin autem impedimentum ejus generis sit in quo Papa *facile* dispensat et contrahentibus subsit justa causa dispensationem petendi, utrum tunc praefata conditio sit nec ne inter impossibiles et inhonestas amandandas, inter DD. *disputatur.* Ap. N. R.T. (IV, 574 seqq.). — Prima sententia *affirmat :* tum quia ignominiosum videtur illud in pactum deducere quod pendet a principis potestate ; tum quia quae de jure fieri nequeunt, impossibilia censentur, etiamsi per dispensationem principis fieri queant. Et ideo quoque haec sententia sustinet, promissionem sub tali conditione initam esse omnino nullam ac proinde contrahentium utrique licere *ante* atque etiam *post* impetratam a Pontifice dispensationem, altero invito, resilire, nisi post dispensationem ipsam novus consensus ab antiquo distinctus eliciatur, ex quo tantum obligatio sponsalium exsurgeret. — Secunda vero sententia, quae a S. Lig. (VI, 843 et 859; — III, 650) *communior* et *probabilior* vocatur, cui et adhaeremus, tradit conditionem praecitatam iis in rerum circumstantiis nec impossibilem nec inhonestam reputari, ac proinde, ea pendente, oriri in contrahentibus obligationem praestandi aliquid pro obti-

nenda dispensatione et exspectandi dispensationis eventum; ea vero obtenta, conditionatam matrimonii promissionem transire in absolutam, fierique vera sponsalia, quin novus consensus accedat, simulque contrahi impedimentum publicae honestatis quod prius non erat, cum ante impletam conditionem nondum exstiterint sponsalia valida. Neque contra hanc sententiam gravissimorum DD. aliquid concludi potest ex variis quae afferuntur S. C. C. declarationibus. Hi enim DD. contendunt, sponsalia in praefatis adjunctis etiam sine novo consensu valere, postquam jam impleta fuerit conditio, i. e. quando jam sublatum per dispensationem sit impedimentum; contra vero S. C. C. definit non subsistere sponsalia, i. e. non valere, quando, ut patet ex casibus propositis, conditio nondum impleta fuerat neque per exsecutionem Apostolicarum Litterarum adhuc sublatum fuerat impedimentum, quo in casu nec S. Lig. nec alius unquam dixit sponsalia subsistere. **Resol. 8.** Si conditio adjecta de futuro non sit *suspensiva* consensus, sed **resolutoria,** ut si Titius miles sponsalia ineat cum Titia sub conditione quod si bellum indicetur ante nuptias, eo ipso sponsalia resolvantur; tunc sponsalia aequivalent absolutis, sed eorum obligatio resolvitur seu cessat, dum bellum indicitur ante nuptias.

Q. 11. *Quid* dicendum de POENA sponsalibus adjecta?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel poena est **positiva,** qua quis aliqua parte sui boni privatur, ut si inter sponsos conventum sit, quod a sponsalibus resiliens alteri decem aureos solvat. Vel est **negativa,** qua quis nihil de suo amittit, sed alienum minime lucratur, ut si adolescens promittat puellae centum aureos, si secum nubat, eos ipsi alias non daturus.

Si poena sit **positiva** : *subdistinguendum est.* Vel poena apponitur **generatim et sine discrimine,** ita ut quicumque resiliat, sive juste, sive injuste, ad poenam cogatur. Vel apponitur **speciatim,** i. e. cum limitatione ad solam eam partem quae injuste resiliat. — Si **primum**: poena est invalida et illicita quum laederetur matrimonii libertas. Quare si soluta sit, *probabilius* restituenda erit, etsi juramentum intercesserit, quod nequit esse vinculum iniquitatis. Sunt tamen qui *negant* : quia jura solam

promissionem irritant, non vero solutionem. — Si **secundum** : utrum tunc poena valide ac licite adjici possit, DD. *disputant*. Alii *negant* cum Sanchez, post S. Thom. (in IV Sent. dist. XXVII, q. II, a. 1 ad 4), S. Anton., S. Bonavent., ap. N. R. T. (XIII, 145 seq.) : quia in cap. *Gemma*, *29*, *de spons. et matrim.*, omnis poena in sponsalibus generatim reprobatur, ut constat ex ratione allegata : « *cum itaque libera matrimonia esse debeant,* » quae omnino generalis est. Alii, cum S. Lig. (VI, 853) *affirmant*, quia appositio poenae in casu nullo jure reprobatur. Non *jure naturae :* quatenus haec appositio ad actum per se honestum impellit et ex justitia debitum, scilicet ad fidem servandam. Non *jure canonico :* siquidem cap. *Gemma* loquatur de sponsalibus quae ob defectum aetatis a puella septennio minori contracta nullo modo valebant. Prima tamen sententia, teste S. Lig. (*ibid.*), « *satis probabilis est,* » et hoc plane sufficit, ne poena invito extorqueri possit. Imo, juxta Schmalz., « *videtur esse secura in praxi, ita, ut possit judex secundum illam procedere, et confessarius possit absolvere poenitentem, qui talem poenam non vult solvere.* » Ap. N. R. T. (XIII, 147).

Si poena sit **negativa** : iterum *subdistinguendum est*. Vel poena negativa seu amissio lucri proponitur **ab alterutro contrahentium,** ut si dicatur : *dabo ibi centum, si mecum contraxeris*. Vel proponitur **ab alio quam a comparte,** ut si quis dicat : *lego Titiae centum, si nubat Antonio.* — Si **primum** : *distinguendum* est inter **virum** et **mulierem**. Si fiat a **viro,** promissio per se de jure communi est invalida, quia praesumitur facta causa libidinis. Excipe, si vir sit ingnobilis et senex et mulier sit nobilis aut juvenis : quia promissio tunc juste fit in compensationem nobilitatis seu juventutis, et ideo dixi *per se*. Si vero fiat a **muliere,** valida est promissio, quia censetur fieri causa dotis. — Si **secundum** : promissio per se est valida, ita ut lucrum perdat qui non contrahit matrimonium, quia proprie hoc non est sponsalibus poenam apponere, sed specie lucri ad matrimonium allicere, quod honestum et bonum est ; nec laeditur matrimonii libertas, cum libere possit puella tales nuptias acceptare vel respuere. Dixi : *per se*. Nam invalida foret promissio in duobus casibus : 1°) Si poena apponeretur in legitima filiae debita *(réserve)* ; quia privatio legitimae haberet veram rationem poenae, quae non potest apponi. 2°) Si per eam

appositionem puella induceretur ad nubendum cum indigno, quippe foret conditio turpis ac proinde nulla stipulatio.

Q. 12 *Quid* 1°) sit ARRHA; 2°) *quomodo* DIFFERAT tum a *poena*, tum a *sponsalitia largitate* seu *jocalibus*; et 3°) *quid* JURIS sit circa *arrhas* et *jocalia?*

R. Ad 1um) *Arrha* est res quaedam pretio aestimabilis, mobilis vel immobilis, a sponsis vel eorum parentibus post contracta sponsalia sibi data quasi pignus in securitatem futuri matrimonii.

R. Ad 2um) *Arrha* differt : tum a *poena*, quod haec promittatur, illa vero actualiter tradatur ; tum a *sponsalitia largitate* seu *jocalibus*, quod haec sit donatio inter sponsos de futuro, facta in signum amoris, non in pignus futuri matrimonii.

R. Ad 3um) *Sub distinctione.*

Explanatur. Quod **arrhas** attinet, dicendum est : **1°**) Quamvis earum appositio non sit consulenda, *licite* tamen apponuntur. **2°**) Moribus multarum gentium receptum est, ut arrhae, secuto matrimonio, non reddantur. **3°**) Ubi vero non obstat consuetudo, ex antiquo jure statutum est : **A**) Secuto matrimonio, arrhae redeunt ad tradentem; traduntur enim quasi pignus, quod praestita satisfactione redit ad dantem. **B**) Si, qui arrhas dedit, juste resiliat a sponsalibus, eas sibi recuperat; si injuste, amittit. **C**) Si, qui arrhas accepit, injuste resiliat, in duplo debet arrham restituere, si sit major; quin imo, si ita conventum sit, in quadruplo, v. g. si accepit 50, debet reddere 200. **D**) Si minor annis 25 dedit arrham, resiliendo etiam citra legitimam causam non amittit, nec si accepit, tenetur ad duplum.

Quod vero **jocalia** attinet, dicendum est : **1°**) Si sequatur matrimonium, manent penes accipientem. **2°**) Si non sequatur sine alicujus culpa, per se loquendo debent restitui donanti. **3°**) Si ex culpa donantis non sequatur matrimonium, res donata manet penes accipientem; si vero ex culpa accipientis, redit per se loquendo ad dantem. — Bis dixi : *per se*; quia si munera parvi sint momenti respectu habito ad donantis conditionem et donans non reclamet, ea remittere censetur.

Q. 13. *Quid* faciat COPULA sponsalibus superveniens?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de locis **legi Tridentinae quoad clandestinitatem subjectis,** vel **non.** — Si **primum** : copula sponsalibus superveniens, ea in matrimonium convertere non potest, cum ibi matrimonia clandestina sint invalida. Equidem ea confirmat hoc sensu, quod major tunc oriatur obligatio contrahendi matrimonium : tum ob mulieris defloration em ; tum ob periculum relapsus; tum ad legitimandam prolem forte conceptam. — Si **secundum** : juxta **priscam legislationem**, vi juris decretalium (cap. *Is qui, 30, de spons. et matrim.* et cap. 6, *de condit. appositis)* per copulam subsequentem, si de ea constet, sponsalia sive absolute contracta, sive inita sub conditione honesta de futuro contingenti, **in foro externo** transibant in matrimonium. Idque SS. CANONES propterea decreverant, non quod natura matrimonii in conjunctione corporum sit sita, sed ideo quod cum matrimonia clandestina tunc temporis essent valida, Ecclesia praesumeret copulam carnalem inter sponsos ex animo conjugali habitam fuisse, adeoque sponsos per eam, veluti per signum sensibile, consensus interioris manifestativum, iniisse matrimonium, ne alias praesumere deberet delictum fornicationis. Et cum delictum hoc purgari non poterat per matrimonium stante conditione suspensiva valoris, hinc rursus Ecclesia praesumebat recessum esse a conditione et matrimonium absolute fuisse initum. — Dixi : **in foro externo**; nam *in foro interno* praesumptio cedere debet veritati, et ideo si sponsus non maritali affectu sed fornicario seu explendae libidinis causa sponsam suam cognovisset, in foro conscientiae seu coram Deo non adesset matrimonium, quia Papa non potest facere ut sine consensu expresso vel tacito sit verum matrimonium. Quia tamen in casu sponsus cogeretur in foro externo cum sponsa cohabitare, quod sane sine periculo peccandi fieri non potest, ideo quoque in conscientia obligaretur, ut eam in legitimam uxorem susciperet, etiamsi ex aliqua legitima causa eorum sponsalia fuissent dissoluta (S. C. *de P. F.*, 5 Mart. 1816; 17 Jan. 1821; 23 Jun. 1830).

Verum priscam hanc canonicam de conjugiis praesumptis disciplinam **abrogavit** LEO PP. XIII per Breve (15 Febr. 1892) ap. N. R. T. (XXIV, 121 seq.), in quo simul decrevit « *ne deinceps*

illis in locis in quibus conjugia clandestina pro validis habentur a quibusvis judicibus ecclesiasticis in quorum foro causae ejusmodi matrimoniales agitari et judicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex juris praescriptione conjugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur.» Additque Pontifex : « *Hujus tamen auctoritate decreti induci nolumus necessitatem formae Tridentinae servandae ad matrimonii validitatem, ubi illa forma modo non viget.* »

CAP. 3. De effectibus sponsalium.

Q. 14. *Quinam* sint EFFECTUS sponsalium?
R. *Tres* communiter assignantur.

Explanatur. 1°) *Per se* **gravis obligatio** *tum fidelitatis tum justitiae contrahendi matrimonium*, nisi eveniat causa resolutoria, et quidem *tempore determinato*, si quod determinatum sit, nisi graves rationes differendi superveniant, vel ambo in dilationem consentiant. Si vero nullum tempus fuerit praefixum, *quam primum* commode fieri potest, nisi ex circumstantiis prudenter colligere liceat, alteram partem dilationi consentire aut justa differendi causa exsistat. Quae obligatio urget non tantum in foro conscientiae, sed etiam in foro externo, ut adeo injuste resiliens cogi a judice possit ad matrimonium, etiam per censuras, quamquam hortationes prius praecedere debeant, et a coactione quoque abstinendum sit, si ex invitis nuptiis gravia oriunda sint mala. **Hinc A)** graviter peccat, qui sine legitima causa a sponsalibus resilit, vel eorum exsecutionem notabili tempore differt, dum pars eam serio urget. Imo, damna comparti forte illata resarcire debet, i. e. in quantum illius intererat, ut matrimonium contraheretur vel non tamdiu differretur. **Hinc B)** si sponsus aut sponsa, nondum dissolutis sponsalibus, cum alia persona sponsalia absoluta contrahat, haec posteriora sunt nulla, quia continent promissionem de re illicita, scilicet de matrimonio contra fidem priorum sponsalium contrahendo. Secus si fiant sub conditione resolutionis priorum.

2°) Impedimentum impediens *matrimonii*, prohibens scilicet quominus alteruter sponsorum, altero juste repugnante, matrimonium *licite* inire queat cum quacumque alia persona. Si tamen nup-

tias celebraret, *valet* matrimonium : tum quia juxta regulam juris «*res uni promissa illicite quidem sed valide traditur alteri;*» tum quia fortius est vinculum matrimonii quam sponsalium; jam vero «*si duo vincula disparis potentiae incompossibilia contrahuntur, fortius repellit minus forte.*» **Hinc** si quis, primis sponsalibus validis et adhuc integris, matrimonium init, etsi valide contrahat, graviter tamen peccat, quod in re gravi fidem frangit et injuriam alteri facit, qui jus ad matrimonium ineundum ratione sponsalium adeptus erat; quin imo tenetur reparare damna, si quae pars innocens passa est.

3°) **Impedimentum dirimens** *matrimonii*, quod vocatur *publicae honestatis*, invalidum reddens matrimonium cum mutuis consanguineis sponsorum in primo gradu utriusque lineae, ita ut, sine dispensatione, nunquam poterit sponsus valide inire matrimonium cum matre, filia aut sorore sponsae, nec sponsa cum patre, filio aut fratre sponsi. Oritur autem ex omnibus et solis sponsalibus proprie dictis, i. e. absolutis et validis, nec aufertur, etiamsi sponsalia mutuo consensu, vel morte unius vel alia ex causa dissolvantur **Hinc** si mutua fiat matrimonii promissio sub conditione honesta de futuro contingenti, non oritur impedimentum honestatis, nisi dum purificata conditione, conditionata promissio transeat in absolutam et vera fiant sponsalia. Unde si quis, pendente conditione, a fide resiliat, valide poterit contrahere matrimonium cum sorore mulieris sibi desponsatae.

Huic *triplici* effectui a quibusdam additur *quartus*, nimirum **jus ad rem**, seu jus inchoatum in corpora mutua, quo fieret ut, quamvis usus corporis prorsus illicitus sit sponsis, si tamen sponsus vel sponsa cum altero copulam haberet, non tantum contra castitatem, sed etiam contra justitiam delinqueret; quae quidem circumstantia, aiunt, in confessione probabilius est exprimenda. Verum multi cum Sanchez existimant hanc circumstantiam notabiliter aggravare peccatum sponsae, non autem peccatum sponsi. Quin imo probabilius videtur, fornicationem sponsorum cum extranea persona non mutare speciem, ob rationem allegatam (tom. I, pag. 241).

CAP. 4. De sponsalium dissolutione.

Q. 15. *An* et *quales* sint CAUSAE ex quibus sponsalia *dissolvi* possunt?

R. Cum sponsalia non inducant vinculum indissolubile, ideo non tantum morte naturali quae omnia solvit, sed etiam variis de causis dissolvuntur. Quarum aliae sponsalia dissolvunt absolute seu ipso jure; aliae solummodo sponsis dant facultatem a sponsalibus, si ipsis placuerit, resiliendi, adeoque non solvunt ipso jure, sed solubilia reddunt ad arbitrium unius vel utriusque sponsorum; aliae demum faciunt, ut ad tempus suspensa seu sopita maneat sponsalium obligatio.

Explanatur. Harum causarum praecipuae sunt : 1°) **mutuus consensus** ; 2°) **impedimentum superveniens**; 3°) **crimen alterius grave** ; 4°) **mutatio notabilis superveniens** aut **innotescens**; 5°) **electio status perfectioris**; 6°) **discessus et mora unius e sponsis.**

Q. 16. *Quomodo* sponsalia solvantur per MUTUUM CONSENSUM?

R. *Absolute* solvuntur sponsalia puberum mutuo et libero utriusque contrahentis consensu, sive expresso sive legitime praesumpto, etiamsi juramento fuissent firmata et copula carnalis accessisset, juxta dicta (pag. 19).

Explanatur. Ratio : quia omnis contractus ex natura sua solubilis, sicut ex mutuo consensu nascitur, ita per eumdem dissolvitur, juxta regulam juris : « *Omnis res per quas causas nascitur, per easdem et dissolvitur.* » — Dixi : 1°) *sponsalia* **puberum.** Nam *impuberum* non possunt dissolvi absque dispensatione, ita statuente jure, ne illa aetas ob naturalem suam inconstantiam nimiis exponatur mutationibus. Adepta autem pubertate, potest una pars, altera etiam invita, resilire, modo adsit duplex conditio superius assignata (pag. 6). Utrum vero posita hac duplici conditione, impubes possit adepta libertate ab altero invito resilire, si pubertati jam proximus se servaturum sponsalia juraverit, inter DD. *disputatur. Affirmativae* sententiae adhaereo, quippe juramentum contractui additum easdem contractus conditiones sortitur; sponsalia vero impuberum conditione immbibunt : *nisi facti puberes resiliant.* — Dixi : 2°) *consensu* **mutuo et libero.** Si enim una pars extorqueat alterius consensum per vim, fraudem, metum, aut alium injustum modum, ut si sponsus sponsam incipiat male tractare aut

minari quod eam pessime in matrimonio sit tractaturus, nisi ipsa renuntiet, sponsus in conscientia tutus non est. Non enim liberatur debitor a sua obligatione per condonationem vi extortam. — Dixi : 3°) *sive* **expresso** *sive legitime* **praesumpto**. Tales enim possunt esse circumstantiae, ut consensus tuto praesumi queat. Casus esset, si Titia initis sponsalibus cum Titio eoque ignorante postea ad crimen induceretur a Cajo ab eoque impraegnaretur. Quis enim probus et honestus juvenis vellet matrimonium inire cum sponsa non tantum infideli, sed etiam impraegnata? Quare Titia posset, dissimulatis primis sponsalibus, nubere Cajo, tum ut evitet infamiam, tum ne sponso priori injuriam eroget eique prolem alienam supponat. Neque existimandum, id Titium aegre laturum, aut de injuria sibi facta conquesturum, si rem postea inaudiat. — Dixi : 4°) *etsi* **juramento** *fuissent firmata;* propter dicta (pag. 11 seq.). — Dixi : 5°) *aut* **copula,** etc.; propter dicta (pag. 19).

Q. 17. *Quomodo* sponsalia dissolvantur per IMPEDIMENTUM SUPERVENIENS?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si impedimentum superveniens tale sit, **per quod matrimonium fit sponsis absolute impossibile,** sponsalia absolute dissolvuntur, quia obligatio ad impossibile dari nequit. Casus est : si v. g. superveniat *impotentia perpetua; ordo sacer; perpetua amentia; professio religiosa;* item si unus sponsorum *matrimonium cum alia contrahat*, quo durante matrimonio, sponsalia absolute dissolvuntur. — Dixi: *durante matrimonio;* quia si moreretur conjux, tenetur sponsus, juxta sententiam quae S. Lig. (VI, 875) « *absolute probabilior* » videtur, priorem sponsam adhuc volentem ducere, aliis contradicentibus. Ceterum in praxi pars injuste derelicta raro partem infidelem adhuc requiret, nec felix exitus hujusmodi matrimonii sperandus foret.

2°) Sin autem impedimentum superveniens sit tale, **quod tolli possit per dispensationem,** tunc *subdistinguendum* est, et videndum, utrum positum sit vel *culpa alterutrius*, vel *culpa utriusque sponsorum*, an *sine culpa*. **Hinc A**) Si ortum habeat ex culpa *alterutrius*, ut si v. g. sponsus copulam habeat cum sponsae consanguinea in primo vel secundo gradu sicque ponat impedi-

mentum *affinitatis*, efficiens ut valide non possit inire matrimonium cum sponsa sua, tunc certum est, sponsalia dissolvi ex parte innocentis, cum tunc matrimonium nequeat amplius locum habere, neque per ipsum stet, quod fuerit impeditum. Contra non solvuntur sponsalia ex parte nocentis, cum non debeat commodum ex sua iniquitate reportare, sed potius eorum obligatio respectu ipsius *suspenditur*, i. e. tenetur petere dispensationem, si altera pars velit, et dispensatio possit obtineri sumptibus saltem ordinariis et moderatis. Si enim magnae expensae requirerentur, deobligaretur : quia obligatio ex sponsalibus orta urget ad ponenda media tantum ordinaria. Excipe : nisi esset reparandum damnum, v. g. sponsae defloratiouem ejusque famam deperditam, quo casu etiam magnas expensas erogare teneretur, non tamen tantas, ut cogeretur a suo statu decidere. **Hinc B**) Si impedimentum *utriusque culpa* positum fuerit, ut contingeret in *cognatione spirituali*, v. g. si sponsus rogatus a sponsa hujus filium teneret in confirmatione, sponsalia fiunt rescindibilia ab utraque parte : quia uterque ponendo impedimentum juri suo renuntiare censetur. **Hinc C**) Si demun *absque culpa sponsorum* sit positum impedimentum, ut si sponsa violenter oppressa fuerit a sponsi consanguineo in 1° vel 2° gradu, sponsalia fiunt solubilia ex parte sponsi ; quia non tenetur ducere corruptam nec removere impedimentum culpa aliena inductum.

Q. 18. *Quid* faciat circa sponsalia CRIMEN *alterius grave?*
R. Justa *resiliendi* causa est CRIMEN *alterius grave.*

Explanatur. Nomine **criminis gravis** intelligitur quodvis peccatum valde enorme aut sponsis valde exosum, ab una parte commissum, uti sunt : *haeresis*, *apostasia*, *sodomia*, *grave furtum*, *homicidium*, *fornicatio*, non tamen *simplex pollutio* : quia licet peccatum hoc fornicatione objective sit gravius, sponsis tamen est minus exosum. Imo, etsi sponsa fuisset vi oppressa et corrupta, liberum est sponso resilire : quia licet tunc sponsa non possit dici fidem fregisse, tamen sic notabiliter est facta deterior. Similiter, si uterque fornicationem committat, uterque probabiliter resilire potest : quia violando fidem sibi tribuunt jus resiliendi. Item si sponsa vel etiam sponsus valde familiariter cum tertia persona conversetur, oscula, amplexus, tactus impudicos voluntarie admittat vel exerceat, pars

innocens jus habet resiliendi : quia alter censetur impudice vivere.

Q. 19. *Quid* faciat circa sponsalia MUTATIO *notabilis superveniens* aut *innotescens?*

R. Sponsalia etiam jurata redduntur rescindibilia ob mutationem notabilem supervenientem aut innotescentem, quae si ab initio adfuisset aut cognita fuisset, sponsalia non fuissent contracta.

Explanatur. Omnibus namque pactionibus natura sua inest conditio : « *rebus ita stantibus;* » et aliunde in jure paria sunt : « *supervenire et praecedere sed ignorari.* » Porro notabilis illa mutatio, sive superveniens, sive antecedens sed noviter detecta, respicere potest : vel bona *corporis*, vel *animi*, vel *fortunae*.

Resolvitur 1. Quoad bona **corporis**, sufficiens datur ratio resiliendi : si detegatur lepra, paralysis, morbus venereus, graveolentia oris, vel alius morbus aut alia infirmitas gravis et insanabilis; item si amittatur oculus aut aliud membrum; vel etiam si notabilis adveniat deformitas, praesertim in sponsa, cujus pulchritudo pluris aestimatur. **Resol. 2.** Quoad bona **animi**, licet resilire : si alter sponsus gravem incurrat infamiam, si fiat aut deprehendatur impius, aleator, asper moribus, ebrietati aut blasphemiis deditus; si fidem fregerit alteri promittendo matrimonium; si reperiatur vitam ducere cum meretricibus vel habere filios spurios; si ex conjugio timeantur graves inimicitiae, odia, rixae inter conjuges vel inter eorum parentes aut consanguineos, et ideo dissensus parentem etiam injustus aliquando sufficientem causam praebere potest recedendi a sponsalibus; si sponsa, quae putabatur virgo, deprehendatur vel vidua vel corrupta, etiamsi ejus defloratio, per vim habuisset locum. Imo, quod nostrates attinet, dempta infima plebecula, sponsa non minus abhorret fornicationem sponsi, quam hic sponsae, etsi commissa sit ante sponsalia nec proles sit secuta, ut adeo pari jure censendi sint sponsus et sponsa, saltem honestiores, et possint ambo a sponsalibus resilire ob detectam alterutrius fornicationem ante sponsalia commissam. Quod si *utriusque* fornicatio ante sponsalia commissa postea innotescat, tunc secundum multos neuter a sponsalibus resilire posset, juxta axioma : « *paria delicta pari compensatione delentur.* » Fatendum tamen,

quod tam sponsus quam sponsa in aestimatione alterius aeque vilescere possint ob detectam fornicationem, ac si ipsi nunquam peccatum illud perpetrassent. **Resol. 3.** Quoad bona **fortunae**, sufficiens datur ratio resiliendi, si alter sponsorum in paupertatem decidit, vel magnam bonorum jacturam patitur, vel probabili saltem periculo ea perdendi exponitur, ut v. g. si rationabiliter timeatur exhaereditas ob matrimonium; item si talis superveniat circumstantia, quae generatim statum alterius reddit notabiliter meliorem, qualis praesertim est magna et inexspectata bonorum acquisitio : tunc enim supervenit circumstantia, quae si ab initio adfuisset, alterum ab his sponsalibus retraxisset. Casus huic affinis est, dum uni sponsorum offertur matrimonium magis fortunatum (quamquam circa hunc casum major inter DD. vigeat controversia). Quid enim refert, quomodo status alterius in bonis fortunae melior fiat, dummodo revera et salva justitia melior fiat?

Q. 20. *An* laborans *defectu gravi occulto* in bonis sive corporis, sive animi, sive fortunae, ob quam causam alter forte nollet contrahere, teneatur illum *manifestare* ante sponsalia, vel iis jam contractis ante matrimonium?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. *Duplex* datur sententia. — **Prima** communiter *distinguit. Affirmat* pro defectibus **perniciosis** et **injuriosis**, ut si puella sit impraegnata ab alio, vel alteruter gravetur aere alieno, aut laboret lue venerea (nisi tamen altera pars eosdem vel similes defectus haberet, cum tunc esset compensatio). Sicut enim peccat contra justitiam qui vendit merces noxias credenti bonas, ita peccat a fortiori qui cum suo pernicioso defectu vult matrimonium contrahere. *Negat* vero pro aliis defectibus, qui redderent quidem nuptias **minus appetibiles**, sed non perniciosas; v. g. si sponsa sit corrupta quae virgo putabatur; deformis quae pulchra; pauper quae dives. Consuetudine enim receptum est, ut non sit obligatio tales defectus manifestandi, praesertim cum propria sua infamia. Et ideo poterit defectu laborans etiam interrogatus dissimulare, ambigue respondere. Quin imo, juxta Pauwels, puella corrupta poterit simpliciter affirmare, se virginem : quia vulgo dicuntur virgines quaecumque non publice noscuntur corruptae.

Secunda sententia cum DICASTILLO universaliter docet, sponsam vel sponsum **posse reticere** defectum graviter perniciosum alteri parti, quando scilicet non potest illum manifestare sine gravissimo suo incommodo. Tunc enim censetur potius permittere damnum alterius quam positive inferre; quae sententia cum non improbabilis sit, hinc casu quo v. g. in confessione puella peteret : an non obstante impraegnatione sua possit nubere sponso, cujus libidini etiam obsecuta est et qui putat sponsam esse a se impraegnatam, non auderem eam cogere ad manifestandam suam turpitudinem, si ex tali manifestatione deberet manere innupta, vel gravissima damna, infamia et sibi et familiae imminerent. Certe, si non interrogarer, quamvis intelligerem ex confessione impraegnationem esse factam ab alio, nihil dicerem, sed filiam relinquerem in bona fide, cum plerumque non succederet monitio.

Q. 21. *Quomodo* dissolvantur sponsalia per ELECTIONEM *status perfectioris?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Haec electio respicit : vel **religionem,** vel **ordines,** vel **castitatem.**

Hinc 1°) certum est, sponsalia etiam jurata absolute dissolvi per **professionem solemnem** religionis approbatae, ab alterutro valide emissam, cum per eam ipsum quoque matrimonium ratum solvatur. Non autem infringitur juramentum, quod commutatur in melius et aliunde utpote accessorium naturam et conditiones actus sequitur, super quem cadit.—Dixi : *valide emissam;* quia si professio cederet in fraudem et damnum alterius partis, forte spe matrimonii violatae, quod damnum aliter quam per matrimonium reparari non posset, professio esset nulla tam in ratione voti, quod est de re hic et nunc illicita, quam in ratione contractus cum religione, quae talem professionem admittere non vult nec potest contra jus sponsae damnificatae, ideoque sponsalia non solveret.

Hinc 2°) certum est, sponsalia etiam absolute dissolvi per susceptionem **ordinis sacri,** cum inducat impedimentum dirimens matrimonii, quo ordinatus fit perpetuo inhabilis matrimonio contrahendo.—Utrum vero *liceat* sponso, inscia vel invita comparte, ordines sacros suscipere, inter DD. *disputatur. Communior* sententia *affir-*

mat : tum quia in sponsalibus subintelligitur conditio : «*nisi melior status eligatur;*» tum quia, dicente S. Lig. (VI, 871) : «*aequum non est, ut ad serviendum creaturae impediatur status Creatori se dicandi.*»

Hinc 3°) certum est, per **ingressum in religionem** aut **susceptionem ordinis minoris,** sponsalia statim dissolvi ex parte remanentis in saeculo, ita ut si velit, possit ad alia vota transire : quia alter ingrediendo aut suscipiendo jam subiit mutationem notabilem, ac censetur cedere juri suo. Non tamen solvuntur statim ex parte ingredientis aut suscipientis, sed tantum eorum obligatio suspenditur, ut adeo, si novitiatum deseruerit, aut ad ordines sacros non ascendat, non possit cum tertia persona contrahere matrimonium, nisi de consensu prioris sibi desponsatae.

Hinc 4°) certum est, sponsalia per **votum** : sive **ingrediendi religionem**; sive **suscipiendi ordines sacros**; sive **non nubendi,** i. e. coelibatum servandi; sive **servandi perpetuam castitatem**, fieri rescindibilia ex parte *non voventis*, quia alter voto suo sponsalibus renuntiasse censetur. Quantum vero *ventem* attinet, certum est quod, vovens *ingredi religionem*, per se, i. e. secluso damno alterius sponsorum, licite voveat et illam debeat ingredi, nec teneatur stare sponsalibus, etsi teneatur adhuc ducere volentem exspectare, si vel non recipiatur, vel postea egrediatur, ut adeo respectu illius obligatio sponsalium sopita maneat. Utrum vero etiam ex parte *voventis* solvantur sponsalia per votum sive *suscipiendi ordines sacros*, sive *non nubendi*, sive *servandi perpetuam castitatem*, inter DD. *disputatur*. Et alii quidem **affirmant,** vota hujusmodi esse simpliciter valida et licita, quia sponsalibus non solum inest conditio : «*nisi statum* RELIGIOSUM *elegero.*» sed etiam haec : «*nisi statum* PERFECTIOREM *elegero;*» ac consequenter sustinent, voto emisso, sponsalia solvi, quia eorum exsecutio facta est illicita propter votum, vel saltem eorum obligationem suspendi seu sopiri, ita ut si vovens postea obtineat dispensationem voti, non possit cum tertia persona contrahere matrimonium, nisi de consensu sibi desponsatae. Haec gravium DD. sententia cum probabilis sit, hinc ex LAYMANN «in conscientia tutus erit, qui a sponsalibus sincero animo amplectendi statum perfectiorem continentiae resilierit.» Alii e contra **negant**, validum aut licitum esse hujusmodi votum, in quantum praejudicium infert sponsalibus,

cum Deus non acceptet promissionem rei in detrimentum tertii, docentque omnino gratis asseri sponsalibus inesse conditionem : «*nisi statum* PERFECTIOREM *elegero*,» nisi per *statum perfectiorem* intelligatur status *religiosus*, qui est status perfectionis proprie dictae. Dictum est : *in quantum praejudicium infert sponsalibus ;* nam patroni hujus sententiae admittunt votum esse validum quoad cetera, i. e. in quantum fieri potest absque praejudicio alterius partis, ut adeo qui v. g. votum fecit *perpetuae castitatis*, teneatur ad continentiam, si sponsa obligationem remittat, vel post contractum matrimonium moriatur; consummato autem matrimonio non possit petere debitum sed tantum reddere. Similiter qui post sponsalia emittit votum sive *non nubendi*, sive *suscipiendi ordines sacros*, tenetur, sponsa mortua vel obligationem sponsalium remittente, a matrimonio abstinere. Stante tamen matrimonio, potest petere et reddere debitum, cum votum sive *non nubendi* sive *suscipiendi ordines sacros* per se votum *castitatis* non inducat.

Q. 22. *Quandonam* sponsalia solvantur : 1°) per DISCESSUM ; vel 2°) per MORAM unius e sponsis?

R. Ad 1^{um}) Quod *discessum* attinet, si una pars, invita vel inscia altera, in longinquam regionem transferat suum domicilium, jure poterit altera pars ad alias nuptias transire : tum quia ita discedens censetur renuntiare juri suo ; tum quia pars manens non tenetur sequi alio commigrantem, nisi id expresse promiserit. Si vero pars una abeat cum animo revertendi, exspectandum erit donec redeat, nisi absentia nimis diuturna justam causam praebeat resiliendi, puta ob periculum incontinentiae vel perdendae occasionis favorabilis nubendi alteri.

R. Ad 2^{um}) Quoad *moram*, *triplex* fingi potest hypothesis.

Explanatur. Vel enim 1°) **nullum tempus** pro ineundo matrimonio praefixum fuit; vel 2°) adjectum fuit ad **urgendam obligationem**, ut si sponsus dicat sponsae : «*contraho tecum et volo, ut non protrahatur celebratio matrimonii ultra bimestre;*» vel 3°) adjectum fuit ad **finiendam obligationem,** ut si dicat : «*contraho tecum, dummodo intra bimestre matrimonium celebretur, secus nulla sit haec nostra promissio.*» — His positis, elapso tempore communi (quod prudentis arbitrio determinandum est) in 1°) **casu** ; vel

tempore praefixo in 2°) **casu**, non ideo solvuntur sponsalia, sed illa pars resilire poterit, quae urget et aliunde ob nimiam temporis dilationem versaretur in periculo incontinentiae vel perdendi nuptias favorabiles. Elapso vero tempore in 3°) **casu**, sponsalia ipso jure solvuntur ex parte utriusque, quacumque ex causa matrimonium secutum non sit, et etiamsi impeditum fuerit ex culpa unius tantum. Nec dici potest quod ille tunc lucrum reportet ex sua malitia; potius magnum reportat incommodum, videlicet reatum mortalis injustitiae et obligationem reparandi damnum si quod alteri obvenerit. Ceterum, **in dubio** tempus determinatum censetur potius ad obligationem urgendam quam ad eam finiendam : quia sic communius fit, et « *ex communiter contingentibus prudens fit judicium.* »

Q. 23. *An* sponsalia DISSOLVI possint *propria auctoritate*, an vero requiratur auctoritas *judicis ecclesiastici?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel causa dissolvendi est **certa**, vel est **dubia**.

Si **primum** : per se seu de jure communi licitum est sponsis sine judicio ecclesiastico a sponsalibus, etiam *solemnibus*, resilire : quia tunc desinunt obligare, et ideo non minus ab iis quam ab alio contractu non obligatorio privata auctoritate licet recedere.—Dixi : **per se**; nam DD. *excipiunt :* 1°) si in dioecesi vel consuetudo vel praescriptum vigeat non antea resiliendi, quam causa ab Ordinario ejusve delegato probata fuerit; 2°) si prudenter timeatur, ne dissolutio, privata auctoritate facta, scandalis occasionem datura sit, ut quando sponsalia publica quidem sunt, causa vero dissolvendi occulta.

Si **secundum** : sive dubia sit *de facto*, quia dubitatur de causae exsistentia, v. g. utrum sponsa post sponsalia sit fornicata necne; sive dubia *de jure*, quia DD. disputant de ejus sufficientia, ut si una pars inexspectato fiat multo ditior per haereditatem aut alia ratione, vel si offeratur ei aliud matrimonium cum multo ditiori aut praestantiori (pag. 25); tunc neutra pars, renitente altera, resilire potest, priusquam dubium tollatur sententia judicis ecclesiastici, quocumque modo sive publico sive occulto sponsalia contracta sint : quia sponsalia possident et proinde in dubio nemini fas est propria auctoritate alterum de possessione sui juris deturbare. Judex autem, in dubio de exsistentia aut sufficientia causae, licet *per se* non possit

dissolutionem pronuntiare, quia in dubio melior est conditio possidentis; *per accidens* tamen id poterit, ut si timor sit, ne matrimonium vergat in detrimentum Ecclesiae, reipublicae, familiae vel ipsorum contrahentium.

CAP. 5. De bannorum proclamationibus.

Q. 24. *Quid* 1°) sint BANNA; 2°) in *quem* FINEM instituta; et 3°) *qualis* eorum NECESSITAS?

R. Ad 1^{um}) *Banna*, quae vox germanica est, significans proclamationem publicam, sunt publicae denuntiationes futuri matrimonii. Bannorum originem describit BENED. XIV Const. « *Paucis abhinc* » (19 Mart. 1748).

R. Ad 2^{um}) Eo *fine* sunt instituta, ut si quis aliquod impedimentum inter sponsos cognoverit, illud quam primum superiori patefaciat, ut sic illicitis et invalidis occurratur matrimoniis.

R. Ad 3^{um}) Sunt necessaria, non quidem de *valore matrimonii* : nullibi enim ob bannorum defectum irritatur; sed de *necessitate praecepti* ecclesiastici, *graviter* per se obligantis (1).

Explanatur. Quae **gravitas** eruitur : — **1°**) Ex eo quod praeceptum illud latum sit a duobus Conciliis generalibus, tum LATER. IV, tum TRID. — **2°**) Ex eo quod gravissimis innitatur motivis. Fundatur enim in praesumptione periculi generalis : praesumi enim potest propter impedimenta occulta valorem matrimonii dignamque ejus susceptionem multoties periclitari. — **3°**) Ex gravitate poenarum quae in transgressores lata sunt. Si enim absque necessitate vel dispensatione proclamationes antenuptiales fuerint omissae, poena fuit stabilita : tum **A**) *pro parocho vel quovis alio sacerdote*, qui, si praesumeret assistere tali matrimonio, olim incurrebat suspensionem ab officio per triennium, sed « *ferendae sententiae* » ait S. LIG. (VI, 1007); tum **B**) *pro ipsis contrahentibus :* nam **a**) si

(1) Observandum hic est : « *Testimonium* (de peractis *civiliter* publicationibus) *per se non sufficere ut ad matrimonii celebrationem fideles admittantur a missionario, qui quoad publicationes se gerat juxta leges Ecclesiae* » ut constat ex S. C. C. (12 Maii 1881) ap. DESHAYES, *Questions pratiques de droit et de morale sur le Mariage*, pag. 101.

matrimonium contrahatur cum impedimento *dirimente*, proles est illegitima, non obstante bona fide parentum, i. e. quamvis impedimentum alteruter vel uterque ignoraverit; praeterea **b**) spem amittunt obtinendi dispensationem super impedimento postea detecto, i. e. multo difficilius eam obtinebunt. Quae quidem omissio de stylo curiae semper requiritur exprimenda in libello supplici, ut adeo, hac circumstantia non expressa, dispensatio obtenta foret invalida. Demum **c**) condigna poenitentia ipsis imponi debet.—Quod vero *testes* in casu attinet, a poena in eos infligenda Concilia Lat. et Trid. abstinuerunt. Plures tamen synodi dioecesanae etiam in eos duxerunt animadvertendum poena excommunicationis latae sententiae, ut notat Bened. XIV (*de Syn.* l. XII, c. VI, n. 2).

Q. 25. *Quid* statuat Trid. circa bannorum *circumstantias?*

R. Ut legitur (Sess. XXIV *de ref. matr.*, cap. 1) « *Sacri* Lat. *Concilii sub* Innoc. III *celebrati vestigiis inhaerendo*, praecipit, *ut in posterum*, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parochio tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia *publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.* » Et quidem multis in locis, in quibus decreti Trid. publicatio facta non fuit pro parte statuente impedimentum dirimens *clandestinitatis*, facta tamen fuit pro ea parte, quae denuntiationes earumque circumstantias attinet.

Q. 26. *Quoties* fieri debeant banna?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Agitur de locis ubi decretum Trid. de matrimoniis clandestinis vel **nondum**, vel **jam** promulgatum est. — Si **primum** : *una* saltem proclamatio praemitti debet, cum mandatum Innoc. III sit lex generalis ubique locorum obligans. — Si **secundum** : *trina* proclamatio *regulariter* est facienda. Hinc, etiamsi sciret nullum adesse impedimentum, graviter tamen peccaret parochus, qui voluntarie et sine justa causa omnes omitteret proclamationes : lex enim quae fundatur in praesumptione periculi generalis non cessat, etiamsi in casu particulari malum quod universim timetur non adsit (tom. I, pag. 140 seq.). Quod si temere unicam tantum omitteret, probabile est, juxta S. Lig. (VI, 990),

eum non nisi venialiter peccare. Quod facile conceditur, si parochus fideles praemoneat secundam proclamationem esse ultimam : alias, qui impedimentum noscerent, existimantes tertiam esse faciendam, huc usque exspectare possent, ut illud revelarent, sicque lex eluderetur. Dixi : **regulariter**. — Nam 1°) ob causas legitimas episcopus vel ejus delegatus dispensare possunt in toto vel in parte, ut dicetur infra Q. 31. — 2°) Omitti possunt, etiam absque dispensatione obtenta, si periculum est in mora et gravis adest causa ; ut si v. g. concubinarius in lecto mortis vult contrahere cum concubina, ut meliori modo vita exeat, ut quantum fieri potest honor puellae restituatur, aut proles legitimetur ; vel si sponsus ex aliqua causa urgenti statim in regiones longinquas proficisci deberet, sponsam a se ingravidatam relicturus, nisi illico celebrentur nuptiae ; aut si miles desponsatus subito vocatus ad castra sine mora nubere debeat ad vitandum dedecus sponsae defloratae certumve incontinentiae periculum. Esto enim parochus non possit dispensare, tamen in casibus in quibus Ordinarius ejusve delegatus dispensare tenetur et adiri non potest, periculumque est in mora, poterit declarare per *epikeiam* praeceptum proclamationum non obligare, modo nec ipse, nec contrahentes ullam habeant impedimenti dirimentis conscientiam. 3°) Immo, omitti *debent*, ubi dispensatur in matrimonio *mixto* partis catholicae cum haeretica, ne videatur ab Ecclesia approbari. Ad hujusmodi enim matrimonia parochus non nisi **materialiter** concurrere potest, exhibendo praesentiam **mere passivam,** extra ecclesiam, sine ullo ritu, precibus aut vestibus sacris. Sed proclamationes, cum ad futuri matrimonii celebrationem ordinatae sunt, positivam eidem continent cooperationem, praesertim si fierent in loco sacro, ut patet ex rescripto Pii VI ad Card. de Frankenberg (13 Julii 1782). Quoniam tamen fieri potest, quod certis in locis omissio denuntiationum pro matrimoniis *mixtis*, opinione vulgi, non ut signum reprobationis, sed potius ut gratia ac privilegium adeoque ut signum approbationis habeatur ; ideo si casus occurrat, parochus consulat Ordinarium qui, si opportunum judicaverit, S. Sedem ipse consulet, ut nuper fecit episcopus Natchetensis qui, dum in sua dioecesi praedicta vulgi opinio vigebat, veniam obtinuit a S. C. de P. F. faciendi denuntiationes etiam pro matrimoniis *mixtis*. Quod notum fecit in

Litt. past. (4 Jan. 1866). Imo, quando « *necessariae et opportunae videantur judicio Ordinarii pro detegendis impedimentis*, » ab ipso hodie permitti possunt, sed semper fiant sine mentione religionis eorum qui nuptias sunt contracturi. Ita ex Litt. Card. ANTONELLI (28 Febr. 1874) et Card. Praef. S. C. de P. F. (28 Sept. 1874).

Q. 27. *An* 1°) BANNA aliquando sint *repetenda*; et 2°) an, facta ultima proclamatione, liceat *eadem die* nuptias celebrare?

R. Ad 1^{um}) *Affirm.*, ut si celebratio matrimonii quacumque de causa retardetur.

Explanatur. Et quidem in RIT. ROM. statuitur : «*Si* INFRA DUOS MENSES *post factas denuntiationes matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur*, NISI ALITER EPISCOPO VIDEATUR.» Hinc servantur statuta dioecesana; et sic in STAT.dioec. MECHL.(n.301) edicitur : «*Quod si* INFRA TRES MENSES *post factas proclamationes matrimonium non contrahatur, proclamationes erunt iterandae, nisi dispensatio obtenta fuerit, quae regulariter pro duabus tantum conceditur.* »

R. Ad 2^{um}) Id nulla lege generali expresse videtur prohibitum.

Explanatur. Quidam tamen **negant** id fieri posse : quia sic ultima proclamatio redderetur inanis. Quibus assentiendum videtur, si in duabus proclamationibus fuerit dispensatum. In quibusdam dioecesibus *speciali lege* id prohibitum est, ut in dioec. MECHL. Sic legitur in STAT.(n.301):«*Prohibemus, ne* EO IPSO DIE *quo ultima bannorum proclamatio facta fuerit, ad matrimonium procedatur.* »

Q. 28. *Quo tempore* BANNA sint facienda?

R. Facienda sunt sequenti tempore a TRID. (Sess. XXIV *de ref. matr.* cap. 1) determinato.

Explanatur. Facienda sunt : 1°) « **Antequam matrimonium contrahatur.** » Posset tamen ita dispensari, ut denuntiationes fierent nuptiis jam contractis, sed ante matrimonii consummationem, si secus malitiose impediri posse videatur. Verum modus simpliciter tunc dispensandi hodiedum praevalet.—Facienda sunt : 2°) « **Tribus continuis diebus festivis.** » Quo nomine

intelliguntur dies dominici et festivi de praecepto, saltem in loco proclamationum. Possunt etiam fieri diebus festivis *suppressis* per indultum an. 1802 (S. C. C. 7 April. 1862 . Immo, posse fieri in *feriali die*, si aeque servetur finis Concilii, ob populi concursum, plures docent. Juxta S. Lig. (VI, 992 et 991), «*saltem probabile est id posse fieri sine gravi culpa,*» «*et si adsit aliqua causa, sine ulla culpa.*» Porro hujusmodi dies festivi debent esse **continui**, i. e. sibi succedentes, ita ut nullus dies festivus omittatur a prima proclamatione ad ultimam. Probabile putat S. Lig. (VI, 992), non graviter peccari, si dies festi, uno alterove interjecto, non sint continui, praesertim si agatur de festis praeter dominicam : tum quia leve periculum est, ne populus obliviscatur; tum quia levis materia transgressionis censetur. An vero possint fieri diebus festis *immediate* sibi succedentibus, ut si Nativitas D. incidat id feriam VI, duplex est sententia probabilis. Ceterum fieri etiam possunt tempore *clauso*, nisi usus vel statuta obstent. — Demum facienda sunt : 3°) « **Inter missarum solemnia**, » i. e. in ipsa missa parochiali vel conventuali. Quod si per oblivionem vel alia de causa omittantur in missa, possunt etiam fieri «*dum cantantur vesperae*» (S. C. C. 25 Oct. 1586). Praeterea plures dicunt et quidem « *probabiliter* » ex S. Lig. (VI, 991), proclamationes fieri posse in concione vel occasione processionis, cum coactus est populus.

Q. 29. *Ubinam* BANNA fieri debeant?

R. Fieri debent « *in ecclesia,* » i. e. parochiali utriusque sponsi, ut deducitur ex ipso fine proclamationum et diserte praescribitur in RIT. ROM.

Explanatur. Plures tamen docent, posse fieri etiam *extra ecclesiam* in loco magni concursus, quia sic jam obtinetur finis Concilii; « *idque*, ait S. Lig. (VI, 991), *probabile videtur, saltem sine mortali, et si adsit aliqua causa, sine ulla culpa.* »

Q. 30. A *quonam* BANNA sint facienda?

R. Facienda sunt « *a proprio contrahentium parocho,* » qui tamen ex communi sententia negotium illud alii sacerdoti committere potest. Porro *parochus proprius* contrahentium ille intelligitur in cujus parochia uterque habitat, seu parochus domicilii vel quasi-domicilii utriusque contrahentis.

Resolvitur 1 Si sponsi sint *ejusdem* parochiae, in hac sola fiunt denuntiationes; si vero *diversae*, etsi ejusdem dioecesecos, fiunt in utraque. **Resol. 2.** Si unus vel uterque sponsus *duplex aequale circiter domicilium* habeat, quia videlicet una parte anni in una et altera parte in alia parochia morari consuevit; aut, si *praeter domicilium*, alibi *quasi-domicilium* habeat (uti famuli conductitii, qui domicilium temporale seu quasi-domicilium habent in loco ubi serviunt, verum seu habituale domicilium in loco quo habitant parentes eorum); tunc, uti communiter docent DD., in utroque denuntiationes sunt faciendae. **Resol. 3.** Si unus vel uterque *recenter* in parochia habitat, proclamationes fieri debent non tantum in ea, sed etiam in parochia prioris habitationis. Secus vero si a *longo tempore*. Quaenam interim habitatio sufficiat, ut in sola actualis habitationis parochia fiant, id quidem ex statutis dioecesanis, vel his deficientibus, ex usu dignoscendum est. Sufficit spatium *sex mensium* pro dioec. Mechl. (1) **Resol. 4.** Banna *vagorum* proprie dictorum, i. e. qui nullibi domicilium vel quasi-domicilium habent, sed de loco in locum vagantur (2) ex communi DD. sententia, facienda sunt : tum in loco ubi actualiter degunt et matrimonium sunt contracturi, tum in loco originis, si alibi verum domicilium non habuerunt, vel saltem in loco in quo diutius sunt commorati. Insuper, antequam bannâ *vagorum* proclamentur, stricte praerequiritur : tum licentia Ordinarii loci in quo matrimonium sunt contracturi, ut sequitur ex Trid. (Sess. XXIV, cap. 7 *de ref. matr.* ; — tum habendum est testimonium authenticum de eorum *statu libero*, exaratum, in quantum fieri potest, ad normam *Instructionis* S. U. I. (21 Aug. 1670). Quod testimonium similiter requiritur, si alter sponsorum ad aliam dioecesim, a qua aetate jam nubili discessit, pertineat.—Dixi: *in quantum fieri potest;* unde loquens de P. F.

(1) Legitur in *Instruct.* S. U. I. (29 Aug. 1890) : « *Publicationes faciendae sunt in loco domicilii vel quasi-domicilii.* Expedit *etiam ut fiant* in loco originis *si contrahentes ibidem morati fuerint post adeptam aetatem ad matrimonium contrahendum idoneam; atque insuper* in locis ubi saltem per decem menses commorati fuerint, *nisi jam a pluribus annis domicilium fixerint in loco ubi matrimonium contrahendum est.* » — (2) Unde distinguuntur a vagis *improprie* dictis seu *per assimilationem*, qui relicto suo domicilio novum nondum acquisiverunt. Cfr. Deshayes,

A. S., ait KENRICK (tract. XXI, n. 193) : «*In hac regione, in quam ex omni fere orbis parte confluunt in dies homines, ex alia in aliam provinciam etiam migrantes, lex illa vix executioni demandari valet. Plerumque non suppetit aliquod* LIBERI STATUS *documentum, nec ratio habetur illius noscendi, praeter ipsorum contrahere volentium affirmationem juratam vel aliorum qui eos norunt testimonium.*»(1)

CAP. 6. De bannorum dispensatione.

Q. 31. *Quis* 1°) possit *dispensare* in BANNIS; 2°) *quae* sint CAUSAE dispensandi; et 3°) *quaenam* OBSERVANDA, *antequam* dispensatio *concedatur?*

R. Ad 1^{um}) Dispensandi *potestas* competit Ordinario ejusve delegato.

Explanatur. Quod si sponsi sint diversarum dioecesium, — nisi aliud habeat *consuetudo* vel *peculiare statutum*, — utriusque Ordinarii dispensatio **in praxi** est petenda. Nomine autem *Ordinarii* intelligitur episcopus, praelatus habens jurisdictionem quasi episcopalem, vicarius capitularis sede vacante, capitulum ante illius infra octiduum electionem et, juxta probabiliorem ac communiorem sententiam, vicarius generalis, nisi hanc facultatem sibi expresse reservaverit episcopus. Praeterea in *Stat. dioec. Mechl.* n. 67 facultas concessa est DECANIS : « *dispensandi, ob rationes canonicas, in* una *vel* duabus *proclamationibus antenuptialibus.* » — 2°) Si sponsi sint ejusdem dioecesis, *sed non sint ejusdem parochiae*, pro dispensatione regulariter recurret parochus sponsae, qui dein de ea

op. cit. Q. 39. — (1) In gravibus circumstantiis prae oculis habeantur **regulae** quas tradidit S. Sedes variis in documentis. Quo praecipue spectant : *Instructio* S. U. I. (13 Maii 1868) « *ad probandum obitum alicujus conjugis.* » Item *Instructio* S. C. de P. F. (an. 1883) « *de judiciis ecclesiasticis circa causas matrimoniales* » ap. N. R. T. (XIX, 118 seqq.). Nuper *Instructio* S. U. I. (29 Aug. 1890) « *ad Episcopos Orientales super probatione status liberi in ordine ad matrimonium* » ap. N. R. T. (XXIV, 143 seqq.). Quae ultima Instructio pro Orientalibus data in quibusdam casibus difficillimis admittit *juramentum suppletorium* inquiens : « *Et si Ordinario opportunum videatur admitti etiam poterit sponsus ad juramentum suppletorium, constito tamen sibi ipsum esse fide dignum.* » Cfr. infra Q. 126, in R. ad 8^{um}.

obtenta parochum sponsi certiorem reddet, ut hic cum expressione partialis dispensationis, si ita concessa fuerit, proclamationem facere possit. Aliquando tamen recurret parochus sponsi, si nempe ipse solus indigeat dispensatione; quia v. g. non eadem dominica incepit proclamationes ac parochus sponsae. — 3°) Si nupturientes *non sint ejusdem districtus*, sufficit ut dispenset decanus sponsae. De obtenta dispensatione, tunc moneatur parochus sponsi. Si vero tantum opus esset dispensatione pro proclamationibus in parochia sponsi faciendis, posset hujus parochus recurrere ad suum decanum.

R. Ad 2^{um}) Causae legitimae dispensandi, in toto vel in parte, *duplicis* sunt generis : aliae ob quas Ordinarius non solum potest, sed *tenetur* dispensare; aliae ob quas non tenetur, sed *potest* dispensare.

Explanatur. Et quidem **tenetur** dispensare, quoties dispensatio necessaria est ad evitandum grave damnum aut procurandum notabile bonum, sive temporale, sive spirituale. Exempla sunt : **1°**) Si adsit probabilis suspicio, ne si omnes vel plures fiant denuntiationes, matrimonium *malitiose* impediatur. **2°**) Si ex publicatione timeatur *infamia, scandalum publicum* aut *damnum grave*, ut si concubinarii, qui pro legitimis conjugibus habentur, matrimonium inire velint; si matrimonium fuerit olim solemniter celebratum, sed invalide ob latens impedimentum, atque nunc revalidandum sit; si praecesserit defloratio et timeatur, ne vir mutet voluntatem aut ipse statim sit longe profecturus; aut si alter sponsorum in vitae discrimine versetur et proles legitimanda sit. **3°**) Si sponsi formas civiles jamjam impleturi sint et expediat eos eadem die matrimonium contrahere. **4°**) Si instet tempus feriatum, i. e. adventus et quadragesimae et adsit periculum incontinentiae vel dissolutionis sponsalium. **5°**) Juxta nonnullos, si per denuntiationes sponsi exponantur pudori et ludibrio hominum, ut si sponsi sint valde seues aut valde dispares in conditione, aetate, divitiis aliisque qualitatibus. Quam causam S. Lig. (VI, 1006) refert inter illas ob quas Ordinarius potest sed non tenetur dispensare.

Contra non tenetur, sed **potest** dispensare, quando, cum nulla suspicio est impedimenti, absunt incommoda omnia ad quae vitanda denuntiationes fiunt. Ratio est : quia cessante fine legis in particu-

lari, licet propterea lex non cesset obligare, justà tamen dispensandi causa exoritur. Hinc ex mera gratia dispensari potest, si nuptiae sint contrahendae inter *magnates;* horum enim impedimenta, si quae adsunt, plerumque publica et notoria sunt : quia genus et facta procerum fere omnibus sunt nota. Unde periculum occultationis impedimentorum cessare videtur.

R. Ad 3^{um}) Antequam Ordinarius vel ejus delegatus *concedat* dispensationem, de *duobus* diligenter inquirere debet.

Explanatur. Inquirere debet : — **1°**) Utrum causa, quae allegatur, **revera subsistat**. Sufficit tamen notitia *extrajudicialis*, omisso ordine juris; quia Trid. (Sess. XXIV *de ref. matr.* cap. 1) rem totam relinquit « *prudentiae et judicio* » Ordinarii. — **2°**) Utrum non subsistat **aliquod impedimentum**. Quod si omnibus consideratis *dubitetur* de ejus exsistentia, nec veritas aliunde dignosci queat, sponso vel sponsae vel utriusque juramentum deferri potest. Ceterum si adeo non sit impellens causa, sat erit dispensare ab una vel altera denuntiatione. Omnino enim dispensare episcopis vetat Bened. XIV, Bull. « *Nimiam licentiam* » (18 Maii 1745), nisi, prout addit : « *Urgente legitima, gravissimâ et ineluctabili causa, ut liquet ex* Trid. »

CAP. 7. De obligatione manifestandi impedimenta deque agendi ratione parochi detecto impedimento.

Q. 32. *Quinam teneantur* impedimenta *revelare?*

R. Sive fiant, sive omittantur proclamationes, omnes fideles cujuscumque loci, aetatis, conditionis, *per se loquendo*, tenentur *sub gravi*, si quod noverint impedimentum, sive impediens sive dirimens, quamvis secretum et infamatorium, aut probabilem ejusdem habeant conjecturam, illud quam primum denuntiare. — De hac quaestione tractat N. R. T. (XIII, 527 seqq.).

Explanatur. Quae quidem **obligatio** eruitur : **1°**) ex ipso bannorum praecepto : frustra enim praeciperentur, nisi fidelibus hoc onus incumberet; **2°**) ex praecepto charitatis, quod omnes obligat ad avertendum a proximo malum; et ex ea parte omnes omnino tenentur; **2°**) ex motivo religionis, vetantis ne frustrationem sacramenti aut illicitam saltem ejus susceptionem permittamus.

Charitas tamen quoque postulat, ut antequam parocho fiat denuntiatio, sponsi fraterne moneantur, praesertim si impedimentum sit infamans, ut dispensationem petant, aut a matrimonio desistant, modo praevideatur, hanc monitionem profuturam.

Dixi : per se loquendo; nam excipiuntur : 1°) *Confessarii*, qui cognoscunt impedimentum tantum ex confessione sacramentali, cujus secretum nullam ob causam potest violari. 2°) Qui revelare nequeunt : aut absque *gravi sui vel proxime conjunctorum detrimento*, quales sunt saepe famuli quibus, si herum proderent, immineret ab eo gravia mala; aut absque *infamia propria*, ut mater et soror quae cum filiae vel sororis amasio rem habuerunt; aut absque *infamia suorum*, ascendentium aut descendentium, fratrum, sororum, ut si fuissent complices delicti quod ortum dedit impedimento; aut demum absque *gravi aliorum scandalo*. Ratio horum est : quia neque lex ecclesiastica, neque praeceptum correctionis obligat cum gravi incommodo aut scandalo aliorum. *Sola* infamia tertiae personae apud parochum vel episcopum non videtur excusare : alioquin praeceptum redderetur inutile. 3°) Excipiuntur qui sciunt impedimentum sub *secreto consilii* seu *status*, ut sunt parochi, medici, chirurgi, obstetrices, jurisperiti : valde enim reipublicae interest, ut hujusmodi secreta sarta tectaque serventur, ne opportuno refugio priventur qui in angustiis positi consilio prudentium egent. Illi tamen ex charitate debent, quantum commode fieri potest, monere contrahentes de obligatione abstinendi a nuptiis ante dispensationem. Contra a revelatione impedimenti non eximuntur, qui illud sciunt sub *secreto naturali* seu *confidentiae*, etiam jurato : quia secretum et juramentum non obligant cum detrimento tertii et communitatis. Unde sub regula generali cadunt etiam *amici*, quamvis non improbabiliter id neget Gousset. 4°) Excipitur, si noverint obtentam esse dispensationem pro foro interno in impedimento quod ad forum externum deduci probabiliter non possit. 5°) Item, quando quis de impedimento tantum audivit, sed a quo nesciat; vel audiverit a persona non fide digna, cum nulla sit habenda ratio hujus auditus. Contra non excusatur testis unicus impedimenti : nam si non inserviat per se solum ad matrimonium impediendum coram judice, inserviet tamen ad inquirendum de facti veritate, necnon ad monendum partes aut unam ex ipsis ad petendam dis-

pensationem. 6°) Similiter, si prudenter quis credat se nihil profecturum revelando, et multo magis, si revelationem bona fide contrahentibus obfuturam censeat. 7°) Tandem contractis nuptiis, lex denuntiandi cessat, quae solum lata est ad praeveniendam matrimonii malam susceptionem. Remanet tamen semper lex charitatis, si speretur bonus effectus ex revelatione impedimenti postea cogniti.

Q. 33. *Quid* PAROCHUS agere debeat *cognito impedimento?*
R. *Sub distinctione* pro variis casibus qui fingi possunt.

Resolvitur 1. Si impedimentum ei fuerit denuntiatum **ab aliquo** qui sit fide dignus, certum est ex jure, parochum teneri interdicere nuptias et rem ad Ordinarium deferre, ut ille cognoscat. **Resol. 2.** Si **solus** parochus impedimentum sciat *extra confessionem*, tunc vel ipsis contrahentibus est *notum*, vel *ignotum*. Si **primum** : tunc « *verius* » juxta S. Lig. (VI,1002) tenetur obsistere nuptiis neque iis assistere poterit, etiamsi *publice* peterentur. Ratio : quia si quilibet tenetur impedimentum revelare, etiamsi ipse solus illud sciat, a fortiori tenetur parochus, cui ex officio incumbit consulere saluti animarum. Nec obstat quod peccatori occulto, publice petenti sacramentum, illud non sit denegandum. Hoc enim procedit, ubi aliud non currit malum, quam mala perceptio sacramenti. Verum in casu, praeter malam susceptionem, suo officio deesset pastor, qui est testis et judex contractus, et ut talis auctoritatem habet examinandi, an contractus legitime fiat. Si **secundum** : generatim loquendo eadem solutio est danda, nisi (quod rarissime accidere potest in consanguinitate et affinitate) utraque pars versetur in bona fide, impedimentum omnino occultum sit, nullum timeatur manifestationis periculum et monitio noxia judicetur. **Resol. 3.** Si novit impedimentum **extra confessionem**, ast simul novit pro **foro conscientiae** dispensationem fuisse obtentam, potest assistere, si impedimentum sit tale quod ad **forum externum** non possit deduci, vel saltem nulla probabilis ratio id timendi adsit. Secus, antequam assisteret, esset dispensatio pro foro externo petenda. **Resol. 4.** Si notitiam impedimenti acquirat **ex confessione illius qui est impedimento ligatus**, debet *regulariter* monere poenitentem ut vel petat dispensationem vel a nuptiis abstineat. Quod si non obtineat, non potest eum

absolvere, et si, hoc non obstante, impeditus petat matrimonium sive occulte sine publice, non potest parochus recusare, propter religionem sigilli. Si autem sciat *ex confessione compartis vel alterius*, debet ipsum monere de obligatione revelandi impedimentum, qui si nolit revelare, non est absolvendus. — Dixi : *regulariter;* nam si sponsi sint in bona fide et ex monitione desperetur fructus et impedimentum tale sit, ut non de facili, contracto matrimonio, a sponsis dignoscatur, omittenda esset monitio : quia actus frustraneus nullibi praescribitur, et inter majora mala non evitanda minus semper est eligendum. **Resol. 5.** Quod si moniti in confessione sponsi declarent, se non posse omnino a matrimonio desistere sine magno scandalo, cum impedimentum sit occultum ex causa infamante ortum, et omnia jam sint parata, factae denuntiationes, amici invitati, etc.; neque ad episcopum haberi possit recursus, quia nuptiae omnino in crastinum celebrandae sunt et episcopus longe distat, tunc, juxta Voit et alios, parochus vel confessarius suadeat illis, ut contrahant sub conditione : *si Papa dispensaverit*, animo interim cohabitandi instar fratris et sororis, ita ut nullos actus turpes exerceant, multo minus matrimonium consumment. Si autem hoc remedium non obtineat, ut si v. g. cognitio impedimenti se teneat ex parte unius tantum, qui non vult prodere turpitudinem suam alteri parti, ut ab usu conjugali abstineat, tunc multis placet quod scribit S. Lig. (H. A. XVI, 114) : « *Dicunt, et quidem non sine fundamento*, Ronc. *et* Instruct. *pro novis conf. cum auctoritate* Pignatelli *quod, cum in hoc casu lex impedimenti reddatur nociva, posset parochus aut alter confessarius prudens declarare talem legem non obligare.* » Et hanc sententiam *practice tutam* habet Gousset. Scribit enim : « *Nous pensons que le confesseur, curé ou non, peut, d'après l'opinion assez probable de plusieurs Docteurs, dispenser lui même, ou plutôt déclarer que la loi cesse d'obliger dans le cas dont il s'agit... Cependant le mariage fait, il sera au moins prudent d'écrire à la S. Pénitencerie, afin d'en obtenir*, ad cautelam, *la dispense* a radice, *si toutefois on la regarde à Rome comme nécessaire dans le cas dont il s'agit.* »

CAP. 8. De officio parochi circa nupturientes.

Q. 34. *Quodnam* sit OFFICIUM parochi circa *nupturientes?*

R. Illud officium late describit Rit. Rom. (tit. *de sacram. matrimonii*). Imprimis autem cognoscere tenetur : tum « *an inter eos sit aliquod canonicum impedimentum;* » tum utrum « *uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.* »

Explanatur. Et quidem ad **primum examen,** denuntiationibus vel etiam sponsalibus, si contrahantur, praemittendum, quod attinet, parochum monet Bened. XIV, Const. «*Nimiam licentiam*» (18 Maii 1743) : « *Ut antequam denuntiationes de ineundo matrimonio publice inter missarum solemnia fiant, ipse tum sponsum tum sponsam seorsim caute, et, ut dicitur, ad aurem explorare studeat, an ex voluntate, sponte ac libenter et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim conjungantur; necnon ut, quantum fieri potest, inquirere nitatur, ullumne et cujus generis impedimentum inter contrahentes intercedat; aliisne fidem sponsionemque alter ex contrahentibus dederit; de consensune parentum filii filiaeque familias contrahant. Haec aliaque hujusmodi momenta postquam parochi accuratissime exploraverunt, si aliquod eorumdem momentorum sive deficere, aut nocere posse deprehenderunt, suspensis interea denuntiationibus, illud quod obstare possit deferre tenentur ad proprium antistitem, qui, prout res postulaverit, pro auctoritate munerisque sui debito opportune provideat.* » Interim convenit quandoque, ut impedimenta infamatoria, quae pudorem sponsis adferre possunt, v. g. *affinitatis ex copula illicita* aut *criminis*, non per modum interrogationis proponantur, quasi aliqua haberetur suspicio; sed per modum instructionis, addito etiam monito, quod impedimenta occulta secreto et sine periculo infamiae confessario declarari possunt, qui ipse secreto dispensationem procurare poterit.

Quod vero **secundum examen** attinet, notat idem Bened. XIV, (*de Syn.* l. VIII. c. 14) : « *Quandoque evenire, ut quis praecipua fidei nostrae mysteria et sciat et credat, cetera pariter quae necessitate praecepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit, sed quia hebetis est ingenii et exilis memoriae, post omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere et recitare non valeat; in hoc autem rerum statu non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturae et propterea nemini sine*

propria culpa est denegandum; sed curabit parochus, ut qui eo memoriae defectu laborat, frequenter audiat quae semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur.» Tum, paucis interjectis, tradit ex quodam Concilio Limano, quomodo agendum sit cum illis qui copiosiorem catechesim non admittunt. Quae methodus instruendi si adhibeatur, rarissime eveniet, ut, qui crassa Minerva sunt praediti, a matrimonio sint repellendi, sicque fere evanesceat periculum, de quo loquitur Kenrick (tract. XIV. n. 55) : «*Ob periculum confugiendi ad praecones haereticos, non facile repellendi sunt in hac regione qui minus instructi reperiuntur, quum et rerum necessitas faciat, ut etiam haeretici cum catholicis, ex dispensatione, conjunguntur.*»

PARS SECUNDA.

DE MATRIMONIO NATURALI ET SACRAMENTALI.

CAP. 1. De quidditate matrimonii.

Q. 35. Dic : 1°) *undenam* sit nomen MATRIMONII; et 2°) *quomodo* adhuc vocetur?

R. Ad 1um) Ex Cat. Rom. post S. Thom. (*Suppl.* q. 44, a. 2) : «*Matrimonium ab eo dicitur, quod foemina idcirco maxime nubere debeat, ut* MATER *fiat; vel quia prolem concipere, parere, educare* MATRIS *munus est;*» i. e. quia in matrimonio curae praecipuae a matre proveniunt, perinde ac bona a parentibus provenientia dicuntur *patrimonium*.

R. Ad 2um) Vocatur etiam : 1°) *Connubium*, a *nubendo* seu *velando*, a quo et *nuptiae* dictae sunt, quod nempe soleret puella viro tradita caput velo quodam quasi nube tegere in signum sive pudoris, sive subjectionis et obedientiae, juxta Paulum (1 Cor. XI, 5 seqq.). 2°) *Conjugium*, eo quod legitima mulier cum viro quasi uno jugo adstringatur. 3°) *Consortium*, tum quia conjuges ejusdem sortis seu fortunae participes sint oportet; tum quia etiam inter illos intima debet esse conjunctio.

Q. 36. *Quotuplici* sub *respectu* spectari possit matrimonium?

R. Ex Cat. Rom. *dupliciter* spectari potest.

Explanatur. Spectari potest : — vel «*ut* **natura** *constat*» (i.e. praescindendo a ratione sacramenti, prout nimirum in prima mundi constitutione ab auctore naturae institutum fuit), «*et ad naturae officium pertinet* » (i. e. ad naturam humanam debite propagandam); —vel « *ut* **sacramentum** *cujus vis naturalium rerum conditionem superat.* »

Porro matrimonium **naturale**, prout est officium naturae, atque adeo commune fidelibus et infidelibus, iterum *dupliciter* considerari potest : vel ut est **contractus** seu actus transiens; vel ut est **status permanens** ex contractu resultans. Spectari namque potest : — vel **in fieri**, seu, ut alii loquuntur, *active, causaliter*, seu *in sua causa efficiente;*—vel **in facto esse,** seu *passive*, aut *prout jam initum est.*

Si **primum** : seu si spectetur **in fieri,** est contractus : tum *naturalis,* tum *religiosus.*—Dixi : **1°) naturalis** ; non enim ab hominibus inventus est, sed ab ipsa natura originem ducit, quatenus ipsa naturalis ratio hominis ipsum inclinat ad conservationem speciei per generationem prolis, non minus, imo fortius, quam ad conservationem individui per sumptionem cibi et potus : quia bonum speciei est universalius et praestantius bono individui. Jam vero ad hunc finem obtinendum, matrimonium necessarium est : natura enim, ut docet S. Thom. (*Suppl.* q. 41, a. 1 in c.) in conservatione speciei non solum intendit generationem prolis, sed etiam ejus promotionem ad statum perfectum quoad corpus et animam, quod utique obtineri nequit, nisi determinati parentes aliquo vinculo colligantur. Neque exinde sequitur *virginitatem* et *coelibatum*, utpote contra inclinationem naturae, propterea esse peccata. Non enim omne illud quod est contra naturalem inclinationem semper peccatum est; sed tantum id quod est contra inclinationem naturalem ex dictamine rationis obligantem. Nunc vero multiplicato sufficienter genere humano, ratio dictat ad id non esse necessarium matrimonium in quolibet, et consequenter inclinatio naturalis non obligat ad illud. Praeterea licet quandoque agere contra inclinationem naturalem propter majus bonum animae, ut patet in eo, qui mortificationis causa abstinet a cibo utili et aliqualiter necessario corpori, ad quem tamen habetur naturalis inclinatio. — Dixi : **2°) religiosus** ; quia ab ipso Deo institutus est tum *implicite*, in ipsa creatione protoparentum, talem nimirum ipsis dando

naturam, quae sui propagationem ipsis suggereret; tum *explicite*, post eorum creationem, ut ex variis conficitur S. Script. locis, quos adfert Cat. Rom. Audiatur Leo XIII, Enc. « *Arcanum divinae Sapientiae* » (10 Febr. 1880) ap. N. R. T. (XII, 48 seqq.) inquiens: « *Cum matrimonium habeat Deum auctorem fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo* sacrum *et* religiosum *quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum?* » Hinc paulo infra concludit Pontifex : « *Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte* sacrum, *consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principium imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum* sacrarum *sola habet magisterium.* » Hinc quoque, ut per transennam dixerim, cum matrimonium sit « *contractus naturalis jure divino* **ante omnem societatem civilem** *institutus et firmatus,* » ut tradit Pius VI, *Litt. ad episc.* Agriae (11 Jul. 1789), nonnisi omnino secundario et quoad effectus mere accidentales, qui scilicet ad successiones, haereditates et similia referuntur, dici potest *civilis;* ut adeo verus contractus matrimonialis subsistere possit, tum inter eos qui extra societatem civilem vivunt, tum inter illos qui quavis de causa per legem civilem matrimonii incapaces habentur.

Si **secundum** : seu si spectetur **in facto esse,** est status conjugum habitualiter permanens seu status conjugalis ex ipso contractu resultans. Et hoc posteriori modo consideratum magis communiter et proprie matrimonium dicitur, eo quod in Conc. Flor. consensus seu contractus dicatur *causa efficiens* matrimonii.

Q. 37. *Quomodo* definiri possit matrim. *naturale?*

R. Juxta Cat. Rom., « *ex communi* TT. *sententia* » cum S. Thom. (*Suppl.* q. 44, a. 3) definitur : « *Viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens.* »

Explanatur. Dicitur : 1°) **Conjunctio**; quae vox si *active* sumatur, nimirum pro ipso actu transeunte seu consensu quo vir et mulier primum conjunguntur, erit definitio matrimonii naturalis *in fieri,* seu actus illius quo conjuges fiunt. Si autem sumatur *passive,* erit definitio matrimonii naturalis *in facto esse,* seu vinculi

permanentis quod ex mutuo consensu resultat, ut adeo consensus sit causa efficiens status seu vinculi matrimonialis. Dicitur 2°) **maritalis,** ut significetur conjunctionem hanc fieri in ordine ad legitimam prolis generationem aliaque quae propria sunt maritis erga uxores et vicissim; et sic distinguitur a ceteris conjunctionibus ob alios fines initis inter homines, v. g. ab amicitia, a negotiatione. A *marito* autem dicitur *maritalis*, quia maritus est caput conjunctionis. Dicitur : 3°) **viri et mulieris,** ut significetur subjectum matrimonii quod diversitatem sexuum exigit. Ponuntur autem in numero singulari, ut designetur matrimonii unitas et excludatur tum *polygamia*, tum multo magis *polyandria*. Dicitur : 4°) **inter legitimas personas,** i. e. habiles ad contrahendum, seu nullo juris naturalis aut positivi impedimento irritante ligatas. Dicitur : 5°) **individuam vitae consuetudinem retinens,** i. e. societatem perpetuam et indissolubilem, in quo matrimonium a ceteris conjunctionibus differt, quippe quae contrahentium consensu dissolvi queant, matrimonium vero non ita.

Q. 38. *Quomodo* definiri possit matrim. *sacramentale?*
R. Si verbis praecitatis, quibus matrimonium *naturale* communiter definitur, addantur haec alia : *et a Christo ad dignitatem sacramenti elevata*, seu : *et gratiam conjugibus conferendam significans*, habetur definitio matrimonii, ut est *sacramentum*. Quod etiam accurate definiri potest cum S. Thom. (l. IV *Contra gentes*) : « *Sacramentum N. L. consistens in conjunctione maris et foeminae intendentium prolem ad cultum Dei generare et educare.* »

Explanatur. Est itaque **sacramentum** matrimonii ipsum matrimonium *naturale* sub ratione *contractus*, seu ipse ille contractus *naturalis* et *religiosus*, vinculum indissolubile inducens, qualis primitus a Deo in paradiso fuit institutus, sed ad rationem et dignitatem sacramenti a Christo elevatus, ut adeo *inter fideles* dari non possit matrimonium, quin simul uno eodemque tempore sit sacramentum. — Dico : **inter fideles,** i. e. baptizatos, sive catholici sint, sive non. Lex enim evangelica, quae matrimonium in sacramentum constituit, non applicatur nisi suis subditis, qui sunt baptizati. Quare infideles, qui non sunt nisi sub lege naturali,

matrimonium habent quale in lege naturali sancitur, contractum videlicet legitimum, sed gratiae non collativum, ut adeo baptismus sit veluti conditio sine qua non potest fieri sacramentum matrimonii.—Dixi supra: **sub ratione contractus**; non desunt tamen qui asserunt, matrimonium etiam esse sacramentum sub ratione **vinculi**, ita ut foret sacramentum non tantum **in fieri** et transeunter, quando contrahitur; sed etiam **in facto esse** et permanenter, ad instar Eucharistiae. Verum communis TT. sententia habet, omnia sacramenta, praeter Eucharistiam, esse transeuntia (tom. II, pag. 563). Secus conjuges usu matrimonii sanctificarentur ex opere operato, quae assertio caret fundamento. Dici tamen potest, quod matrimonium **in facto esse** sit sacramentum non quidem *proprie*, sed sumpto sacramento *late* pro signo rei sacrae, quatenus nimirum est sacrum signum conjunctionis spiritualis Christi cum Ecclesia seu Verbi divini cum natura humana.

Resolvitur. Ex dictis **sequitur** : 1°) Errare omnes qui asserunt : « *Matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse.* » Quae doctrina proscripta est (in Litt. Apost. *Ad apostolicae*, 22 Aug. 1851 ; item in Syll. sub n. LXVI) a Pio IX, qui alibi (in Litt. ad reg. Sard. 19 Sept. 1852) sic loquitur : « *Dogma fidei est, matrimonium a J. C. D. N. ad dignitatem sacramenti esse elevatum atque doctrina Ecclesiae catholicae, sacramentum non esse qualitatem accidentalem contractui superadditam, sed de ipsa matrimonii essentia esse, ita ut unio conjugalis inter christianos non sit legitima, nisi in matrimonii sacramento, extra quod merus concubinatus tantum invenitur.* » Similiter « *in matrimonio Christiano contractum a sacramento non esse* DISSOCIABILEM, *atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum*, » hisce probat Leo XIII, Enc. « *Arcanum divinae Sapientiae* » inquiens : « *Nam Christus Dominus dignitate Sacramenti auxit matrimonium : matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure. Huc accedit, quod ob hanc causam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter*

se conligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter Christianos justum conjugium in se et per se esse sacramentum; nihilque magis abhorrere a veritate quam esse sacramentum decus quoddam adjunctum aut proprietatem, allapsam extrinsecus, quae a contractu disjungi ac dispari hominum arbitratu queat. » **Sequitur : 2°)** Omnino certum esse, inter sacramentum matrimonii ejusque contractum non dari distinctionem realem *perfectam*, qualis exsistit inter rem et aliam rem integram, cum unum sit de essentia alterius. Immo, inter utrumque nequidem dari distinctionem *imperfectam*, qualis est inter totum ejusque partem, ut inter hominem ejusque animam, quasi sacramentum sit ex contractu et benedictione coalescens; sed ipsum contractum esse sacramentum totum et cum eo physice identificatum, nec ab eo distingui nisi logice cum fundamento in re, i. e. virtualiter, sicut res a forma morali, v. g. sacrum vas a sua sanctitate distinguitur, post pontificia oracula tenendum esse arbitror.

CAP. 2. De essentia matrimonii. Ubi de consensu et conditionibus consensui appositis.

Q. 39. In *quo* sita sit *essentia* matrimonii?

Praenotandum. Essentiam matrimonii in **usu** ejusdem seu consummatione sitam esse, teste Aug., docuit Julianus pelagianus, ratus sine usu non posse consistere matrimonium. Quem turpem errorem secuti sunt Wicleffistae. Ast certo certius **usus** matrimonii, licet licitus sit et honestus per se, non tamen est de essentia matrimonii, sub quacumque ratione spectetur. Nam verum fuit matrimonium inter primos parentes, dum in paradiso morabantur, nec tamen nisi paradiso ejectus Adam cognovit Evam, ut, teste Catech. Rom. « *Patres testantur.* » Praeterea B. M. V. veram fuisse S. Josephi conjugem, quamvis virgo semper permanserit, imo et perpetuam virginitatem Deo antea vovisset, nemo sine temeritate, imo, juxta Suarez, absque haeresi negare poterit. Ratio **a** priori est : quia usus ipse et operatio rei non est de illius essentia : haec enim ad usum vel operationem supponitur, et usus est quid consequens ad essentiam. His praenotatis :

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel loquimur de matrimonio **in fieri**, vel de matrimonio **in facto esse** — **1°**) Essentia matrimonii **in fieri** consistit in mutuo consensu, exterius expresso, quo vir et mulier sibi invicem legitime tradunt jus *saltem radicale* in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, et sese obligant ad individuam vitae societatem. Hinc in utroque jure recepta est regula : «*Nuptias non concubitus sed consensus facit.*» Dixi : *saltem* **radicale**; quia jus *expeditum*, stante vinculo matrimoniali, variis de causis amitti, suspendi, aut desinere potest. — **2°**) Essentia matrimonii **in facto esse** consistit in vinculo permanente, quod oritur ex praefato consensu. Ratio est : quod matrimonium subsistat, quamdiu hoc vinculum perdurat; et e contra, hoc vinculo dissoluto, matrimonium cesset ceteraque ad ipsum spectantia subsistere nequeant.

Q. 40. *Qualis* debeat esse mutuus ille *consensus* matrimonialis?

R. Conformiter ad dicta de consensu *sponsalitio* (p. 4 seqq.), debet esse utrimque : 1°) *internus* seu *verus*; 2°) *deliberatus*; 3°) *externus* seu signo sensibili expressus; 4°) inter personas *determinatas* et *jure habiles*, quatenus nimirum nullo impedimento dirimente ligantur.

Q. 41. An *valeat* matrimonium, si contrahatur inter absentes per *procuratorem*, aut etiam per *scripturam?*

R. *Affirm.*, modo serventur conditiones requisitae.

Explanatur. Ratio : quia ad contractum non requiritur consensus actualis, sed sufficit, *virtualis* (tom. II, pag. 189), seu moraliter perseverans. Censetur autem perseverare, donec explicite vel implicite revocetur. — **Conditiones** autem sunt : **1°**) Ut procurator speciale mandatum acceperit contrahendi cum determinata persona. **2°**) Ut mandatum exsequatur per se ipsum et non per substitutum, nisi specialem substituendi facultatem acceperit. **3°**) Ut mandans tempore intermedio mandatum non revocaverit : alias non valebit matrimonium, quamvis revocatio nec procuratori nec comparti innotuerit. **4°**) Ut, quando matrimonium initur sive per procuratorem sive per scripturam, servetur forma, quae ad valorem contractus de jure praescribitur. Hinc pro matrimonio christianorum, in locis

ubi TRID. est promulgatum, requiritur ut procurator contrahat coram parocho et duobus saltem testibus. Similiter, si ineatur matrimonium per scripturam, ut si Cajus scribat ad Bertham epistolam, eique non solum Cajus corpus suum tradat, sed etiam ex tunc traditionem sibi a Bertha faciendam acceptet, oportet ut Bertha epistolam ipsam coram parocho et testibus legat et traditionem sibi a Cajo factam acceptet. — Matrimonium autem inter absentes per scripturam aut procuratorem initum, si *legitime* inter fideles contrahatur, habere rationem sacramenti, ex supra (pag. 46 seq.) dictis sequitur, cum inter fideles non detur matrimonium quin simul sit sacramentum. Non *licet* tamen ita contrahere, nisi causa valde gravis urgeat : quia iste modus contrarius est praxi ordinariae Ecclesiae et vix inter alios quam inter Principes et Magnates sic matrimonia fiunt. Quare parochus non debet propria auctoritate matrimoniis hujusmodi benedicere.

Q. 42. *Quid* faciat CONDITIO adjecta *consensui* matrimoniali?

R. Ne eadem bis repetantur, recolantur quae dicta sunt de variis conditionibus *sponsalibus* adjectis (pag. 12 seqq). Insuper de conditionibus *substantiae matrimonii* repugnantibus speciatim agetur, ubi sermo erit de *bonis matrimonii*.

CAP. 3. De bonis matrimonii.

Q 43. *Quot* 1°) sint BONA matrimonii; et 2°) *utrum* ad ejus SUBSTANTIAM adeoque *validitatem* pertineant?

R. Ad 1^{um}) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 49, a. 2) *tria* sunt BONA matrimonii : « *proles*, *fides ac sacramentum*, » quibus matrimonii ratio honesta redditur.

Explanatur. *Bonum* **prolis** est ejusdem procreatio et educatio animae et corpori competens. *Bonum* **fidei** est mutua conjugum fidelitas, importans ut alter alteri debitum reddat conjugale, ac prohibens ne alteruter cum alia persona carnaliter commisceatur. *Bonum* **sacramenti** est vinculum perpetuum, quo vir et mulier indissolu-

biliter conjunguntur, et quidem praecipue in matrimonio fidelium (1).

R. Ad 2^um^) *Sub distinctione.*

Explanatur. Spectari possunt : vel **in actu primo** seu quoad obligationem ; vel **in actu secundo** seu quoad exsecutionem.

Si **primum** : *Affirm.*, quia ex vi matrimonii conjuges obligantur : tum ad prolem non impediendam, quandocumque copula exerceatur, et natam educandam ; tum ad praestandum usum corporis comparti legitime petenti et ad non adulterandum ; tum ad retinendam individuam vitae societatem. Quare debent conjuges, nisi nihil agere velint, vero animi consensu triplicem hanc obligationem suscipere. Sufficit tamen, ut *implicite* et *virtualiter* suscipiant, licet de singula obligatione *expresse* non cogitent. Unde hoc ipso quod habeatur mutuus consensus et intentio tradendi et acceptandi potestatem corporum ad usum conjugalem, implicite intenditur susceptio triplicis illius obligationis, atque adeo substantia matrimonii habetur.

Si **secundum** : *Negative.* Quia voluntas contrahendi verum matrimonium, et consequenter obligationes omnes matrimonii proprias suscipiendi, consistere potest cum intentione easdem non

(1) Quomodo per haec tria BONA matrimonium **cohonestetur**, ex S. THOMA sic ostendit BILL. : « TRIA *potissimum damna et incommoda incurruntur in matrimonio. Primum* LIBIDO *et ex ea resultans detrimentum usus rationis, debilitatio corporis et sensuum obtusio; et hoc damnum compensatur bono* **prolis**, *seu procreatione liberorum quibus genus humanum propagatur et Deus perpetuo colitur. Secundum damnum est* SOLLICITUDO MOLESTA *placendi comparti, suscipiendi, parturiendi, educandi proles et rebus familiae providendi; et hoc damnum compensatur bono* **fidei**, *qua alter alteri tenetur reddere debitum, nec potest alteri commisceri. Tertium damnum est* PERPETUA QUAEDAM SUBJECTIO *seu servitus qua vir uxori, et uxor viro obligatur, et istud damnum compensatur bono* **sacramenti**, *id est vinculi indissolubilis, quo conjuges repraesentant conjunctionem Christi cum Ecclesia, tenenturque se invicem diligere, sicut Christus dilexit Ecclesiam... Quamquam etiam multo magis compensetur hoc damnum bono sacramenti* PROPRIE *sumpti pro signo efficaci gratiae, quatenus sanctificat conjuges, eis confert auxilia supernaturalia ad se mutuo diligendum, praestandaque suaviter et fideliter usque ad finem vitae cetera munia et onera matrimonii.* »

adimplendi. Stant enim simul : se obligare ad aliquid et tamen ex malitia non velle huic obligationi satisfacere.

Q. 44. An *valeat* matrimonium initum sub CONDITIONE : aut *vitandi generationem;* aut postea *adulterandi;* aut *solvendi* matrimonium?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel illa conditio **expresse** *contractui adjicitur* seu *in pactum deducitur;* vel tantum **mente retinetur.**

Si **expresse** *adjiciatur* seu **in pactum** *deducatur :* tunc in *utroque foro* matrimonium est invalidum. Ratio : quia licet contrahentes interne consentiant in omnes obligationes, quae ad substantiam matrimonii pertinent, consensum internum tamen *externe* non manifestant, imo potius contrarium significant. Ergo non potest haberi matrimonium validum defectu consensus saltem *externi.* Exstat ea de re celebris Decretalis GREG. IX (lib. IV Decret. cap. fin. tit. 5 *de cond. appositis*) ubi dicitur : « *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta : si alter dicat alteri :* CONTRAHO TECUM, SI GENERATIONEM PROLIS EVITES; *vel,* DONEC INVENIAM ALIAM HONORE VEL FACULTATIBUS DIGNIOREM; *aut,* SI PRO QUAESTU ADULTERANDAM TE TRADAS; *matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* » Excipe tamen, pro foro *externo,* ex communi sententia, si ea conditio ab uno tantum sponso adjiciatur, altero contradicente : quia si prior, non obstante alterius contradictione ad contractum processit, in matrimonii favorem praesumitur ab ea conditione recessisse. Immo sunt, qui idem dicendum putant, quando ad appositam ejusmodi conditionem alter silet. Nam et in hoc casu in matrimonii favorem tacens praesumitur contradicere.

Si **mente** *retineatur,* seu, quod idem est, si habetur **intentio mere interna,** tunc *subd. est.* Vel contrahentes **habent** animum obligationes omnes matrimonii proprias suscipiendi, licet iis implendis, impudicam v. g. cum alia persona amicitiam abrumpendo, non sint parati; vel **non habent** talem animum. — Si **primum :** valet matrimonium : quia potest quis velle se obligare ad aliquid faciendum vel omittendum, licet non habeat voluntatem id adim-

plendi, ut patet in eo qui, habens intentionem castitatem violandi, potest valide profiteri solemniter. Similiter valet votum paupertatis emissum ab eo qui solemniter profitetur, quamvis occulte retineat pecuniam ad proprios usus ac proinde propositum foveat votum violandi seu obligationes quas suscipit non exsequendi. — Si **secundum** : tunc etiamsi prava intentio in pactum non deducatur, *per se* tamen contractum in foro **interno** invalidat : quia contractus matrimonii ex essentia sua consensum in illas obligationes exigit. Quisquis ergo intentionem habet excludentem aliquam ex iis obligationibus, eo ipso excludit matrimonii substantiam ac proinde invalide contrahit. — Dixi : **per se** ; nam *alia distinctione* hic opus est. et videndum : num prava ista intentio se habeat ad contractum **antecedenter**, ita ut nolint contrahere, nisi cum intentione excludente aliquam obligationem ; an vero **concomitanter** tantum, ut plerumque contingit, ita ut, non obstante prava intentione, habeant generalem voluntatem faciendi verum matrimonium. Hinc v. g. si tempore contractus uterque vel alteruter contrahens suam intentionem alligat errori de solubilitate matrimonii in casu adulterii, juxta placita sectae suae aut legis civilis, ita ut prorsus nolit contrahere, nisi sub conditione solubilitatis ; tunc matrimonium invalidum est in foro interno, etiamsi conditio mente retineatur et nullo modo deducatur in pactum ; quia scilicet nolunt aliter nisi dissolubiliter contrahere, adeoque sub conditione substantiae matrimonii contraria. Si vero, ut *ordinarie* fit, contrahentes existimant quidem matrimonium in casu adulterii esse solubile, sed ad eam existimationem suam intentionem tempore contractus non limitarunt et habuerunt voluntatem generalem contrahendi matrimonium validum, ita ut illa existimatio erronea de solubilitate matrimonii in casu adulterii se habeat *concomitanter*, cum equidem sine illa contraxissent, in eo casu valet matrimonium. Intentio enim generalis contrahendi legitimum matrimonium, quale unice est matrimonium indissolubile, praevalet utpote efficacior errori privato, et quasi absorbet intentionem contrahendi juxta placita sectae aut legis civilis. Sic etiam valide baptizat qui vult facere quod Christus instituit, non autem quod facit Ecclesia Romana (Lugo, *de sacr. in gen.* disp. 8, sect. 8). — In foro autem **externo** semper praesumitur adfuisse generalem voluntatem, atque

adeo errorem quemlibet substantiae matrimonii adversum mere concomitanter se habuisse, donec probetur contrarium (1).

Q. 45. *An* SUBSTANTIAE matrimonii ac proinde illius VALORI *obstet* conditio, in pactum deducta, *servandi perpetuam castitatem et debitum non petendi?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Plures **affirmant,** quibus favet BENED. XIV (*de Syn.* l. XIII, c. 22, n. 12); qui simul ostendit (n. 13) contra hanc sententiam nihil posse inferri ex matrimonio B. M. V., cum huic nulla apposita fuerit conditio, juxta S. THOM. (in 4 Sent. dist. 30, q. 2, a. 1, quaest. 2 ad 2), ubi scribit : « *B. Virgo, antequam contraheret cum Joseph, fuit certificata divinitus, quod Joseph in simili proposito erat; et ideo non se commisit periculo nubens; nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit; quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum; talis enim conditio cum sit contra matrimonii* BONUM *scilicet* PROLEM *procreandam, matrimonium tolleret.* » Multi alii **negant** cum BILL. et BALLER., quorum sententia multo probabilior est : quia conditio illa excludit solum usum licitum, non vero ipsum jus seu dominium radicale ad copulam, quod solum ad essentiam matrimonii pertinet. Nec aliter sentit S. THOMAS; et si dicat talem conditionem esse « *contra matrimonii bonum,* » seu adversari ejus substantiae, id profecto intelligit, quatenus apponens hanc conditionem nolit concedere jus in proprium corpus (*ibid.* ad 3). — Nec **obj.** : conditio « *si generationem prolis evites,* » in pactum deducta, est contra substantiam matrimonii; ergo sequens « *si castitatem serves.* » **Resp.** enim *disting.* antecedens : Est contra substantiam matrimonii conditio si generatio-

(1) Confirmatur ex Litt. PII VI « *Gravissimum matrimonii* » *ad Archiep. Prag.* (11 Jul. 1789) ubi loquens de matrimoniis haereticorum putantium divortium in casu adulterii licere, sic ait : « *Si conditio legalis vinculi conjugalis allatis de causis solvendi per pactum expressum matrimonio apponatur, nullum et irritum ab initio dicendum erit matrimonium.... Si vero nulla fuit apposita expressa ejusmodi conditio repugnans substantiae matrimonii, licet contrahentes generatim intendant contrahere juxta placita sectae aut legis concedentis dissolutionem vinculi conjugalis, nihilominus matrimonium valide contractum censendum erit.* » Ap. R. T. F. (IV, 94).

nem prolis evites *positive et immediate in se*, v. g. procurando abortum, committendo peccatum Onam, *Conc.* Si evites generationem prolis *negative* tantum, abstinendo scilicet a copula, *nego*. Non enim est de substantia matrimonii uti conjugio,sed posse uti.—Utut sit, **ante** *factum* non licet sic contrahere, ne sacramentum exponatur periculo nullitatis; **post** *factum*, standum est pro valore actus.

Q. 46. *An* repugnet *bono prolis* SUBSTANTIALI stipulatio : sive 1°) *de abjicienda prole;* sive 2°) *de ea educanda in infidelitate positiva* aut *in haeresi?*

R. Ad 1^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Stipulatio illa duo significare potest : vel prolis **expositionem,** vel ejusdem **ejectionem,** unde natum est sequi mortem. — Si **primum** : non videtur repugnare, quum parentes non rejiciant obligationem educationis, sed conveniant de actu, quo ab aliis educetur. — Si **secundum** : stipulatio adversatur bono substantiali prolis. Sic in imperio Sinensi parentes solent abjicere liberos vix natos, ibique abjicere est morti tradere; quare si in matrimonii celebratione convenirent de abjiciendis infantibus, matrimonium viribus destitueretur. Quod si stipularent vendere prolem Christianis, neque superadderent pacto : « *quod proles rejicienda sit*, » nihil substantiae matrimonii contrarium statuere viderentur.

R. Ad 2^{um}) *Negat* communis sententia.

Explanatur. Quamvis enim hujusmodi pacta semper sint irrita et graviter illicita, quia adversantur bono prolis *spirituali*, non tamen adversari videntur matrimonii substantiae,quum de substantia prolis potius sit bonum physicum seu temporale, quam bonum ejus spirituale. Vitam enim prolis naturalem parentes curare debent qua *conjuges;* spiritualem vero qua *christiani*, potius quam ut conjuges.

Q. 47. *An* contrahentes sub pacto *non plures quam duos filios procreandi*, subintelligentes vel expresse stipulantes se post secundum partum matrimonio usuros ad modum *Onan*, VALIDE contrahant?

R. *Negative.* Haec enim conditio adversatur substantiae matrimonii. Idem *a fortiori* dicendum est, si fieret stipulatio de usu successivo matrimonii ad modum *Onan*.

CAP. 4. De fine cur matrimonium institutum fuit, deque ejus honestate, praecepto et effectibus.

Q. 48. In quem *finem* institutum sit matrimonium?
R. Ob *triplicem* potissimum finem.

Explanatur. Institutum fuit : 1°) **Ad propagandum** et **conservandum genus humanum,** per generationem et educationem prolis. Et hic quidem finis *primarius* est, ad quem matrimonium non tantum ex natura sua, sed etiam ex positiva Dei voluntate ordinatum est, dicente Deo (Gen. I, 27) : « *Crescite et multiplicamini.* » 2°) **Ad mutuum viri et mulieris solatium et adjutorium,** juxta illud (Gen. II, 18) : « *Non est bonum esse hominem solum : faciamus ei adjutorium simile sibi.* » 3°) Post lapsum protoparentum, matrimonium etiam cessit **in remedium concupiscentiae,** quod multo adhuc efficacius praestat, postquam a Christo ad dignitatem sacramenti elevatum fuit gratiamque confert ad vitanda libidinis peccata. Quod igitur *sanis* erat in officium, *aegrotis* cessit in remedium, non quidem ulla constitutione nova, sed sola rerum mutatione, juxta illud (Gen. III, 7) : « *Et aperti sunt oculi amborum ; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata.* » Immo, contendit S. Chrys. (l. de *Virg.* c. 19, et hom. *Quales ducendae sint uxores,* § 5) hunc finem **NUNC** temporis esse **praecipuum,** ut patet ex verbis Apost. (1 Cor. VI, 2 seqq.) : Propter fornicationem *autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat... Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus;... et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter* incontinentiam *vestram... Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri.* » Ex quibus concludit S. Chrys. : « *Hoc conjugio spectandum est,* maxime *ut peccatum effugiamus, ut immunes simus a scortationibus ; in hoc quaerendae sunt nuptiae, ut ad vitam pudice gerendam nos adjuvent.* »

Q. 49. *An* 1°) matrimonium sit *honestum ;* an 2°) *virginitati* aut *coelibatui* praeferendum ; an 3°) sit *in praecepto?*
R. Ad 1^{um}) Cum matrimonium a Deo sit institutum et quidem in fines honestos, patet, illud in se licitum esse et honestum.

Explanatur. Et confirmatur ex eo quod Christus ad illud cohonestandum sua praesentia matrimonio interfuit illudque ad dignitatem sacramenti elevavit. Praeterea in Lege Nova licet commendetur continentia, nusquam tamen matrimonium vel ejus usus reprobratur. Quin praecipit Apost. (1 Cor. VII, 3) : « *Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro*; » et junioribus viduis consulit (1 Tim. V, 14) : « *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse.* » Hinc SS. PP. Irenaeus, Clem. Alex., Epiph., Aug., acriter invecti sunt in antiquos haereticos : *Encratitas*, *Manichaeos*, *Marcionem*, *Saturninum*, *Priscillianum*, qui *Gnosticorum* placitis addicti conjugia humana propterea damnabant, quod corpus humanum a malo principio esse reputarent. De quibus omnibus egi in opere : Principia et errores.

R. Ad 2^um^) Negat., estque de fide definitum in Trid. (Sess. XXIV *de matr.* can. 10) : « *Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatui, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut coelibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.* »

Explanatur. Si enim, teste Christo, apud Matth. (XIX, 10), *non nubere* donum Dei sit adeo perfectum, ut pauci illud capiant, ipseque Christus ad continentiam amplectendam propter regnum coelorum adhortetur, profecto sequitur, eam per se vita conjugali esse perfectiorem et tutiorem viam ad coelum. Accedit, quod Christus ex *virgine* nasci voluerit : *virginem* habuerit nutritium patrem S. Joseph, et praecursorem Joan. Baptistam; ipse *virgo* per totam vitam permanserit; prae omnibus discipulis S. Joannem *virginem* dilexerit eique soli *virginem* matrem moriens commendaverit.

R. Ad 3^um^) *Sub distinctione*, juxta dicta (tom. II, pag. 305).

Explanatur. Matrimonium considerari potest vel respectu **collectionis** hominum, vel respectu **singulorum**. — Si **primum** : dicendum est : dari quidem praeceptum matrimonii naturale ac divinum respectu *communitatis*, ut propagetur et conservetur humana species. — Si **secundum** : *subdistinguendum* est et dicendum, dari praeceptum pro *primis mundi temporibus*, quibus replenda erat

terra; secus vero pro *hac mundi aetate*, qua repleta est tellus nec timendus est speciei humanae interitus. — Itaque ad **individuos** quod attinet, audiatur Aug. (l. de *bono conj.* c. 9) : « *Colligitur* primis temporibus *generis humani, maxime propter Dei populum propagandum... uti debuisse sanctos... bono nuptiarum.* » Ast, uti scribit alibi (l. 1. *de nupt. et concup.* c. 15) : « *Haec propagatio filiorum, quae in SS. Patribus propter generandum et conservandum populum Dei officiosissima fuit tunc,* jam *non habet illam necessitatem.* » Addit Cat. Rom. : « Nunc *enim, aucto jam humano genere, non solum ulla lex uxorem ducere aliquem non cogit, sed potius virginitas summopere commendatur et unicuique in Sacris Litteris suadetur, ut quae matrimonii statu praestantior sit majoremque in se perfectionem et sanctitatem contineat.* »

Q. 50. *Quinam* sint effectus matrimonii ?
R. Sunt sequentes.

Explanatur. Sunt : **1°**) vinculum indissolubile; **2°**) potestas in mutua corpora in ordine ad copulam conjugalem, ex qua potestate sequitur jus petendi et obligatio reddendi debitum conjugale; **3°**) obligatio mutua fidelitatis; **4°**) obligatio prolem susceptam debite educandi; **5°**) obligatio cohabitandi et se invicem adjuvandi. His **6°**) accedit in matrimonio *christianorum* gratia sanctificans secunda, et per accidens prima, gratia etiam sacramentalis, i. e. gratia habitualis seu ejus augmentum cum speciali vigore et robore in ordine ad fidem mutuo servandam, ad conjugaliter et caste vivendum, et ad onera matrimonii ferenda.

CAP. 5. De fine proponendo in matrimonio.

Q. 51. *Qui* sint fines proponendi in matrimonio, ut *valide* et *licite* quis contrahat?

Praenotandum. *Tres* fines in matrimonio considerari possunt : fines **intrinseci essentiales** ; fines **intrinseci accidentales**, et fines **extrinseci.** — *Primi* matrimonio ita sunt proprii, ut illius substantiam constituant, suntque tria bona matrimonii spectata in actu primo seu quoad obligationem (pag. 51). — *Secundi* sunt ipsi fines ob quos a Deo matrimonium institutum fuit (pag. 56). Dicuntur : tum *intrinseci*,

quia ad illos matrimonium per se tendit; tum *accidentales*, quia a contrahentibus, salva matrimonii substantia, positive excludi possunt. — *Tertii* sunt quicumque alii praeter fines hucusque recensitos, ut si quis nuberet ad pacem familiarum conciliandam, ad divitias consequendas, aut voluptatem ex copula captandam. His positis :

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Certum est, quod si quis contraheret positive excludendo fines *intrinsecos essentiales*, nempe animo, ut aliquam ex obligationibus, quae ad substantiam matrimonii pertinent, nullatenus suscipere vellet, non solum peccaret, sed nullum iniret matrimonium quoad forum internum, juxta dicta (pag. 51).

2°) Certum est, quod si quis excluderet fines *intrinsecos accidentales*, non solum *valide* sed etiam *licite* posset aliquando contrahere, prout si esset senex et nuberet sine spe procreandi prolem, nec intenderet remedium concupiscentiae. Sufficit enim, quod salventur fines substantiales; et sic contraxerunt B. V. et S. J., qui utique non intenderunt procreationem prolis nec remedium concupiscentiae, et tamen validum et licitum conjugium inierunt.

3°) Probabilius *nequidem venialiter* peccaret, qui nubendo, inter fines *intrinsecos accidentales*, principaliter intenderet finem *secundarium*, modo finem *primarium*, qui est procreatio prolis, non excluderet. Quod confirmatur ex Cat. Rom., qui postquam enumeraverat fines intrinsecos accidentales, continuo addit : «*Hae igitur sunt causae, quarum aliquam sibi quisque proponere debet, ut pie et religiose, ut sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere.*» Ad rationem autem contrariae sententiae, nempe : quod sit deordinatio eligere finem secundarium prae primario, respondetur : quod deordinatio quidem esset, si ordinetur finis primarius ad secundarium; sed non, si ex duobus finibus licitis secundarius prae primario eligatur.

4°) Certum est, eos *non peccare*, qui nubendo, praeter fines conjugii intrinsecos, *secundario* intendunt alios fines licet matrimonio *extrinsecos* et *in se indifferentes*. Hinc ait Cat. Rom. : «*Quod si ad eas causas* [intrinsece accidentales] *aliae etiam* [extrinsecae] *accedant, quibus homines inducti matrimonium ineant atque in habendo uxoris delectu hanc illi praeponant, ut :* haeredis relinquendi desiderium, divitiae, forma, generis splendor, morum similitudo, *hujusmodi sane*

rationes damnandae non sunt, cum matrimonii sanctitati non repugnent; neque in SS. LL. Jacob patriacha reprehenditur, quod Rachelem, ejus pulchritudine illectus, Liae praetulerit. »

5°) *Disputant* DD., an licitum sit contrahere *principaliter* ob fines *extrinsecos*, nempe ad voluptatem captandam, etc. Ille vero *principaliter* ob finem extrinsecum, v. g. ob divitias contrahere dicitur, qui cum esset determinatus ad non nubendum, ideo suum mutat propositum, quia sibi occurrit foemina dives; nubendo tamen fines matrimonii proprios et intrinsecos non excludit : alias enim non principaliter, sed *unice* seu *solum* propter divitias contraheret, Hoc posito, *distinguendum* esse arbitror inter fines extrinsecos. Alii enim sunt, qui per se **honestatem moralem** continent, quales sunt : pax reipublicae; pax, charitas et amor inter consanguineos; illustris familiae conservatio, etc. Alii vera sunt **indifferentes,** in quibus nulla moralis honestas relucet, uti sunt voluptates, honores, divitiae, etc. Si quis principaliter contrahat ob fines extrinsecos **honestos**, nullum committit peccatum, sed potius actum virtutis moralis exercet : quia finis actionis est honestus; et medium, quo ad illum obtinendum utitur, est pariter honestum; ergo ex nullo capite actio vitiari potest. Si vero ob finem **indifferentem** matrimonium ineatur, etsi *probabile* sit, peccari tunc venialiter, eo quod alienum sit a rationali natura operari absque fine virtutis, attamen «*probabilius*» censeo cum Castro Palao, nullum in praesenti esse peccatum : tum quia matrimonium per se est actus honestus; tum quia velle obtinere aliquid temporale, actu per se honesto, inhonestum non est, ut si quis oraret ad obtinendum successum in negotio temporali. Ergo nullum est peccatum velle contrahere matrimonium retinendo illius fines, ut illo contracto uxoris pulchritudine et dote copulaeque voluptate fruaris : quia eo casu non operaris absque fine virtutis, qui in ipso opere intrinsece inhibitur, et quem in executione ipsius operis intendis, cum illum non excludis. — Nec **obstat** propositio damnata ab Innoc. XI sub n. 6 : «*Opus conjugii ob* solam *voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.*» Intrinseco enim vitio laborat ob particulam *solam*, quae positive excludit alios quosvis fines, in quos actio hujusmodi ordinatur (tom. I, p. 62 seq.). Quod vero quis ad opus alliciatur appetitu delectationis, sicuti ad laborem spe praemii, id ordini naturae esse

consentaneum docet S. Thom. (*Contra gent.* l. III, c. 26. n. 6 et 7) : « *Delectatio, quae consequitur bonas et appetendas operationes, bona est et appetenda; idque convenit cum ordine naturae... Videmus enim quod natura illis operationibus animalium delectationem apposuit, quae sunt manifeste ad fines necessarios ordinatae... Nisi enim adesset delectatio, animalia a praedictis usibus necessariis abstinerent.* »

CAP. 6. De variis matrimonii divisionibus. Ubi de matrimonio naturali et sacramentali; legitimo, rato et consummato; vero, putatitio et praesumpto; conscientiae seu secreto et morganatico.

Q. 52. *Quaenam* sînt matrimonii DIVISIONES?
R. Sunt *quatuor* sequentes.

Explanatur. Dividitur 1°) in **naturale** et **sacramentale** (pag. 44). *Naturale* iterum dupliciter spectari potest : *active* seu *in fieri*; et *passive* seu *in facto esse*. Utrum quoque matrimonium *sacramentale* eodem modo spectari valeat, dictum fuit (pag. 47).

Dividitur 2°) in **legitimum, ratum** et **consummatum.** A) **Legitimum** dicitur, quod legitimo consensu contrahitur inter personas habiles; et tale matrimonium datur non solum inter fideles i. e. baptizatos, sed etiam inter omnes illos infideles, qui legitime contrahunt. Hinc pro *infidelibus* requiritur consensus legitimus et absentia cujusvis impedimenti quod matrimonium aut jure *naturae* aut jure *positivo divino* invalidum reddat. Ubi *vero* agitur de *fidelibus*, requiritur insuper absentia cujusvis impedimenti quod matrimonium *jure ecclesiastico* irritum facit : quia hi non illi legibus ecclesiasticis subjiciuntur. B) **Ratum** dicitur, quod inter baptizatos nullo jure impeditos legitime contrahitur ac praeter valorem contractus participat dignitatem sacramenti. Itaque *ratum* matrimonium in se includit *legitimum*, sed insuper addit rationem sacramenti, per quod majorem firmitatem acquirit, esto nondum sit consummatum. Saepe tamen *ratum* sumiter pro quovis matrimonio legitimo, cui nondum accessit copula carnalis, sive sit sacramentum, sive non. Sed tunc plerumque dicitur cum addito : *ratum tantum*, vel *ratum nondum consummatum*. Quin imo aliquando matrimonium ratum nihil aliud significat, quam matrimonium validum.

Proprie loquendo, matrimonium *ratum tantum*, seu *ratum non consummatum* significat matrimonium legitimum inter fideles, quod copula carnali nondum completum est. C) **Consummatum** dicitur utrumque matrimonium, tum legitimum infidelium, tum ratum fidelium, quando per copulam carnalem ad generationem aptam *extrinsece* completur. Dixi *: extrinsece ;* quippe juxta dicta (pag. 48) usus matrimonii ad ejus essentiam minime pertinet. Ut tamen dici queat *consummatum*, duo requiruntur : **a**) Ut copula carnalis sit perfecta et sufficiens ad generationem, adeo ut conjuges effecti simul fuerint una caro. Non ea ergo sufficeret in qua, etsi dempta mulieri foret corporalis virginitatis integritas, deficiente tamen apta virilis seminis effusione, generatio sequi non posset. **b**) Ut talis copula habita fuerit post legitimum matrimonium. Nam quae forsan habita fuisset ante ejus celebrationem, non efficit ut contractum postea matrimonium dici queat consummatum. Erat enim copula fornicaria non conjugalis; nec utique matrimonium, quod tunc nondum erat, consummari potuit, ac proinde secutum matrimonium, donec nova copula accesserit, censetur ratum et per professionem religiosam vel pontificis dispensationem adhuc solvi potest. Et licet ad legitimandam prolem ex copula anteriori genitam, matrimonium in favorem prolis retro exstitisse fingatur, nihilominus non quoad alios effectus retro habetur pro consummato.

Dividitur 3°) in **verum**, **putatitium** et **praesumptum.** **A**) **Verum** dicitur, quod reipsa et valide contractum est, atque ut tale est probatum uno ex iis argumentis quibus cetera negotia probari solent, cujusmodi est parochi vel aliorum testimonium, liber matrimoniorum, confessio conjugum, diuturna viri et honestae foeminae cohabitatio. Et quidem leviores probationes sufficiunt, cum agitur de matrimonio *sustinendo*, quam cum res est de eo *dissolvendo*. **B**) **Putatitium** est, quod legitime contractum existimatur, cum tamen a parte rei, ob latens aliquod impedimentum, sit nullum. A falsis connubiis distinguitur hoc solo, quod filii ex eo suscepti habeantur legitimi, quando haec duo adsunt : **a**) Ut contractum sit *bona fide*, saltem ab alterutro conjugum; **b**) Ut contractum fuerit *publice* et in facie Ecclesiae, i. e. coram parocho et testibus et praemissis vel saltem dispensatis denuntiationibus. **C**) **Praesumptum** dicitur matrimonium, quod a jure praesumi-

tur fuisse contractum, ut in casu relato supra (pag. 18 seq.). Quam juris praesumptionem abolevit Leo XIII juxta dicta ibidem.

Dividitur 4°) in matrimonium **conscientiae** et **morganaticum.** — **A) Conscientiae** matrimonium, quod non est confundendum cum *clandestino*, illud est, quod omissis denuntiationibus contrahitur coram parocho aut alio sacerdote ad hoc deputato ac duobus testibus, sed ea lege ut, ad evitanda hominum improbrantium dicteria aliasque molestias quas facile subirent conjuges, matrimonium non reveletur, sed *secretum* maneat, quamdiu conjugibus ipsis illud publicare non placuerit. Dubium non est, quin validum sit, cum omnia essentialia includat. Quia tamen mens Ecclesiae est, ut matrimonia publice celebrentur, et aliunde ex matrimoniis *conscientiae* gravia mala nata sunt sequi, tum quod vir postea aliam foeminam spe matrimonii facile seducere possit; tum quia proles a parentibus separentur sicque minus recte educentur; idcirco illud permittendi facultatem Bened. XIV, Const. « *Satis Vobis* » (17 Nov. 1741) solis tribuit episcopis, sub datis conditionibus, quarum praecipuae sunt : **a**) Ut adsit urgentissima causa, ut si vir et mulier in occulto concubinatu vivunt neque ulla criminis suspicio adsit. Quem casum proponit Pontifex, quin alios similes excludat episcopi judicio. Et sic aliquando permittitur matrimonium *conscientiae*, quando vir et mulier sunt conditionis valde disparis, vel quando consanguinei contrahentium matrimonio adversantur illudque omnino impedire conantur. **b**) Ut omnino constet, nullo ligari impedimento partes, quae insuper tenebuntur intra dies 30 prolem natam et baptizatam denuntiare episcopo. Secus in gratiam filiorum publicatur matrimonium. **c**) Ut in cancellaria episcopali liber retineatur sigillo clausus, ubi illud matrimonium describatur, et alio simili libro proles inde nata adnotetur. Qui quidem libri omnem merentur fidem. — **B) Morganaticum** seu *ad morganaticam* a consueto matrimonio non differt, nisi quoad effectus quosdam civiles. Est vero in specie hujusmodi : vir nobilis atque illustris, defuncta uxore, ducit aliam inferioris conditionis, eo pacto, ut nec ipsa nec liberi ex ea nascituri dignitatem mariti ac patris aut haereditatem paternam consequantur, sed donatione *morganatica* seu certo titulo certisque bonis per pactum assignatis contenti sint. Dicitur *ad morganaticam*, quae vox videtur germa-

nica, ducta a *morgen*, matutinum, et *gab*, donum, quia nempe et uxor et filii contenti esse debent solo illo dono quod sibi ab initio quasi matutino die nuptiarum tribuitur. Ideo introductum fuit, ne viri nobiles, praesertim principes, cum periculo incontinentiae innupti manere quasi cogantur, et simul ut illustrium familiarum conservationi prospiceretur, dum filii ex priori matrimonio susceptI a damno serventur immunes.

CAP. 7. De veritate sacramenti matrimonii deque tempore institutionis hujus sacramenti.

Q. 53. *An* matrimonium sit SACRAMENTUM?

R. In L. N. matrimonium esse veri nominis sacramentum, de fide est ex TRID. (Sess. XXIV *de matr.* can. 1) : « *Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a C. D. institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* » Idem clare jam antea tradiderat FLOR. dicens : « *Septimum est sacramentum matrimonii.* »

Explanatur. Et sane in matrimonio *tria* inveniuntur, quae requiruntur et sufficiunt ad sacramentum constituendum. 1°) **Signum sensibile,** quod habetur in contractu externe expresso. 2°) **Collatio gratiae,** ut conficitur ex verbis Pauli (EPHES. V, 25 seqq. : « *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam... Ita et viri diligere debent uxores suas ut corpora sua. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis ejus* [Christi] *de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* » Non desunt DD., iique nobilissimi, quos inter CAJETANUS, VASQUEZ, ESTIUS, etc., qui existimant ex Scripturis tantum probari posse matrimonii *dignitatem*, non vero illud conferre gratiam. Ast in praecitatis verbis, illud saltem *innui*, ut utar verbo Patrum TRIDENTINORUM, sequenti ostenditur argumento. Juxta

Paulum matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia; atqui haec conjunctio est per gratiam. Ergo conjunctio conjugalis etiam talis esse debet, alioquin non posset significare conjunctionem Christi cum Ecclesia. Vel etiam : Paulus viros adhortatur, ut uxores diligant, sicut et Christus Ecclesiam ; i. e. adhortatur conjuges Christianos, ut sese amplectantur amore praecipue supernaturali. Atqui ad talem amorem, eumque perpetuum (non enim loquitur de amoris actu uno alterove) necessaria est jugis gratia quam sacramenta conferunt. Ergo in verbis Pauli saltem innuitur in societate conjungali Christianorum sacramentalem adesse gratiam. 3°) **Institutio divina** ex eo apparet quod solius Dei sit, signo sensibili annectere gratiam. Confirmatur ex *Traditione*, ad quam probandam, praeter effata SS. PP., decreta CC., et libros liturgicos, praecipue confert unanimis perpetuusque Ecclesiae tum orientalis tum occidentalis consensus in confitendo septennario numero sacramentorum (tom. III, pag. 447 seq.); quae quidem universarum nationum atque sectarum perfecta consensio non aliunde provenire potest, quam a primitiva Apostolorum traditione, ut saepius jam dixi. Stat itaque dogma catholicum multiplici argumento probari, ut declaravit Leo XIII Enc. « *Arcanum divinae Sapientiae* » inquiens : « Apostolis *magistris referenda sunt, quae sancti* Patres *nostri.* Concilia *et universalis Ecclesiae* traditio *semper docuerunt : nimirum Christum Dominum ad Sacramenti dignitatem evexisse matrimonium ; simulque effecisse ut conjuges coelesti gratia quam merita ejus pepererunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso conjugio adipiscerentur ; atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturae consentaneus perfecisse, et viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinae caritatis vinculo validius conjunxisse.* »

Q. 54. *Quandonam* Christus INSTITUERIT istud sacramentum?
R. *Controvertitur.*

Explanatur. Datur **triplex** sententia. Juxta alios, quum, repudiato libello repudii, matrimonium reduxerit ad legem primitivam indissolubilitatis, dicens (Matth. XIX, 6) : « *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* » Juxta alios, quum nuptiis in Cana Gali-

laeae benedixit ipsasque miraculo illustravit. His favet S. Cyril. Alex (*epist. ad Nest.* a PP. Ephesinis confirmata); S. Epiph. (*haer.* 67); S. Aug. (tract. 9 *in Joan.* cap. 2). Juxta alios, quando post resurrectionem per 40 dies in terra versabatur cum Apostolis, *varia loquens de regno Dei.*

CAP. 8. De materia, forma et ministro sacramenti matrimonii.

Q. 55. *Quae* sint MATERIA et FORMA sacramenti matrimonii?

R. Contractus matrimonialis, i. e. mutuus consensus verbis vel signis expressus, quo vir et mulier sibi tradunt dominium radicale in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, est *materia* simul et *forma* hujus sacramenti, sed sub *diverso* respectu.

Explanatur. Nec mirum : cum enim sacramentum matrimonii non sit nisi contractus matrimonialis ad dignitatem sacramentalem elevatus, necesse est, ut in ipso contractu materia et forma reperiantur. Quare, sicuti in ceteris contractibus res sunt *materia remota,* rerum vero traditio materia *proxima*, et acceptatio per verba seu signa sint *forma*; ita sacramenti matrimonii *materia remota* sunt corpora seu jus mutuum in corpora; *materia proxima* est mutua corporum seu juris in corpora traditio; *forma* vero sunt mutua corporum seu juris in corpora acceptatio, facta signo sensibili consensum internum exprimente (Cfr. Bill.). Et haec quidem sententia est *unice vera*. Postquam enim constat, nullum matrimonium inter Christianos esse, quod non sit sacramentum, et valida habenda esse matrimonia quae absque sacerdote forte celebrentur in locis ubi decretum Trid. quoad clandestinitatem non viget; manifestum est, ad materiam sacramenti nec manuum impositionem, nec aliud quidpiam, quod a sacerdote praestetur, ullatenus pertinere. Quocirca prorsus obsoleta et illa opinio est, quae matrimonii formam in verbis a sacerdote prolatis statuebat. Quare verba sacerdotis : *Ego vos in matrimonium conjungo* nullatenus significant : ego vos supernaturaliter conjungo per gratiam sacramenti, ut quibusdam visum fuit; sed simpliciter significant : Ego matrimonium vestrum auctoritate Ecclesiae ratum habeo et confirmo seu approbo.

Q. 56. *Quis* sit MINISTER sacramenti matrimonii?

R. Ex Actis S. Sedis, quibus statuitur : *sacramentum matrimonii non esse qualitatem accidentalem contractui superadditam, sed spectare ad ipsam essentiam matrimonii inter Christianos initi, ut adeo sacramentum matrimonii in connubio Christianorum identificetur cum ipso contractu ; nec inter fideles matrimonium dari posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum ;* prorsus colligendum est, quod alioquin tenuit semper opinio communior magisque recepta, *ipsos contrahentes* esse sacramenti matrimonii *ministros*, ut adeo controversiae, quae olim hac de re ventilatae sunt, jam omnino sint antiquatae et ad historiam amandandae.

Explanatur. Nisi enim ipsi sponsi baptizati, contractum matrimonialem ineundo, uno eodemque tempore sacramentum perficiant ac proinde ejusdem sint ministri, asserere quis poterit : sacramentum matrimonii esse tantum quid contractui accessorium, non autem esse ipsam essentiam matrimonii christiani, proindeque ipsum sacramentum non identificari in connubio Christianorum cum ipso contractu, darique posse inter fideles matrimonium quod simul non sit sacramentum. Atqui haec asserere vetat S. Sedes. Ergo ex ejusdem oraculis luculenter conficitur, ipsos contrahentes esse ministros hujus sacramenti. Quae quidem sententia, quam jure merito PERRONE vocat «*unice veram*» immo et «*Ecclesiae catholicae doctrinam,*» communior semper, fatente BENED. XIV (*de Syn.* l VIII. c.14.n.5), atque magis recepta est. — In hanc enim **conspirant** : 1°) Canonistae fere omnes et unanimiter quidem Scholastici, quorum ne unus quidem noscitur contrariam docuisse sententiam et scriptis edidisse, ante MELCH. CANUM, qui suum de *Locis theologicis* opus edidit an. 1562, quemque inter alios secuti sunt : SYLVIUS, ESTIUS, TOURNELY, DROUIN, DAELMAN; ut adeo sententia CANI fuerit novitas in Ecclesia ceterarumque novitatum sortem jure merito sit adepta. Unicus audiatur, Scholasticorum princeps, S. THOM. (*Suppl.* q.42, a.1 ad 1) inquiens : « *Verba quibus consensus exprimitur matrimonialis sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio sacerdotalis, quae est quoddam sacramentale.*» — **Conspirat** : 2°) Conc.

Flor. dicens : «*Causa efficiens matrimonii est regulariter mutuus consensus per verba de praesenti expressus.*» (Dicitur : *regulariter;* quia consensus mutuus ordinarie *verbis*, interdum tamen *nutibus* et *signis* exprimitur.) Jam vero *contrahentes*, non vero *sacerdos*, consensum dant et per verba exprimunt, adeoque efficiunt sacramentum; qui autem efficit sacramentum, est illius minister. Nec dicatur Concilium loqui de matrimonio prout est contractus, cum dicatur : «*causa matrimonii,*» non vero *causa sacramenti.* Nam ibi agi de matrimonio, uti est sacramentum, sequentibus conficitur : **A**) Quia Eugenius IV profitetur, se sacramentorum doctrinam Armenis tradendam assumere. **B**) Quia verbis declarat, se sermonem facere de sacramento matrimonii, cum dicat : «*Septimum est sacramentum matrimonii.*» **C**) Quia nihil opus erat, ut doceret Armenos quomodo naturali contractu matrimonium perficeretur; id quippe latebat neminem et a Pontificis scopo erat alienum. — **Conspirat : 3°**) Conc. Trid. Nam **A**) docet (Sess. 24 *de ref. matr.* cap. 1) : « *Clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta*, rata *et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.*» Jam vero ex recepto a SS. Canonibus loquendi modo, matrimonia Christianorum propterea proprie dicuntur *rata*, quia vera et proprie dicta sunt sacramenta (pag. 61 seq.). **B** Ibidem describens ritum, quo matrimonium in facie Ecclesiae sit celebrandum, ait : «*Parochus, viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat :* Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris et Filii et Spiritus S.; *vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum.*» Quod ultimum profecto non adjecisset, si putasset verba sacerdotis constituere formam sacramenti; quippe relinquendo formas sacramentorum arbitrio provinciarum, mutationibus etiam essentialibus januam aperuisset. **C**) Declarans eodem in capite irrita matrimonia clandestina, ad valorem matrimonii requirit nudam praesentiam parochi et testium, nulla vero sacerdotis verba. Jam vero in sententia Cani aliorumque dicentium sacerdotem esse ministrum hujus sacramenti, Concilium parum sollicitum fuisset, ut fideles matrimonium contrahentes sacramentum susciperent. — **Conspirat : 4°**) S. C. C., quae declaravit (2 Mart. 1580) verba : « *ego vos conjungo* » non pertinere ad substantiam matrimonii, adeoque illud valere, etiamsi verba consensum exprimentia prolata

sint tantum a contrahentibus, dummodo adsit praesentia parochi et testium, quam absque verbis sufficere putavit.

Q. 57. *Quae* sint CONSECTARIA ex doctrina de *ministro* sacramenti matrimonii?

R. Varia sunt consectaria quae ex hac doctrina profluunt, ut patebit ex sequentibus resolutionibus.

Resolvitur 1. Quod parochus matrimonio assistat non tanquam minister sacramenti, sed: **A**) ut *minister Ecclesiae in tali solemnitate*, i.e. ut minister partis liturgicae hujus sacramenti; **B**) ut *testis qualificatus*, seu necessario requisitus, et qui non potest per alium quemcumque indifferenter suppleri, ita ut vel ipse aut alius sacerdos de ejus vel Ordinarii licentia adesse debeat. Voluit nempe Ecclesia, ut matrimonium, quia sacramentum est, sancte tractetur et religioso ritu celebretur; et ut de matrimonio rite et recte celebrato sibi constaret non per testes qualescumque, sed praecise per testem a se electum et sibi probatum, scilicet per proprium contrahentium parochum. In duobus vero vel tribus aliis qui adstare debent testibus Ecclesia speciales qualitates non requirit; sufficit, ut ad testandum sint idonei. **Resol. 2.** Quod sacerdos matrimonio assistens in statu peccati mortalis non committat grave sacrilegii peccatum, quia nec conficit nec administrat sacramentum. S. Lig. (VI, 40). **Resol. 3.** Contrahentes in statu peccati mortalis probabilius excusantur a reatu mortali, quatenus indigne administrant sacramentum, quia non sunt ministri specialiter ad id muneris consecrati. Peccant tamen mortaliter quatenus sacramentum indigne suscipiunt, quum matrimonium sit sacramentum vivorum. **Resol. 4.** Contrahentes quatenus ministri, ut valide conficiant sacramentum, debent habere intentionem saltem implicitam faciendi quod facit Ecclesia (tom. II, pag. 397 seq.); sed eam eo ipso habent, quod volunt contrahere juxta intentionem Dei et prout fit in Ecclesia. Quare necesse non est, illos de hoc specialiter instruere. Et sicuti nec pro ministro aliorum sacramentorum, ita nec pro ministro hujus sacramenti requiritur intentio *explicita* conficiendi sacramentum, modo tamen haec positive non excludatur; quo casu ne contractum quidem matrimonialem conficerent, cum illum non vellent nisi sub conditione impossibili, cum impossibile sit, ut inter christianos verum detur

matrimonium quod uno eodemque tempore non sit sacramentum.

CAP. 9. De requisitis in subjecto ad valide ac licite suscipiendum sacramentum matrimonii.

Q. 58. *Quaenam* requirantur ad *valide* suscipiendum SACRAMENTUM matrimonii?

R. *Tria* requiruntur : *baptismus*, *intentio* et *immunitas ab omni impedimento dirimente*, sive naturali, sive divino, sive ecclesiastico.

Explanatur. Itaque **requiritur : 1°)** *Baptismus*, cum homines non baptizati sint incapaces sacramentorum Ecclesiae (p. 46 seq.). Hinc **A)** matrimonium *infidelium*, licet validum esse possit in ratione contractus, invalidum tamen prorsus est in ratione sacramenti. Hinc **B)** certum e contra est, *haereticos* et *schismaticos*, valide baptizatos, sacramenti matrimonii esse capaces, si legitime contrahant. Quod confirmat praxis Ecclesiae, quae nullimodo eos adigit sive ad renovandum consensum, sive ad benedictionem nuptialem recipiendam, si resipiscentes ad catholicae Ecclesiae unitatem redeant. Nihil tamen vetat quominus, si voluerint, nuptiae a sacerdote benedicantur (Conc. Prov. *Dublin.* 1853). — **Requiritur : 2°)** *Intentio* suscipiendi sacramentum, quae semper adest eo ipso, quod velint valide contrahere, quum simul tunc implicite intendant suscipere quidquid a matrimonio christiano est inseparabile ac proinde sacramentum. Quod si positiva voluntate vellent excludere sacramentum, ne contractum quidem efficerent, cum illum non vellent nisi sub conditione impossibili : cum impossibile sit, ut inter christianos verum detur matrimonium, quod uno eodemque tempore non sit sacramentum. — **Requiritur : 3°)** *Immunitas* ab omni impedimento dirimente. Ratio est, quod absque ea ne contractus quidem consistere valeat, quippe qui inter personas jure habiles tantum iniri possit.

Q. 59. *An* 1°) matrimonium, quod *fidelis* ex Papae dispensatione contrahit cum *infideli*, sit sacramentum ex parte fidelis; et *an* 2°) matrimonium, quod *inter infideles* contractum fuerit, accedente *baptismo*, evadat sacramentum?

R. Ad 1^um^) *Controvertitur.*

Explanatur. Varii **negant** cum Bill. : quia ambo contrahentes se habent per modum unius subjecti ejusdem sacramenti ; non enim matrimonium in duobus contrahentibus duplex, sed unicum est sacramentum. Unde dum una pars non suscipit sacramentum, nec illud suscipit altera pars defectu capacitatis. Alii **affirmant,** adeo ut matrimonium, quod nequit claudicare in ratione *contractus*, bene claudicare possit in ratione *sacramenti*. Pro hac sententia, praeter Salm., Daelm., Coll., alios, stant : And. Vega, theol. Tridentinus, et Luc. Ferraris, qui illam studiose defendit. Et hanc *probabiliorem* esse existimo : secus, cum in prioribus saeculis aliquando moraliter necessarium esset, ut christianae mulieres nuberent ethnicis, sequeretur eas caruisse gratia valde ipsis necessaria ad sanctificandos viros infideles, quod asserere durissimum foret. Nec facile intelligitur, quomodo Ecclesia adhuc hodie hujusmodi conjugia aliquando permittat cum tanto damno fidelium.—Interim res incerta manet, nec ex Actis S. Sedis hucusque solutionem habet.

R. Ad 2^um^) *Controvertitur.*

Explanatur. *Triplex* invenitur sententia. **1°**) Alii simpliciter **affirmant,** dicuntque statim post baptismum absque ullo novo consensu matrimonium fieri sacramentum. **2°**) Alii **distinguunt,** dicuntque sacramentum tunc evadere, si post baptismum *renovent* consensum, et quidem coram parocho et testibus pro locis ubi decretum Trid. de clandestinitate est promulgatum. **3°**) Alii simpliciter **negant** cum Bill., quia licet consensum renovent et sacramentum intendant, non tamen per id fit novus contractus matrimonialis, sed confirmatur jam factus. Cum enim corpora fuerint jam antea tradita, nec possint tales conjuges iterum tradere quod suum non est, ex quo neuter conjugum habeat potestatem sui proprii corporis, non ponitur tunc nova materia vel forma contractus, adeoque nec sacramentum dari potest. — Existimaverim **primam** sententiam, quae, teste Bened. XIV (*de Syn.* lib. VIII, c. XIII, n. 8) **communior** est, et in quam conspirasse videtur S. Thom. (in 4, d. 29, q. unic. a. 2 ad 1), post solemnem loquendi modum a Pio IX est Leone XIII adhibitum, novum robur accepisse, cum ratio sacramenti in connubio christianorum a ratione contractus sejungi nequeat. — **In praxi,** si casus occurrat, parochus episcopum con-

sulat, eo magis, quod certis in locis, ex particularibus statutis, ut in STAT. DIOEC. MECHL. (n. 227), nullus adultus, extra casum necessitatis, baptismi aquis ablui possit, nisi praemonito episcopo et de ejus consensu. Praeterea notandum est, quod, ubi post validum matrimonium in utriusque infidelitate initum alterutra vel utraque pars convertitur et baptizatur, opus non sit *novo consensu*, neque etiam, si altera pars maneat infidelis, *dispensatione* in disparitate cultus, ut constat ex S. U. I. (14 Dec. 1848). Ubi tamen ambo conjuges baptizantur, hortandi sunt, ut *benedictionem nuptialem* suscipiant, ut eruitur ex decreto generali S. U. I. (31 Aug. 1881), de quo postea: simulque ipsis significandum est, « *benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii.* »

Q. 60. *Quaenam* requirantur ad *licitam* susceptionem SACRAMENTI matrimonii?

R. *Tria* requiruntur: 1°) status gratiae: 2°) absentia cujuslibet impedimenti impedientis; et 3°) observantia eorum, quae ad honestatem nuptiarum postulantur. Dicit enim RIT. ROM.: « *Nuptiae vero qua decet modestia et honestate fiant; sancta enim res est matrimonium sancteque tractandum.* »

Q. 61. *An* STATUS *gratiae*, requisitus ad licitam susceptionem, debeat esse obtentus per *confessionem?*

R. *Negat.*, sed sufficit, ut sit obtentus per *contritionem.*

Explanatur. Neque enim TRID., neque RIT. ROM., neque ulla lex generalis confessionem necessario praerequirit. En verba TRID. (Sess. XXIV *de ref. matr.* cap. 1): « *S. Synodus conjuges* HORTATUR, *ut antequam contrahant vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur et ad SS. Euch. sacramentum pie accedant.* » Nec verba RIT. ROM. praeceptum indicant. Dicit enim: « AC MONEANTUR *praeterea conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur et ad SS. Euch... accedant.* » Quare parochus non potest *absolute* exigere, ut praemittatur confessio celebrationi matrimonii, nisi lex seu praeceptum episcopi illud statuat (1); quo casu parochus *per se* exigere debet

(1) S. C. de P. F. interrogata de statuto particulari exigendi a nupturientibus testimonium confessionis respondit (21 Sept. 1840): « *Quoad*

confessionem aut saltem illius testimonium. Dicitur : *per se;* nam possunt occurrere casus, in quibus haec lex exceptionem admittere videatur, ut si matrimonium jam sit civiliter contractum et nolint confiteri; quod a fortiori dicendum est, si una pars testimonium confessionis requisitum exhibeat. — Ceterum, ut diximus (tom. III, pag. 221), absolvi possunt sub conditione sponsi *dubie dispositi*, proxime matrimonium contracturi, ne ex absolutionis denegatione, amplius ad confitendum non redeant et sacramentum matrimonii profanent.

Q. 62. *An* PAROCHUS ad sacramentum matrimonii admittere possit *indignos*, i. e. quos novit esse in statu peccati *mortalis*, immunes tamen a quolibet impedimento quod matrimonium vel dirimat vel impediat?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de peccatoribus **occultis,** vel de peccatoribus **publicis.** — Si **primum** : tunc peccatoribus occultis, si *publice* petant, parochus praesentiam et operam suam denegare non potest, ne bonam famam, ad quam jus retinent, amittant. Si enim parochus esset minister hujus sacramenti, illud hujusmodi peccatoribus administrare deberet; a fortiori operam suam palam petentibus conferre debet, quia non ut minister hujus sacramenti, sed tantum ut testis et minister solemnitatis assistit. — Si **secundum,** *subdistinguendum* est : sunt *peccatores publici* — vel ratione tantum **peccati mortalis,** — vel etiam ratione **censurae** qua notorie innodantur.

A) Si sint tales ratione tantum **peccati mortalis,** tunc *disputant* DD. Alii **affirmant** cum LUGO, LACROIX, LAYMANN, etc., modo tamen parochus, quantum commode fieri possit, prius conatus fuerit, disponere sponsos ad digne contrahendum. Ratio eorum est : quia parochus non est minister hujus sacramenti, sed tantum testis seu notarius publicus, ad quem non spectat examinare merita con-

fidem confessionis, suadendum ut exhibeant; sed si renuant, non ideo a matrimonio excludendi. » Ex quo sequitur quidem S. Sedem non probare ut propter recusatam confessionem denegetur assistentia sacerdotis; at non sequitur nullam antea exstitisse obligationem, aut episcopum non posse ferre statutum de confessione facienda.

trahentium, sed solum fidem facere et testari de iis quae videt. Unde ex una parte, cum sit publicus notarius, non potest suam praesentiam petentibus denegare; et ex alia parte, assistendo ipsorum matrimonio, excusatur a peccato, quia non nisi valde materialiter peccato indigne contrahentium cooperatur. Alii cum S. Lig. (VI, 54) *per se* **negant**, parochum assistere posse matrimonio eorum qui sunt publici peccatores: tum quia non sunt ad sacramenta admittendi; tum quia de jure naturae nemo potest cooperari peccato alterius etiam materialiter, nisi de causa gravi et aliquomodo proportionata malo quod permittitur in sacramenti profanatione, et ideo dictum est *per se*. Unde dari possunt casus in quibus tali matrimonio assistere posset, ut v. g. si parochus cogeretur metu mortis aut mali fere aequalis; vel si imminerent gravia mala communitati; aut si sponsi jam sint conjuncti civiliter: majus enim malum majusque scandalum ex fornicaria cohabitatione sequerentur. A fortiori posset assistere parochus, si unus e sponsis esset innocens, aut in meliorem vitam mutatus; item si sponsi solerent peccare inter se, ut si in concubinatu versarentur: quia tunc per matrimonium tolleretur tum scandalum, tum peccati occasio. Et huic posteriori sententiae omnino suffragatur tum auctoritas Bened. XIV (*Syn.* VII, 29), tum praxis S. Sedis. Sic ad **dubium**: « *Quid agendum cum pravis iis catholicis qui renuunt peccata confiteri, priusquam ad matrimonium accedant?* ita **respondit** S. C. de P. F. *ad Episc. Queb.* (17 Apr. 1820): « *Si catholici de quibus in dubio, sunt* vere publici peccatores *non sunt admittendi, nisi parochus* ex causis vere gravibus *excusari possit, quae recensentur penes probatos auctores quos consulat; si sunt* peccatores occulti, *praemissa salutari admonitione, etiamsi peccata sua confiteri recusaverint, non sunt a matrimonio excludendi.* » Huc quoque spectant decisiones S.U.I. (30 Jan. 1867 et 26 Maii 1897) ap. R.T.F. (III, 328seqq.; IV, 344seqq.). — Interim, si res moram patitur, **praestat** Ordinarium consulere, ut S.U.I. (l.c.) faciendum proponit.

B) Si sint peccatores publici etiam **censura** notorie innodati, prae oculis habeantur sequentes S. Sedis resolutiones. Imprimis ad **dubium**: « *Quomodo se gerere debeant parochi in celebratione matrimonii illorum qui* censuris *ecclesiasticis sunt notorie innodati?* »

S. Poenit. (10 Dec. 1860) ita **respondit** : « *Curandum pro viribus ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur ; at si reconciliari recusent, et nisi matrimonium celebretur, gravia damna imminere videantur, parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibus perpensis, quae a probatis auctoribus, praesertim a* S. Alph. (lib. VI, tract. I, c. 2, n. 54) *traduntur, ea declaret, quae magis expedire in Domino judicaverit, exclusa semper missae celebratione.* » Speciatim quoad addictos sectae **Massonum** respondit S. U. I. (21 Febr. 1883) : « *Quod attinet ad matrimonium, in quo una contrahentium pars* clandestinis *aggregationibus notorie adhaeret, donec Apostolica Sedes generale decretum hac in re non ediderit, oportet ut pastores caute ac prudenter se gerant ; et debent potius in casibus particularibus ea statuere quae magis in Domino expedire judicaverint, quam generali regula aliquid decernere ; omnino vero excludatur celebratio sacrificii Missae, nisi quando adjuncta aliter exigunt.* » Cui resolutioni praeiverant resolutiones ejusdem fere tenoris datae ab eadem S. U. I. (21 Aug. 1861 ; 28 Jun. 1865 ; 5 Jul. 1878) ap. R. T. F. (III, 335 seqq.).

Scholion. Si agatur de matrimonio *indigni* **ob peccatum**, dicendum videtur quod, quoties assistat tali matrimonio, parochus totum ritum Ritualis sui observare debeat, solemnem etiam benedictionem impertiendo, si aliunde nihil obstet. Nisi aliquando Episcopus, ad minuendum scandalum hujus profanationis, vel ex aliis justis causis, mere passivam parochi praesentiam exhibendam decerneret. Si vero agatur de matrimonio *indigni* **ob censuram** ex praecitatis decretis S. Poenit. et S. U. I., regulariter loquendo, excludenda est *celebratio missae* et consequenter etiam *benedictio nuptialis* quae infra missam impertitur.

CAP. 10. De proprietatibus matrimonii.

ART. I. De matrimonii unitate.

Q. 63. *Quae* 1°) sint PROPRIETATES matrimonii ; 2°) in *quo* sita sit ejus UNITAS ; et 3°) *quaenam* UNITATI *opponantur?*

R. Ad 1^{um}) Sunt *duae :* UNITAS et FIRMITAS, haecque *duplex*

est : tum quoad *vinculum*, tum quoad *thorum* et *cohabitationem*.

R. Ad 2um) UNITAS, quae etiam vocatur *monogamia*, in eo sita est, quod matrimonium sit conjunctio unius viri cum una foemina.

R. Ad 3um) UNITATI opponuntur : 1°) *Biviratus* et *polyandria simultanea*, i. e. conjunctio simultanea plurium virorum cum una foemina. 2°) *Polygamia simultanea*, i. e. conjunctio simultanea plurium foeminarum cum uno viro. — Non autem opponitur *Bigamia*, seu successiva polyandria et successiva polygamia, quae nimirum habetur, quando uxor successive habet plures maritos, vel maritus successive plures uxores, prioribus defunctis. Aliis verbis : UNITATI non opponuntur *secundae* aut etiam *ulteriores nuptiae*.

Q. 64. *Quid* dicendum de BIVIRATO seu POLYANDRIA *simultanea?*

R. Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 65, a. 1) certum est, eam pugnare cum jure naturali, quia primario matrimonii fini adversatur, nempe generationi prolis et bonae ejusdem educationi. Mulieres enim, quae pluribus copulantur viris, ordinarie sunt infoecundae, ut patet in meretricibus. Proles vero, si forte nascatur, redditur incerta ; unde fit, ut educatio ejus negligatur. Hinc in V. T. nullam legimus mulierem sanctam plures eodem tempore maritos habuisse.

Q. 65. *Quid* dicendum de POLYGAMIA *simultanea?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel loquimur de **Novo** vel de **Veteri** Testamento.

Si **primum** : certum est *polygamiam simultaneam* in N. L. de jure positivo divino esse prohibitam. Constat ex S. Scriptura (Luc. XVI, 18), ubi Christus ait : « *Omnis, qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur.* » Si enim adulter est, qui dimissa uxore sua cum altera copulatur ; multo ergo magis, ut innuit INNOC. III (in cap. *Gaudemus, 8, de divort.*), qui sua retenta priori uxore ad alteram accedit, adulter erit. Hac autem Christi lege, cum sit universalis et indefinita, tenentur non tantum *Christiani*, ut definivit TRID. (Sess. XXIV, *de matr.* can. 2) inquiens : « *Si quis*

dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit;» sed etiam *infideles*, ita ut illicitum et nullum sit, quod apud ipsos contrahitur secundum matrimonium, priori conjuge vivente. « *Atque ob eam rem*, ait Cat. Rom., *fieri intelligimus, ut si infidelis quispiam, gentis suae more et consuetudine, plures uxores duxisset, cum ad veram religionem conversus fuerit, jubeat eum Ecclesia ceteras omnes relinquere ac priorem tantum justae et legitimae uxoris loco habere.* »

Si **secundum** : utrum in V. T. *polygamia simultanea* etiam jure positivo divino prohibita fuerit, non ita certo constat. **Negativam** sententiam cum aliis paucis amplectitur Perrone, statuens hanc propositionem : « *Polygamia simultanea jure divino positivo ante Evangelium absolute vetita non posse dici videtur, nec proinde necessaria divina dispensatio, ut veterum polygamia a crimine contra jus naturale vel divinum defendatur.* » Communior tamen sententia cum S. Thom. (*Suppl* q. 65, a. 2) **affirmat,** ast simul monet in hac lege postea, et quidem probabiliter paulo post diluvium, a Deo *dispensatum* fuisse. Audiatur Cat. Rom. : « *Quod polygamia a matrimonii natura aliena esset (etsi aliqui ex priscis patribus accusandi non sunt, quod non sine Dei indulgentia plures uxores duxerunt), Christus Dominus ostendit illis verbis :* Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. *Ac deinde subjungit :* itaque jam non sunt duo sed una caro. *Quibus verbis planum fecit, matrimonium ita a Deo institutum esse, ut duorum tantum, non plurium conjunctione definiretur.* » Dispensationem autem in hac lege non solum spectasse V. T. patriarchas, verum etiam *Judaeos omnes*, luculenter conficitur : tum ex S. Scriptura (Deut. xxi, 15); tum etiam eo quod nullus prophetarum *polygamiam simultaneam* tanquam peccatum Judaeis objecerit. Quin imo hanc dispensationem ad ipsos quoque *gentiles* pertinuisse, ne occasionem scandali acciperent a Judaeis, contra Estium communiter et merito affirmant DD. cum Bill. Et sane Esther se Assuero regi infideli, qui uxorem jam habebat, passa non fuisset matrimonio copulari, nec hujusce matrimonii contrahendi Mardochaeus, vir Deum timens, ei auctor fuisset, neque in eo tota Judaeorum gens exsultasset, nisi licitam tunc temporis etiam apud infideles uxorum pluralitatem autumassent.

Q. 66. *Quid* dicendum de *secundis* et etiam *ulterioribus nuptiis?*

R. Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 63, a. 1 et 2) « *non solum* secundae, *sed* tertiae *et sic* deinceps *nuptiae sunt licitae,* » sed *minus perfectae.*

Explanatur. 1°) Certum est, contra Montanistas et Novatianos, eas esse **licitas** tam viro quam mulieri, etiam sub lege evangelica; aliis verbis : bigamiam, polyandriam et polygamiam *successivam* non esse prohibitam. Quod quidem ipso naturae lumine edocemur : cum enim mors omnia solvat, illud consequitur, quod vinculum omne, quod inter conjuges erat, ob unius mortem statim sit dissolutum, cum nec mortuus potestatem sui corporis praebere amplius queat viventi, nec vivens mortuo. Accedunt diserta Pauli testimonia : tum (Rom. VII, 2-3), tum (1 Cor. VII, 39). Hinc Eug. IV in decreto pro Armenis : « *Declaramus non solum* secundas *nuptias sed etiam* tertias *et* quartas *atque* ulteriores, *si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse.* » **2°)** Quia tamen secundae et ulteriores nuptiae signum intemperantiae et incontinentiae prae se ferre videantur, minusque perfecte exprimant matrimonium Christi cum Ecclesia, quod fuit unius cum una virgine, hinc factum est : **A)** Quod nonnulli PP. paulo durius de ipsis fuerint loquuti, eas improbantes non quidem ut *illicitas*, sed ut **minus perfectas. B)** Quod prioribus saeculis poenitentia aliqua fuerit imposita secundas nuptias celebrantibus, et hodie adhuc de jure communi solemnis benedictio eisdem denegetur. **C)** Quod a *bigamis* irregularitas incurratur, quam quidem DD. repetunt sive a macula incontinentiae, sive a defectu sacramenti; non quasi secundae nuptiae ritu legitimo contractae non sint verum sacramentum, sed quia minus perfecte exprimunt matrimonium Christi cum Ecclesia. Quod si in aliquibus locis, praesertim in Oriente, *secundae nuptiae* aliquando prohibitae fuisse videantur, nunquam tamen talis prohibitio generalis fuit in Ecclesia.

ART. II. De firmitate matrimonii.

§ I. *Quoad vinculum.*

Q. 67. In *quo* 1°) consistat *firmitas* matrimonii quoad

VINCULUM ; 2°) *quo* JURE haec indissolubilitas matrimonio competat ; et 3°) *quinam* eidem ADVERSENTUR ?

R. Ad 1^{um}) Haec firmitas consistit in matrimonii *indissolubilitate*, ita ut nuptiae, sive fidelium sive infidelium, semel valide contractae, nulla potestate *humana*, quacumque de causa, sive mutuo conjugum consensu, sive ullo quocumque crimine ullaque lege politica aut sententia judicis, sed sola voluntate divina aut per unius conjugis mortem dissolvi queant.

R. Ad 2^{um}) Indissolubilitas, etiam a mundo condito, competit matrimonio saltem de *jure positivo divino*.

Explanatur. Id colligitur cum TRID. (Sess. 24 *de matrim.* cap. unico) : tum ex verbis Adami instinctu divino pronuntiatis (GEN. II. 24) : « *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea ; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una ;* tum apertius ex oraculo Christi (MATTH. XIX, 6 seqq.), quum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata, referens dixit : « *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* » — Dixi : **saltem** ; non enim desunt graves DD. existimantes cum S. THOM. (*Suppl.* q. 67. a. 1) indissolubilitatem vinculi matrimonialis etiam esse repetendam a jure *naturae*, non quidem *primario*, quod intrinsece et essentialiter mala prohibet ; sed *secundario*, quod ea prohibet quae minus naturae sunt consentanea, sic tamen ut vere obliget et nullus sua privata auctoritate possit dispensare. Et sane, ut utar verbis LEON. XIII. Enc. « *Arcanum divinae sapientiae* » (10 Febr. 1880) : « *Quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim caussa fiunt maritalia foedera mutabilia ; extenuatur mutua benevolentia ; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur ; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur ; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio ; discordiarum inter familias semina sparguntur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur.* » Non pauci tamen, quos inter BELLARM., contradicunt, negantque indissolubilitatem saltem in quibusdam casibus esse de jure naturae stricte obligante. Interim id docent, non ut matrimonii indissolubilitatem impugnent, et humana auctoritate solvi illud

posse affirment, sed ut in jure positivo divino indissolubilitatis fundamentum constituant ac matrimonii vinculum aliqua de causa, divina saltem dispensatione, solvi posse statuant. Unde, ubi Pius IX damnavit (8Dec.1864) propositionem in Syllabo sub n. LXVII: « *Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest;* » hos posteriores Theologos non attigit, bene vero heterodoxos et pseudopoliticos contendentes conjugale vinculum de jure naturae sive in omni casu, sive variis saltem de causis, humana etiam auctoritate, dissolvi posse.

R. Ad 3^{um}) Indissolubilitati matrimonii quoad vinculum plures contradicunt.

Explanatur. Contradicunt : 1°) **Graeci,** qui jam diu in ea versantur sententia et praxi, ut dissolvant vinculum conjugale propter adulterium. 2°) **Lutherani** existimantes, non tantum ob adulterium, sicut putabat Calvinus, sed etiam ob haeresim, furtum aliudve peccatum, ob molestam cohabitationem, longam absentiam aliasque causas dissolvi matrimonium. 3°) **Launoius** D^r Sorbonicus, qui Saec. XVII in opere : *De regia in matrimonium potestate*, docere non erubuit, juxta S. Script. et antiquam Tradit., matrimonium dissolvi posse ob adulterium, adeoque id sola lege ecclesiastica esse prohibitum, et canonem Conc. Trid. esse mere disciplinarem. 4°) **Lex civilis,** quae nostra aetate pluribus in regionibus permittit ob causas a se statutas divortium civile fieri, et conjuges civiliter disjunctos novo, si cupiant, cum alia persona jungit matrimonio.

Q. 68. *Quid* circa *indissolubilitatem* vinculi matrimonialis de *fide catholica* tenendum sit?

R. 1°) De fide catholica est : « *Propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi non posse matrimonii vinculum,* » cum id totidem verbis definierit Trid. (can. V), quem Novatoribus opposuit.

R. 2°) E contra de fide catholica non est, quod non possit dissolvi matrimonium propter adulterium, cum Trid. id expresse non definiat; ast fidei catholicae dogma est : « *Ecclesiam*

non errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse, altero conjuge virente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae, dimisso adultero, alii nupserit, » cum id totidem verbis definiat TRID. (can. VII).

Resolvitur. Itaque sententia de matrimonii dissolubilitate quoad vinculum propter adulterium **damnata non est ut haeretica.** Canon enim TRID. directe editus est adversus LUTHERANOS et CALVINISTAS, qui Ecclesiam erroris incusabant; non vero adversus GRAECOS et ORIENTALES, qui adhuc tenent conjugium propter adulterium etiam quoad vinculum dissolvi posse. Quia tamen TRID. declarat, Ecclesiam ita docere « *juxta evangelicam et apostolicam doctrinam,* » et hanc doctrinam communit anathemate prolato in eos qui dicerent Ecclesiam in hoc puncto « *errare,* » sequitur : 1°) contra LAUXOIÇM, hunc canonem non esse disciplinarem ideoque Ecclesiae auctoritate mutabilem, cum agatur in eo de doctrina evangelica et apostolica; 2°) saltem theologice esse certum, hanc Ecclesiae doctrinam veram esse et revelatam, contrariam vero esse temerariam et haeresi proximam. — **Neque obstant** verba Christi (MATTH. XIX, 9) : « *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur;* » quasi apertam continerent a generali lege de indissolubilitate exceptionem, et ob fornicationem liceret dimittere uxorem et aliam ducere. Exceptio enim illa : « *nisi ob fornicationem* » afficit tantum : « *dimiserit,* » non vero : « *aliam duxerit.* » Duo nimirum hic docet Christus. *Primum :* non licere dimittere uxorem ob *quamcumque* causam, sed solum ob *gravissimam*, qualis est fornicatio. *Secundum* : quod qui dimissa uxore aliam ducit, moechatur; et sic adaequate respondet interrogationi Judaeorum, quae duo saltem implicite continebat : primum, utrum liceret dimittere uxorem quacumque ex causa; alterum, an ea dimissa liceret aliam ducere. Confirmatur ex eo quod alibi Christus absolute et absque ulla clausula exceptiva pronuntiet (MARC. X, 11) : « *Quicumque dimiserit uxorem suam et*

aliam duxerit, adulterium committit super eam; » et (Luc. XVI,18): « *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* » Accedit Paulum aperte docere (1 Cor. VII, 10, 39, et Rom. VII, 2) : vinculum matrimonii firmum manere, quacumque de causa conjuges separentur, sola vero morte dissolvi.

Q. 69. *An* dentur *casus*, tam in *Veteri* quam in *Nova* lege, in quibus, per *potestatem divinitus concessam*, nuptiale vinculum *dissolvi* possit?

R. 1°) Quod *Veterem Legem* attinet, utrum apud Judaeos vinculum matrimonii dissolveretur per *libellum repudii*, DD. *disputant.*

Explanatur. Quidam **negant** cum Estio, Sylvio, Berti, Drouin, dicuntque *ob duritiam cordis* Judaeorum divortium eis fuisse permissum, ut minus malum, quod legibus non puniretur, ad evitandum majus, ne scilicet suas occiderent uxores ; non autem ut quid a peccato immune, et vinculum nihilominus permansisse. In hac sententia mulier repudiata non poterat alteri nubere; maritus tamen valide poterat ducere aliam, cum polygamia tunc esset licita.— Alii multo plures **affirmant** cum Bill., Bellarm., Sanchez, Wiggers, tenentque vinculum matrimoniale per libellum repudii fuisse solutum, ita quod mulier repudiata potuerit licite et valide alteri nubere; quae opinio *verior* videtur, et ex ipsa lege repudii (Deutr. XXIV, 1-4) sat clare ostenditur.— Utramque sententiam ut probabilem sustinet et utriusque argumenta solvit S. Thom. (*Suppl.* q. 67, a. 3 et 4), dicitque primam sententiam fuisse suo tempore communiorem, in eamque inclinat (lib. III cont. Gent.). At alibi (cap. XIX in Matth.) dicit quod « *licet repudium inordinatum quid esset, noluit tamen Deus quod Judaeis imputaretur ad culpam,* » quia scilicet in eo dispensaverat ; et (1. 2. q. 102, a. 5 ad 3) dicit quod matrimonium in V. L. non erat sacramentum conjunctionis Christi cum Ecclesia : « *quia dabatur in ea libellus repudii,* » quod est contra rationem sacramenti ; si vero non dissolveret matrimonium quoad vinculum, sed solum quoad cohabitationem, non esset contra rationem sacramenti, si quidem nunc divortium dissolvat matrimonium quoad thorum et cohabitationem, et tamen non est contra rationem

sacramenti. Nec obstat quod (1. 2. q. 105, a. 4 ad 8) dicat repudium non fuisse « *simpliciter justum*, » et (q. 108, a. 3 ad 2) non esse « *per se justum ;* » sic enim loquitur : partim quia ortum habebat ex duritia cordis ; partim quia attenta rei natura non erat justum et licitum, sed ex sola Dei dispensatione id consequebatur.— Quidquid sit, haec facultas repudii, quae probabilius ad *gentes* fuit extensa, a Christo Domino universaliter fuit revocata.

R. 2°) Quod *Novam Legem* attinet, *triplex est casus* in quo, per potestatem divinitus concessam, matrimonium dissolvitur quoad vinculum : 1°) in casu *dispensationis pontificiae;* 2°) in casu *professionis solemnis;* 3°) in casu, quem vocant, *Apostoli.*

Q. 70. *Quodnam* matrimonium dissolvi possit *per* DISPENSATIONEM *pontificiam?*

R. 1°) Certum est, dissolvi posse matrimonium *ratum* et *non consummatum* christianorum per dispensationem pontificiam, si adsit causa sufficiens, v. g. propter odium implacabile inter conjuges, propter vitae periculum, propter dubiam impotentiam antecedentem perpetuam, etc.

Explanatur. Liquet ex eo, quod RR. Pontifices jam multoties hac potestate usi sunt, ut pluribus exemplis comprobatur apud SCHMALZGR., FEVE, PERRONE. Jam vero, ut docet AUG. (epist. 55 *ad Januar.* c. XIX ap. MIGNE *Patr. Lat.* tom. XXXIII, col. 221) : *Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat, et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam* [mores], *non approbat, nec tacet, nec facit.* » « Quare non videtur hodie fas esse, potestatem, de qua olim disceptabatur, summo Pontifici abjudicare. » Ita BENED. XIV (*Syn.* VII, c. 7, n. 7).

R. 2°) Utrum vero haec facultas extendenda sit ad matrimonia *consummata in infidelitate*, si conjuges *post baptismum*, quo conjugium fit *ratum* (pag. 61 seq.), rursus illud *non consummaverint*, DD. *disputant.*

Explanatur. Alii **negant.** Alii « *et quidem magni nominis,* » ut fatetur BENED. XIV (*de Syn.* l. XIII, c. XXI, n. 4), cui tamen haec sententia non arridet, **affirmant,** hac ducti ratione, quod

vinculum matrimonii rati inter fideles fortius sit vinculo matrimonii consummati infidelium, cum primum suam firmitatem deducat non solum a natura contractus, sed etiam a sacramento, et in secundo nulla adsit alia firmitas quam ea, quae a contractu descendit et ab ejus indole et natura. Unde, cum Pontifex, juxta sententiam undequaque certam, primum sua auctoritate dirimere possit, a fortiori secundum dissolvere valebit. « *Et id quidem luculentissime confirmatur,* » ait Ballerini, ex litteris Greg. XIII (25 Jan. 1583) et Urbani VIII (20 Oct. 1624 et 17 Sept. 1627).

Q. 71. Dic : 1°) *quodnam* matrimonium dissolvi possit per PROFESSIONEM SOLEMNEM, et 2°) *quo* JURE dissolvatur?

R. Ad 1^{um}) De fide catholica est, « *matrimonium* RATUM, NON CONSUMMATUM, *per solemnem professionem alterius conjugum dirimi,* » ut totidem verbis definivit Trid. (Sess. XXIV, can. 6).

Explanatur. Ratio *a priori* est sola voluntas Christi, nobis ex traditione perpetua revelata. *Convenientia* autem est ex S. Thom. (*Suppl.* q. 61, a. 2) : quia per professionem homo civiliter et spiritualiter moritur huic mundo, quod non fit per susceptionem SS. Ordinum, nequidem Episcopatus. Et quidem hoc privilegium valet non solum quoad primum quod quisque contrahat matrimonium; sed etiam quoad secundum, tertium, etc., modo non fuerit consummatum. Quare si nubant personae *viduae*, prolem quoque ex praecedenti matrimonio sortitae, etiam cum istis lex valet; et ideo si alteruter in religione profiteatur, antequam praesens matrimonium consummetur, vinculum dissolvetur. — Dictum est : 1°) **ratum, non consummatum** ; unde privilegium manet integrum, quamdiu matrimonium *non est consummatum*, etiamsi professio fiat post elapsum *bimestre* a jure concessum, et quamvis culpabiliter negatum fuerit debitum conjugale. Contra, statim ac matrimonium *est consummatum* (pag. 62), etiamsi id factum sit per vim aut fraudem, vel ante finem bimestris, nullus est amplius locus matrimonii dissolubilitati quoad vinculum. — Quocirca notandum est, post initum matrimonium utrique conjugi, etiam, juxta probabiliorem sententiam, actu nihil cogitanti de religionis ingressu, *regulariter* dari **bimestre,** quo et sponsi matrimonium consum-

mare non obligantur et debitum alteri petenti denegare possunt, quodque arbitrio judicis vel restringi vel prorogari potest. Dixi : *regulariter;* nam si matrimonium necessarium sit ad legitimandos liberos vel ad infamiam mulieris reparandum, vir non poterit ad religionem converti. Quod si, intra bimestre in somno vel ebrietate, vel vi aut metu extorqueatur copula perfecta, quamvis matrimonium tunc consummetur nec per professionem amplius solvi queat, potest nihilominus oppressa religionem intrare, cum per alterius malitiam suo jure non privetur. Excipiunt DD., si uxor prolem concepisset, quae sine matre educari facile non posset. — Dictum est : 2°) **per solemnem professionem**; unde non solvitur : nec per votum continentiae in saeculo, etsi in manibus episcopi emissum; nec per susceptionem Ordinis sacri; nec per ingressum in religionem aut novitiatum; imo non sufficit qualiscumque votorum religiosorum emissio, etiam in religione approbata : nam vota simplicia, quae post biennium tyrocinii in S. J. emittuntur, licet constituant vere et proprie religiosum, et post Bullam « *Ascendente Domino* » Greg. XIII ex singulari privilegio dirimunt matrimonium *contrahendum*, non tamen dirimunt matrimonium ratum *jam contractum*, nisi accedat solemnis professio.

R. Ad 2um) *Disputant* DD.

Explanatur. Alii cum Bellarm. illud privilegium repetunt a **jure naturae**, vi cujus licere putant a statu minus perfecto transire ad perfectiorem. Quae sententia tum *nimis* probat: cum ex ea sequeretur, rescindi matrimonium etiam per susceptionem Ordinis sacri, per votum perpetuae castitatis in saeculo; immo rescindi posse ipsum matrimonium consummatum, per professionem solemnem, quoties sine damno alterius accidere posset; tum *non satis* probat: cum non ostendat dirimi vinculum matrimoniale; haec enim duo consistere possunt, nempe ligari vinculo nuptiali et ligari professione religiosa, ut evenit cum quis matrimonio jam consummato ex licentia compartis statum religiosum amplectitur. — Alii cum Sanchez, Billuart, illud derivant a **jure divino positivo** per Traditionem ad nos delato. Cui sententiae obstare videtur, votorum *solemnitatem* non semper viguisse in Ecclesia.— Alii cum Sardagna illud **ex jure ecclesiastico** oriri praetendunt. Quod admitti

nequit : si enim Ecclesia illud privilegium potuisset constituere, posset etiam illud adimere, sicque actum esset de veritate canonis Trid., cui subesse aliquando falsitas posset.— Existimaverim, privilegium dissolutionis matrimonii rati a Deo *generatim* fuisse collatum votorum professioni; Ecclesiae autem a Christo tributam fuisse facultatem in praxim deducendi hoc privilegium *pro casibus particularibus*, seu praescribendi aliquam conditionem necessariam ut per votorum professionem dirimatur matrimonium ratum. Quae conditio hodiedum est votorum *solemnitas*.

Q. 72. *Quid* sit *casus* Apostoli?

R. Est casus dissolutionis matrimonii ex privilegio in favorem fidei a Christo concesso et per Apostolum (1 Cor. VII, 12 seqq.) promulgato, ex quo nomen suum accepit.

Explanatur. In hoc vero consistit, quod matrimonium infidelium, *etiam consummatum*, dissolvi possit quoad vinculum, in casu quo, una parte ad fidem conversa et baptizata, altera infidelis *nolit cohabitare*, aut cohabitare quidem consentiat, *sed non pacifice;* seu, ut loquitur Bened. XIV (*de Syn.* l. vi, c. iv, n. 3) : « *non sine contumelia Creatoris, hoc est, non sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel non sine exsecratione sanctissimi nominis Christi et Christianae religionis despicientia.* » Interim, ut, teste Bened. XIV (*ibid.* n. 6), saepius declaravit S. C. C., non antea solvitur vinculum matrimoniale, quam pars conversa novum ineat matrimonium. Quod quidem inire non poterit *licite*, imo, uti constat ex S. C. de P. F. (5 Mart. 1816), nec *valide*, nisi prius partem infidelem *interpellaverit*, non solum an velit et ipsa ad Fidem converti, sed etiam, casu quo nolit converti, an velit pacifice cohabitare sine contumelia creatoris; vel nisi, in casu impossibilitatis hujusmodi interpellationis, obtinuerit *dispensationem pontificiam*, aliunde facile concedendam. De *privilegio in favorem fidei concesso* late tractat N. R. T. (XXII, 55 seqq.).

Resolvitur. Ex dictis sequitur : 1°) Si ambo conjuges convertantur et baptizentur, neutri licet resilire. 2°) Si conjux, qui manserat infidelis, ad fidem deinde et baptismum veniat, antequam alter novum matrimonium inierit, hic ad illum recipiendum tenetur et compelli ad cohabitandum potest. Ratio : quia conjugium, non-

dum solutum, per alterius baptismum evadit ratum. 3°) Si vero conjugium pristinum per novas conversi nuptias jam solutum fuerit, integrum erit alteri quoque parti alias inire nuptias non solum valide, sed etiam licite, sive ad fidem convertatur, sive in infidelitate perseveret. 4°) Si pars infidelis, quae consenserat pacifice cohabitare, postea acta furore satanico incipiat christianam religionem despicere, conjux conversus, etiamsi post ipsius conversionem et baptismum denuo matrimonium consummatum fuisset, aliud inire potest. Ratio est : quia coitu post alterutrius conversionem nulla vis additur contractui, qui proinde solvi deinceps potest quocumque tempore, si infidelis nolit cohabitare absque contumelia creatoris. 5°) Sicuti matrimonium inter infideles contractum et consummatum probabilius dissolvi potest post eorum conversionem per dispensationem pontificiam (p. 84), ita pariter dissolvi poterit, si pars conversa solemniter profiteatur : « *Si enim*, ait Sanchez, *ea vis concessa est a Christo professioni religionis, ut dissolvat vinculum matrimonii rati inter fideles, multo magis dissolvet matrimonium tempore infidelitatis consummatum, quod ratum non est.* » 6°) Dissolvi non potest matrimonium *haereticorum*, quando alteruter conjux fidem catholicam amplectitur : quia casum illum non comprehendit Apostolus, et matrimonium eorum est ratum, adeoque semel consummatum, nulla potest ratione dissolvi. 7°) Privilegio Paulino frui possunt *soli baptizati*, non autem *catechumeni*. Constat ex S.C. de P. F. (16 Jan. 1806). 8°) Si infidelis conversus *plures* in infidelitate duxerit uxores *adhuc superstites*, quandoquidem sola prima sit legitima conjux (p. 77) atque adeo ceterae jus non habeant ut conversus cum ipsis permaneat, *interpellanda* est *prima ;* et si ipsa velit converti aut pacifice cohabitare, ad alias nuptias transire non potest. Si vero neutrum praestare velit, tunc conversus cum alia quam praetulerit legitime contrahere potest. Cfr. Bened. XIV (*de Syn.* lib. XIII, cap. 21), ubi varii de hac re casus discutiuntur.

Q. 73. *An* detur locus *casui* Apostoli : 1°) Si infidelis *nolit converti*, sed tamen consentiat pacifice cohabitare; 2°) Si quis ex infidelitate ad communionem Christianam, *a catholica tamen Ecclesia sejunctam*, per baptismum se recipiat; 3°) Si *fidelis*, ex dispensatione Ecclesiae in impedimento disparitatis

cultus, nuptias ineat *cum infideli*, casu quo infidelis renuat conjugi fideli pacifice cohabitare?

R. Ad 1um) *Controvertitur.*

Explanatur. Alii absolute **negant** cum S. Thom. (*Suppl.* q. 59, a. 5), idque probant ex verbis Apostoli de hoc casu edicentis (1 Cor. VII, 12) : « *Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec* consentit *habitare cum illo, non* dimittat *illam.* » — Alii absolute **affirmant** cum Bellarm., dicuntque in praecitatis verbis non contineri *praeceptum*, sed *consilium tantum.* — Alii, quorum sententia a S. Lig. (VI, 957) vocatur « *communior et probabilior*, » **distinguunt**, dicuntque *olim*, si nullum aderat periculum perversionis, non potuisse fidelem transire ad alias nuptias, quia non aderat causa discedendi a conjuge infideli, cum per miracula, quae frequentius tunc per fideles fiebant, plures infideles ad fidem convertebantur; sed *hodie*, cum cessaverit miraculorum frequentia, fidelem posse ad alias nuptias convolare, quia, cohabitando cum infideli, periculum perversionis pro conjuge vel prole vix abest. Ex Cabass., quem laudat Bened. XIV (*de Syn.* lib. xiii, cap. xxi, n. 1), res videtur pendere a casuum circumstantiis et a moribus regionum. Praxis porro fert, ut in locis infidelium, v. g. inter Sinas, Indos, etc., conversis permittatur, ut cum infideli cohabitent et rursus ut ad alias nuptias transire possint, si infidelis aut nolit cohabitare, aut non consentiat cohabitare nisi cum injuria Creatoris. Inter nationes vero Christianas praxis invaluit, ut cohabitatio non permittatur cum parte quae obstinate sectae infideli, v. g. judaicae, adhaereat, quamvis haec protestetur se pacifice velle cohabitare.

R. Ad 2um) *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **negant** : quia privilegium a Paulo promulgatum est in favorem *fidei;* jam vero, uti proclamat idem Paulus (Ephes. IV, 5) : « *Unus Dominus*, una fides, *unum baptisma...* » Alii **affirmant** cum Ballerini, si baptismus fuerit valide susceptus : quia semper verificatur substantia conversionis, nempe susceptio baptismi validi, ut supponitur. In hunc sensum respondisse S. Sedem an. 1876, refert Konings (II, p. 394). — **In praxi** recurrendum esse ad S. Sedem existimo.

R. Ad 3um) *Negative.*

Explanatur. KENRICK quidem **affirmat** (tract. XXI, n. 118) inquiens : «*Nobis videtur semper solvi posse, si renuat infidelis cum fideli habitare sine contumelia Creatoris. De eo enim dici potest :* QUOD SI INFIDELIS DISCEDIT, DISCEDAT.» — Ast **negat** sententia communis, et haec omnino est tenenda. Ratio : quia privilegium Paulinum in favorem fidei unice fuit concessum pro *neo-conversis*, ne scilicet ex bona sua actione incommodum praesentirent. Id ipsum declarasse CLEM. XIII, die 1 AUG. 1759, referunt ANALECTA JURIS PONTIFICII, fasc. 11 : «*Si fidelis, praevia dispensatione, contraxit matrimonium cum infideli, censetur illud contraxisse cum explicita conditione : dummodo nimirum infidelis secum cohabitare velit absque contumelia Creatoris. Quare si infidelis non servet praedictam conditionem, adhibenda sunt juris remedia ad hoc ut eam servet ; alias separari debent* QUOAD THORUM ET COHABITATIONEM, *non tamen* QUOAD VINCULUM. *Quocirca in casu de quo agitur, conjuge infideli superstite, non potest fidelis ad alia vota transire.*» Accedit aperta declaratio S. U. I. (4 Jul. 1855) : «*Generatim, si conjugis conversio praecesserit matrimonium cum infideli, praevia dispensatione apostolica initum, nullomodo illo frui potest privilegio in favorem fidei concesso ; si vero matrimonium praecesserit conversionem, tunc pars conversa poterit uti eo privilegio, servatis servandis.*»

§ II. *De firmitate matrimonii quoad thorum et cohabitationem. Ubi et de divortio civili.*

Q. 74. Dic : 1°) *An*, et 2°) *quae* sint CAUSAE ob quas conjuges a se invicem *separari* possint, manente tamen *vinculo* conjugali?

R. Ad 1^{um}) *Affirmative.*

Explanatur. Quamvis conjuges obligentur ad simul cohabitandum et debitum conjugale reddendum, quando legitime petitur, plures tamen dantur **causae**, ob quas manente vinculo conjugali, licite ab invicem separantur, sive in perpetuum, sive ad tempus : — vel quoad **habitationem** ; — vel quoad **thorum** seu redditionem debiti ; — vel quoad **utrumque** simul. Constat ex TRID. (sess. XXIV, can. 8) : «*Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad habitationem*

ad certum incertumque tempus fieri posse decernit, anathema sit. » Hujusmodi *imperfecta* separatio, qua fit ut, manente vinculo, neutra pars possit ante mortem alterius inire alias nuptias, vocatur etiam *divortium* improprie dictum, quia conjuges ab invicem divertunt, quod adeoque *triplex* distinguitur : quoad *cohabitionem tantum;* quoad *thorum tantum;* et quoad *cohabitationem et thorum simul.*

R. Ad 2um) Hujusmodi separationem causae cohonestantes sunt : 1°) *mutuus consensus;* 2°) *grave animae vel corporis periculum;* 3°) *alterutrius adulterium.*

Q. 75. *Quomodo* conjuges a se invicem *separari* possint EX MUTUO CONSENSU ?

R. Licite se separare possunt a *thoro* vel etiam ab *habitatione*, sive ad *tempus*, sive in *perpetuum.*

Explanatur. Itaque ex mutuo consensu, uterque conjux simul possunt renuntiare : **1°)** quoad **thorum**, sive *ad tempus*, sive *in perpetuum*, dummodo absit *incontinentiae* periculum. Interim, ut bene notat LAYMANN : « *Propter incontinentiae periculum consultum non est conjugibus continentiam vovere, nisi praemissa matura deliberatione et longa experientia quod facile continentes ambo esse possint; atque post votum thoro eos separari oportet.* » — Separari **2°)** possunt quoad **cohabitationem**, sive *ad tempus* NEGOTIORUM CAUSA; sive *in perpetuum* OB VITAE PERFECTIORIS DESIDERIUM, dicente Christo (MATTH. XIX, 29) : « *Omnis qui reliquerit... uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* » Interim, casu quo conjuges mutuo consensu se in perpetuum separant ad vitam perfectiorem amplectendam, haec separatio, quae fieri debet de licentia episcopi, non solet permitti, nisi vel ambo religiosam vitam amplectantur; vel vir sacros ordines suscipiat et uxor in religione profiteatur, aut si vetula sit et non suspecta de incontinentia, in mundo manens votum castitatis emittat.

Q. 76. *An*, MARITO *domicilium mutante*, UXOR eum *sequi* teneatur ?

R. Tenetur *regulariter :* quia vir caput est mulieris et totius familiae.

Explanatur. Dicitur : **regulariter**; nam excipe : **1°)** Si

continuo vellet vagari, nisi hanc vivendi rationem mariti uxor ante matrimonium cognovisset. 2°) Si uxor ex itinere grave periculum animae vel corporis incurreret. 3°) Si maritus absque necessitate in regionem valde remotam migrare vellet. 4°) Si inter illos aliter conventum fuisset ante matrimonium. Sed etiam in hoc ultimo casu, si gravis necessitas, v. g. insalubre coelum, maritum in alium locum vocaret, mulier ordinarie eum sequi teneretur.

Q. 77. *Quo* JURE liceat separatio seu divortium improprie dictum *ob grave animae vel corporis periculum?*

R. Licet : tum jure *naturae*, quia jus invigilandi propriae saluti sive corporali sive spirituali praevalet juri compartis ad thorum vel ad cohabitationem ; tum jure *ecclesiastico*, quia jus canonicum varias causas divortii determinat, quae ad hanc generalem referuntur.

Explanatur. Sunt autem : 1°) **Saevitia compartis,** gravis in se, vel saltem relative ad qualitatem patientis. Interim rixa transiens, aut percussio etiam gravis, sed ex insolita perturbatione orta, non est regulariter causa sufficiens divortii. 2°) **Periculum grave morbi contagiosi aut mortis** ex copula vel ex cohabitatione. 3°) **Damnum valde grave in bonis fortunae,** v. g. ob prodigalitatem viri, si alia via hoc malum averti nequit. 4°) **Haeresis** vel **apostasia** matrimonio *superveniens*, modo tamen, ut notat S. THOM. (*Suppl.* q. 62, a. 1 ad 3), haeresis non per unum actum sed per habitum committatur. Dixi : *superveniens;* quia si catholicus scienter nupserit cum parte haeretica, non potest ex eo capite discedere, cum renuntiaverit juri suo ; nisi pars haeretica vane promiserit conversionem, vel pars catholica sit in gravi perversionis periculo. 5°) **Frequens sollicitatio ad peccata gravia,** ut furta, sodomiam, adulteria, etc. juxta illud (MATTH. XVIII, 8) : «*Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum et projice abs te.* »

R. 78. Dic : 1°) *quo* JURE liceat divortium *ob adulterium alterutrius;* 2°) *quid* nomine ADULTERII *hoc loco* intelligatur; et 3°) *quale* esse debeat, ut sit CAUSA separationis ?

R. Ad 1^um^) Licet : Tum 1°) jure *divino*, dicente Christo (MATTH. V, 32) : « *Qui dimiserit uxorem, excepta fornica-*

tionis causa, facit eam moechari.» Quod si licet viro, eadem ratione etiam uxori licitum esse debet. Tum 2°) jure *ecclesiastico*, ut patet ex pluribus locis juris canonici. Tum 3°) jure *naturali*, quod dictat fidem non esse servandam illi qui fidem fregerit.

R. Ad 2um) Nomine *adulterii*, ex communi DD. sententia, hoc loco venit quaelibet *carnis divisio*, licet adulterii proprii dicti rationem non habeat, adeoque omnis concubitus, etiam sodomiticus ac bestialis, modo sit completus per seminationem, qualis in foro externo praesumitur. Non autem sufficiunt oscula, tactus, etiam cum pollutione : non enim est carnis divisio cum alia carne,et odiosa sunt restringenda, nec poenae imponendae, nisi in casibus a jure expressis. Interim ut divortium ob *adulterium* institui possit, sufficit ex S. THOM. (*Suppl.* q. 62, a. 1 ad 3), quod hoc *semel* fuerit admissum.

R. Ad 3um) Ut adulterium sit causa separationis, *quintuplex* conditio requiritur.

Explanatur. Requiritur : — **1°)** Ut de eo **certo constet.** Quia tamen delicta carnis sunt difficilis probationis, sufficit, ex communi DD. apud S. LIG. (VI, 961), certitudo *moralis*, quam constituunt praesumptiones violentae, quibus prudenter credi possit, crimen fuisse patratum, ut si adulter sit inventus in lecto cum adultera, solus cum sola nudus in cubili. Non autem sufficiunt verba amatoria, munera missa uxori ab adultero, imo nec oscula, nisi adsint aliae circumstantiae : in dubio enim nemo privandus est suo jure possesso.— **2°)** Ut sit **voluntarium** seu **formale.** Et hinc non licet divortium facere, si uxor fraudulenter fuerit ab alio decepta, vel violenter oppressa, vel bona fide nupserit alteri, putans virum esse mortuum; aut contra si vir putans accedere ad suam, accessisset ad aliam, ut contigit Jacob respectu Liae. Probabilius tamen licet facere divortium, si uxor ex gravi metu in adulterium consenserit, quamvis et tunc non deceat petere divortium, ne afflictae addatur afflictio.— **3°)** Ut **non sit condonatum,** sive *expresse*, litteris vel verbis; sive *tacite*, ut si, post adulterium cognitum, conjux innocens sponte debitum conjugale petat vel reddat, aut etiam per oscula, amplexus, sit familiariter conversatus. — **4°)** Ut **non fuerit mutuum**; secus, adesset compensatio.

Nec refert, quod unus tantum semel adulteratus sit, alter vero pluries vel publice : quia utrobique est fidei fractio, quae hic solum attenditur. Si tamen una pars vere conversa sit et emendata, haec satis probabiliter ab altera parte in adulterio perseverante separare se potest. Imo, ex KENRICK : « *quoties uxoris crimen ad* PUBLICAM NOTITIAM *deductum fuerit, videtur licere eam dimittere.* » — 5°) Ut **unus in alterius adulterium non consenserit,** sive *expresse*, uxorem prostituendo ; sive *tacite*, dando occasionem proximam, v. g. longo tempore negando debitum, dum scit ideo esse in periculo incontinentiae, aut non impediendo, dum absque gravi damno poterat ; quia aequum non est petere, compartem puniri ob crimen, cujus ipse est particeps.

Q. 79. *An* aliquando pars INNOCENS partem *adulteram* dimittere *teneatur?*

R. *Affirm.*, per se loquendo.

Explanatur. Non quidem ratione *adulterii :* quia divortium fuit concessum in favorem innocentis, non autem in ejus poenam ; sed ratione : sive *correctionis fraternae*, sive *scandali vitandi*, ne scilicet innocens consentire aut saltem connivere alterius crimini videatur. — Dixi : **per se loquendo;** nam raro aderit casus : tum quia alia media adhiberi possunt ad adulterantem corrigendum, aut scandalum vitandum ; tum quia grave scandalum ex separatione timendum excusare potest, aut etiam grave incommodum, v.g. si ex separatione familia privaretur sustentatione aut proles cura et educatione. — *Ordinarie* loquendo, parochi et confessarii debent **dissuadere** divortium, propter mala et incommoda maxima quae secum trahere solet, ac serio conjugum reconciliationi adlaborare tenentur.

Q. 80. *Qua* AUCTORITATE fieri possit divortium : 1°) a *thoro;* 2°) ab *habitatione?*

R. Ad 1^{um}) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 62, a. 3) separatio seu divortium quoad *solum thorum*, seu redditionem debiti, fieri potest *privata auctoritate*, sine interventione judicis ecclesiastici, justa de causa, ut dictum fuit, et speciatim quidem ratione adulterii, quia jura matrimonii in perpetuum conjugi infideli denegari possunt.

Explanatur. Et hoc verum est, licet crimen sit **occultum**; imo, etiamsi deficientibus probationibus a judice ecclesiastico compelleretur innocens ad reddendum debitum, non teneretur tamen hujusmodi sententiae obedire, quae falsa niteretur hypothesi.

R. Ad 2^{um}) Ex S. Thom. (*ibid.*) separatio quoad *habitationem* fieri non potest, regulariter loquendo, *propria auctoritate*; sed requiritur licentia judicis ecclesiastici, quia in privata separatione ordinarie adest scandalum.

Explanatur. Dixi : **regulariter loquendo**; nam excipi debet casus adulterii *publici*, aliique casus in quibus res moram non patitur, v. g. occurrente perversionis periculo, morbo contagioso; item si conjux non posset litigare, aut judicem adire, vel saevitiam facile probare. Imo sunt qui excipiunt etiam casum adulterii *occulti*, dummodo sit certum, et separatio absque gravi scandalo fieri possit, ut si fieret praetextu peregrinationis, mercaturae, etc. : quia absolute concessum est a Christo dimittere conjugem adulterantem. « *Haec sententia*, ait S. Lig. (VI, 968), *mihi probabilior est, saltem si adulterium sit ex parte foeminae : durum enim esset cogere virum, certum de adulterio uxoris, ut publicum faciat illius crimen in judicio cum suo perpetuo dedecore.* »

Q. 81. *An* 1°) facta separatione, possit innocens compartem cogere, *ut ad se redeat*; et *an* 2°) innocens iterum recipere teneatur *adulterum emendatum*, aut dimissum *ex alia causa*, ea cessante?

R. Ad 1^{um}) *Affirm.*, non tantum in casu separationis *privatae*, sed etiam *juridicae*.

Explanatur. Ratio : quia sententia separationis juridicae fertur in favorem innocentis, et proinde non ei aufert jus revocandi alterum. Interim non est cogenda mulier adultera ad redeundum ad virum, si rationabiliter timendum sit, ne crudeliter tractetur.

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. *Neg.*, si agatur de **adultero emendato** : quia adulterium a Christo datur ut causa divortii perpetua. Quare inno-

cens Ordines vel Religionem suscipere posset; non vero posset reus, invita comparte, nisi haec statum vitae irrevocabilem assumpserit; vel nisi, post rei emendationem, obstinate respueret reconciliationem, quia tunc censeretur velle perpetuo separari et conjugem ab onere cohabitationis liberare. — *Affirm.*, si agatur **de dimisso ex alia causa**, excepto solo casu separationis juridicae propter *haeresim*, quia ille casus a jure canonico expresse eximitur.

Q. 82. Dic : 1°) *Quotuplex* a jure CIVILI permittatur conjugum *separatio;* 2°) *quasnam* ob CAUSAS; et 3°) de *qua* AUCTORITATE ?

R. Ad 1^{um}) Jus civile, pluribus in locis, non tantum permittit separationem *imperfectam* i. e. *divortium improprie dictum* seu separationem quoad habitationem et bona temporalia, quaeque in codice civili gallico dicitur *separatio corporis et bonorum;* sed etiam *divortium proprie dictum*, nempe quoad vinculum civile, ita ut conjugibus liberum fiat ad alias nuptias transire.

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de separatione **perfecta** seu *divortio proprie dicto*, vel de separatione **imperfecta** seu *corporis et bonorum tantum*. — Porro CAUSAE, ob quas jus gallicum admittit **divortium** *proprie dictum* seu quoad vinculum, sunt praecipue *quatuor* sequentes : **1°) mutuus consensus** conjugum sub certis tamen conditionibus et cautionibus a lege praescriptis (art. 233); **2°) adulterium** uxoris respectu mariti, et vicissim mariti respectu uxoris, sed tantum in casu quo ille concubinam tenuerit in domo conjugali (art. 229-230); **3°) saevitiae** aut injuriae graves unius respectu alterius (art. 231); **4°) condemnatio** unius ad poenam infamantem (art. 232). Quae causa in Belgio est abrogata, cum codex poenalis an. 1867 nullam mentionem faciat de poenis infamantibus. — Dixi : *praecipue;* quia, ut illico dicetur, datur etiam locus *divortio* in casu particulari indicato in art. 310. — CAUSAE vero, ob quas admittit **separationem corporis et bonorum**, sunt eaedem, excepta prima. Ideo autem separationem ob *mutuum consensum* non admittit, ne frequentior evaderet; sicque nimium mutarentur conventiones matrimoniales contra votum art. 1395.

Notandum autem heic est, quod ex art. 340, si *separatio corporis et bonorum*, pronuntiata ob aliam causam quam ob adulterium uxoris, duraverit *per tres annos*, possit pars contra quam fuit primitus sententia lata, obtinere *divortium*, si compars non consentit ad illico redintegrandam cohabitationem.

R. Ad 3^{um}) Nec *divortium* quoad vinculum, nec *separatio* quoad corpora et bona temporalia fieri possunt *propria* auctoritate, sed semper requiritur auctoritas *judicis civilis*, qua deficiente, omnia invalida reputantur.

Q. 83. *An* aliquando LICEAT confugere ad auctoritatem *civilem* qua *divortium a vinculo civili* conceditur?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel matrimonium in conscientia et coram Deo est **invalidum,** vel est **validum.**

Si **primum** : ut si contingat, matrimonium nullum esse ob impedimentum canonicum, v. g. quod alteruter carnerit baptismo, aut adsit consanguinitas in gradu prohibito; tunc, adhibita prius omni opera, ut matrimonium impetrata dispensatione convalidetur, si uterque vel alteruter suam libertatem vindicaret, et ad nova vota vellet transire, licet eo casu legis civilis auctoritate se tueri, ut colligitur ex responsione S. U. I. (9 Sept. 1824) ap. N. R. T. (XVIII, 482 seq.); **dummodo** divortium postulans rite instruatur: « *id non ideo fieri, ut solvatur matrimoniale vinculum, quia nullo jam vinculo detinetur; sed tantum ut se ac parochum a legalibus poenis civilibusque vexationibus redimat. Eodem sensu ac modo quo* TOLERATUR *primus actus civilis, expressio nempe consensus coram civili magistratu,* TOLERARI *potest et secundus, ut nimirum se partes eximant ab effectibus primi.* » Interim immediate addit S. U. I. : « *Hisce vero penes Gubernium peragendis non se immiscere debent missionarii. Qui nubere exposcit, ipse negotium suum agat.* » **Insuper,** priusquam ponatur ullus actus pro incipiendo civili processu, praecedere debet definitiva et ultima judicis ecclesiastici sententia de nullitate matrimonii.

Si **secundum** : tunc in casu quo matrimonium ratum non consummatum dissolvitur per professionem religiosam solemnem vel dispensationem Romani Pontificis, licitum est, imo prudentia pos-

tulat, ut, antequam pars libera ad alias nuptias convolet, divortium civile petat atque obtineat. Extra hunc casum, constat, non licere unquam divortium civile quaerere **animo novas ineundi nuptias** : hoc enim divinae legi repugnat. — Dixi : **animo novas ineundi nuptias**; si enim vinculi divortium non eo fine quaereretur, sed **tantum ad effectus civiles**, ut si gravissima urgeat ratio illud quaerendi, ne v. g. cogatur maritus aes alienum uxoris solvere, et ut huic ad haereditatem omne eripiatur jus, tunc *subdistinguendum est.*—1°) **Non licet**, si lex civilis permittat *separationem quoad habitationem et bona temporalia*, ut apud nos, in Gallia et alibi, idque verum manere videtur, etiamsi haec separatio judicetur *insufficiens*, ut quis contra alienas molestias se tueri possit. Eruitur enim ex variis decisionibus S. Poenit. (14 Jan. et 3 Jun. 1891) ap. N. R. T. (XXIII, 671 seq. et 677 seq.); item (7 Jan. 1892) ap. N. R. T. (XXIV, 528 seq.).—2°) Si vero lex civilis nonnisi *divortium a vinculo* concedat, «**videtur licere**, ait Kenrick (tract. XXI, n. 112), *illud petere in gravissimis quibusdam rerum adjunctis, ad propriam securitatem. Non enim probare censetur potestatis civilis exercitium in vinculum, quum libertate civili illi restituta non utatur.*» Nec obstat quod forsan altera pars aliud matrimonium postea sit contractura : licet enim ex justa causa cooperari materialiter peccato alterius juxta dicta (tom. I, p. 531 seq.) (1).

(1) Juvat heic exscribere quae de hac secunda hypothesi profert N. R. T. (XXIII, 676), ubi memorata decisione S. Poenit. (14 Jan 1891) haec ingenue fatetur : « Faut-il aller plus loin et voir dans la décision une condamnation de ceux qui pensent que, dans les pays *où la loi civile n'admet point de séparation*, un catholique pourrait licitement recourir au divorce civil, avec l'intention formelle de ne point tenter d'autre mariage, mais uniquement dans le but d'obtenir les avantages qui, dans les autres pays résultent de la séparation? Nous ne le pensons pas : ce serait forcer étrangement le sens de la décision, et transporter la solution donnée à un cas d'espèce toute différente. Si on veut bien que nous développions notre pensée, nous ferons remarquer que la séparation est parfaitement licite, qu'elle est admise par l'Eglise sous certaines conditions ; si donc une législation civile ne l'admet point, elle prive le catholique d'un droit véritable, et le laisse injustement exposé à de très grands inconvénients, auxquels il a le droit et quelquefois même le devoir de se soustraire On peut donc comprendre qu'il se procure la liberté à laquelle il a droit, et le délivre d'inconvénients graves par un

Scholion. 1. Quod **judices** in hoc negotio attinet, magna inter Theologos et Canonistas ventilatur quaestio, num, stante matrimonio valido, judici civili unquam licitum esse possit pronuntiare divortium? Et alii quidem in aliam atque aliam sententiam abierunt.

Qui **regidiorem** sententiam sequuntur, *negant* id unquam fieri posse : quia divortii sententia, velit nolit judex, est ex se seu natura sua, non secus ac ipsa divortii lex, intrinsece mala. Hanc sententiam non pauci amplectuntur, quos inter Bucceroni (*Enchir. moral.* App. *Comment. tert.*), qui variis ad id probandum argumentis addere non dubitat : «Intrinseca ista malitia confirmatur evidenter ex decisionibus variis S. U. Inq.; talis enim sententia dicitur *deflectens a principiis juris naturalis*, et *repugnans juri divino.* » Praeterea testatur Gasparri (II,598) factumque confirmat N. R. T. (XXIII,669) : « Dum casus conscientiae discuteretur Romae in ecclesia S. Apollinaris die 11 Martii 1889, viri, qui mentem S. Inquisitionis optime perspectam habebant, publice affirmarunt S.Congregationem hoc decreto (scil. 27 Maii 1886) sententiam divortii civilis damnavisse tanquam intrinsece illicitam. »

Qui vero **benigniorem** opinionem sectantur, esto in declaratione divortii nullam malitiam intrinsecam agnoscant, eam equidem, *per se* et *in genere* loquendo illicitam dicunt ob grave et universale quod pareret scandalum, siquidem falsa exinde apud populum persuasio paulatim invalesceret, matrimoniales causas, jure proprio ad civilem auctoritatem spectare; admittunt tamen eam licitam fieri posse *per accidens* et *in casu particuli*, si nempe judices civiles ad pronuntiandam divortii sententiam quam impedire non potuerunt, instantibus conjugibus, ex necessitate adigantur, dummodo alieni sint a prava intentione petentium divortium aut ad alias nuptias convolantium, solosque civiles effectus intendant, et dummodo aliunde **non detur specialis ratio scandali vitandi** : quia sic cooperantur tantum *materialiter* peccato alterius, quod licitum est ex justa et proportionata causa, juxta tritum TT. principium, quoad substantiam desumptum ex S. Thom. (tom.I, pag. 18) : « *Licet ponere causam saltem non intrinsece malam, ex*

moyen détourné, nous voulons dire par le divorce, en ne prenant du divorce et des effets qu'il entraîne, que ce qui n'est point contraire à la conscience. »

qua immediate sequitur duplex effectus, unus bonus, alter vero malus, si adsit ratio seu causa excusans proportionate gravis, et finis agentis sit honestus.» Quod vero applicatio legis divortii seu actio judicis divortium pronuntiantis non sit intrinsece mala, juxta patronos hujus sententiae, 1°) ex eo videtur posse confici, quod secus Episcopo Sangallensi exposcenti : «*Utrum* JUDICES *catholici... secundum recentem Helvetiae legem matrimonii vinculum... ut dissolutum declarare tuta conscientia possint?*» S. U. I. (3 April. 1879) ap. N. R. T. (XVIII,485) non respondisset : «*Quoad* JUDICES, *recurrat in casibus particularibus.*» 2°) Accedit divortium civile, in se consideratum, et abstractione facta a pravis suis effectibus, non esse nisi dissolutionem pseudomatrimonii civilis, ac proinde ejusdem sententiam non esse intrinsece malam. Unde non videtur heic posse applicari illud S. THOM. (2. 2. q. 60, a. 5 ad 1) : «*Si scriptura legis contineat aliquid contra jus naturale, injusta est, nec habet vim obligandi... Et ideo secundum eas non est judicandum.*» Secus, ne quidem in casu invalidi matrimonii, ad civile divortium recurrere liceret. 3°) Ita practicatur in Belgio, etiam a timoratis, qui secus deberent suo officio renuntiare, quod vergeret in magnum societatis detrimentum. *Nec sunt inquietandi*, ut eruitur ex rescripto S. U. I. ad Nuntium S. Sedis in Belgio, qui hujus rescripti mentionem facit in epistola sua (14 Sept. 1886) ap. N.R.T. (XIX,73 seq.) ad Ministrum negotiorum exterorum ejusdem regni. Asserere porro in praefata epistola non contineri nisi responsum mere diplomaticum, respiciens factum tantum et non jus, nempe decretum 27 Maii 1886 non prodiisse pro Belgio quatenus de facto datum fuit Episcopis Galliarum, id quidem utrum dignitati Sanctae Sedis congruat, non immerito dubitatur. — Similiter scribens pro *America Sept.*, ad QUAESTIONEM : *An liceat, apud nos,* JUDICI *catholico ferre sententiam divortii, quando petitur juxta leges civiles?* Ita respondit SABETTI S. J. : «*Affirm.*, saltem probabiliter; et ratio est, quia JUDEX ita agendo materialem tantum ponit cooperationem quae, gravi causa interveniente, licita est. Haec autem gravis causa, apud nos, semper adest, cum, ut ait KENRICK, *catholicus vix posset* JUDICIS *munere fungi, si nollet divortium decernere, delicto in judicio probato.* Etenim etiamsi ab iis qui divortium petant intendatur proprie annulatio vinculi et libertas convolandi ad novas nuptias,

judex legem applicando non est causa efficax pravae istius intentionis, ac proinde materialiter tantum cooperatur. A fortiori autem licitum est judici decernere divortium cum ei constat effectus tantum civiles intendi ab iis qui petunt divortium. »

Idem, sub iisdem conditionibus, juxta patronos benignioris sententiae videtur posse asseri de **officiariis civilibus**, qui, pronuntiatio divortio, conjugem ad alias nuptias transire attentantem civiliter cum alio conjungunt. Quia tamen in casu cooperatio materialis *proximior* evadit, eo major requiritur causa, ut malus effectus permittatur. — Dictum fuit initio : **nisi detur specialis ratio scandali vitandi**; nam quandoque tales possunt esse *rerum*, *temporum* et *locorum* adjuncta, ut cooperatio, etiam *materialis* tantum, evadat illicita, ut si eges de civili divortio in odium Ecclesiae conderentur aut restituerentur, nihilque non intentandum foret, ut legumlatores ad meliorem frugem revocarentur. Huc spectat decretum S. U. I. (27 Maii 1886) **pro Gallia** ap. N. R. T. (XVIII,379 seq.). Item responsum quod **pro Italia** dedit S. Poenit. (28 Nov. 1883) ap. N. R. T. (XX, 399).

Ex quibus omnibus liceat mihi **concludere** : 1°) Circa controversiam in scholis agitatam : num declaratio divortii sit ex se seu ex natura sua *intrinsece* mala, nondum ex S. Sede doctrinalis decisio prodiit. — 2°) In dubio : an et qualis cooperatio in hoc negotio licita sit vel illicita, non privatorum sed S. Sedis est statuere. — 3°) Decretum S. U. I. (27 Maii 1886) pro Gallia prodiit, nec rigor illius decreti videtur extendendus ad Belgium aliasque similes nationes. — 4°) Imo etiam pro Gallia in *causa particulari* Lucionensi (24 Sept. 1887) ap. N. R. T. (XXI, 616 seq.) S. Poenitentiaria permisit, ut, postquam judices civiles pronuntiaverant *locum esse divortio*, syndicus secus ex officio suo ejiciendus pronuntiaret divortium civile, modo : **A**) « *Catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteretur;* **B**) *In ipsa sententia, et tanquam magistratus loquens publice declaret, se solos effectus civiles solumque civilem contractum spectare posse, aliunde vinculum matrimonii omnino firmum remanere coram Deo et conscientia.* » — 5°) Quia tamen *a particulari ad generale* non valet conclusio, ideo ex memorato S. Poenit. rescripto deduci nequit : universim syndicos et

judices in Gallia, qui secus officio suo cedere cogerentur, praemissis debitis declarationibus, divortium inter conjuges in facie Ecclesiae ligatos tuta conscientia pronuntiare posse. Constat ex S. Poenit. (4 Jun. 1890) ap. N. R. T. (XXII, 506 seq.).

Scholion. 2. Ad **advocatos** quod attinet, quoniam ex S. Lig. (IV, 223), « *advocatus non se habet ex parte judicis, sed clientis* » eumque repraesentat; hinc, ut scribit Sabetti, « id tantum *videtur* ei concedi posse, hac in re, quod conceditur clienti. » Jam vero, juxta dicta superius (p. 96 seq.) cliens petere potest divortium, sive cum matrimonium est nullum coram Deo, propter aliquod impedimentum dirimens, sive in casu quo matrimonium ratum non consummatum dissolvitur per professionem religiosam solemnem vel dispensationem Romani Pontificis, sive cum in divortio petendo vult tantum effectus civiles, servato intacto vinculo, dummodo adsit causa gravissima et agatur de iis regionibus in quibus lex civilis non admittit separationem quoad habitationem et bona temporalia.

CAP. 11. De ritibus servandis in celebratione et benedictione nuptiarum.

Q. 84. *Quinam* sint RITUS servandi in *celebratione* matrimonii?

R. Hujusmodi ritus traduntur in Rit. Rom. Addit tamen : « *Ceterum, si quae Provinciae aliis*, ULTRA PRAEDICTAS, *laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando matrimonii sacramento utantur, eas sancta Trid. Synodus optat retineri.* »

Resolvitur. Particulares igitur consuetudines et caeremoniae in celebrando matrimonio licite retineri possunt, **dummodo** tempore Conc. Trid. exsisterent, cum loquatur de usibus exsistentibus. Imo in Stat. dioec. Mechl. (n. 212) praecipitur : «*ut in omnibus parochiis in quibus*» usque ad an. 1873 «*diversus a* Rit. Rom. *usus obtinuit, matrimonium celebretur juxta ritum ac formam in appendice* (XIV, 13) *descripta.*» In iis vero parochiis in quibus Ritus celebrandi matrimonium ex Rit. Rom. desumptus jam tunc in usu erat, necessario iste Ritus retineri debuit, nec ibi licet Ritum particularem in Statutis assignatum adhibere in celebratione matrimonii.

Scholion. Placeat insuper adnotare : 1°) **Annulus** etiam pro *secundis* nuptiis benedicitur (S. C. C. 27 Aug. 1836). 2°) Quando **plures** simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis a parocho forma : *Ego conjungo vos*, etc., nihil obstat, quominus benedictiones annulorum et reliquae benedictiones fiant in communi per verba generalia (S. U. I. 1 Sept. 1841). 3°) Matrimonium **mixtum** in loco honesto, non autem in loco sacro, contrahendum est, absque praeviis proclamationibus (pag. 32 seq.), sine ullo ritu, precibus, aut vestibus sacris. Attamen post Instructionem «*Etsi sanctissimus*» 15 Nov. 1858, jussu Pii IX ad omnes locorum Ordinarios de mixtis matrimoniis datam, judicio episcoporum est caute remissa tolerantia adhibendi aliquam partem ritus catholici in ejusmodi nuptiis celebrandis, «*exclusa tamen semper* **Missae celebratione,**» ne forte haereticus conjux ad tanti sacrificii fructus videatur admissus. Verba enim Instructionis sunt sequentia : «*Quod si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu* TANTUM *Sanctitas sua prudenti eorumdem arbitrio committit, ut ipsi... judicent, quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis* TOLERARI *queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano rituali legitime praescriptum,* EXCLUSA TAMEN SEMPER MISSAE CELEBRATIONE,» etc. Cfr. N. R. T. (XV, 585). Porro vigore clausulae «*exclusa missae celebratione*» quae apponitur in praefata *Instructione* circa ritum in matrimoniis mixtis ex timore graviorum malorum arbitrio Ordinarii permittendum, prohibetur non tantum Missa pro sponsis cum orationibus et benedictionibus uti in Missali Romano, sed quaelibet missa, etiam privata, quae celebretur coram sponsis et comitibus post matrimonium, etiamsi sponsis non detur distincta sedes. Quia ista missa habetur tanquam complementum caeremoniae matrimonii. Constat ex S. C. INQ. (17 Jan. 1872 et 17 Jan. 1877) ap. N. R. T. (XX, 464).

Q. 85. *Quid* 1°) sit BENEDICTIO NUPTIARUM ; 2°) *an* cadat *sub*

praecepto; 3°) *an* nuptiis OMNIBUS sit *conferenda*; 4°) *ubinam* fieri debeat?

R. Ad 1^{um}) Per *benedictionem nuptiarum* non intelligitur ipsa celebratio matrimonii, cum ritibus omnibus, prout in RIT. ROM. praescribitur; sed intelliguntur illae preces, quae in MISSALI ROM., infra missam *pro sponso et sponsa*, post celebrationem matrimonii praescribuntur.

R. Ad 2^{um}) *Affirm.*, atque adeo obligantur sponsi eam recipere.

Explanatur. Constat ex cap. *Nostrates* 3, q. 5, ex consuetudine Ecclesiae et ex decreto *generali* S. U. I. (31 Aug. 1881) ap. N.R.T. (XIV, 249 seq.) in quo statuitur: «*Benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum in Missa pro sponso et sponsa*, SEMPER IMPLORANDAM *esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem, juxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio, quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii.*» — Hoc ergo decreto **receditur** ab antiqua disciplina benedictionem vetante post conjugum cohabitationem. Interim ex communi doctrina, teste S. LIG. (VI, 988 et H. A. XVIII, 53), omissio hujus benedictionis, secluso contemptu, culpam venialem non excedit: quia non censetur res gravis, neque Ecclesia utitur verbis gravem obligationem significantibus.

R. Ad 3^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Haec benedictio **conferenda** est: **1°**) primis nuptiis ex parte viri et mulieris, sive mulier sit virgo, sive corrupta (S. C. C. 2 Oct. 1593 et S. R. C. 5 Jul. 1845); **2°**) ubi viget consuetudo, etiam nuptiis primis ex parte tantum mulieris (RIT. ROM.). Contra **non est conferenda**: **1°**) nuptiis secundis ex parte viri

et mulieris, excepto casu, quo conjuges in primis nuptiis benedictionem non acceperint (*Decret. gen. cit.*); 2°) nuptiis secundis ex parte solius mulieris (S. R. C. 3 Mart. 1761), nisi iterum illa in primis nuptiis benedicta non fuerit (*Decret. gen. cit.*); 3°) nuptiis *tempore clauso* celebratis, i. e. a Dominica I Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a Feria IV Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive; nec potest episcopus facultatem ad hoc concedere (S. R. C. 14 Aug. 1858), sed requiritur indultum apostolicum, quod, juxta hodiernam disciplinam, eo solo casu concedi solet, quo opportunitas benedictionem alio tempore accipiendi non pateret; 4° matrimoniis *mixtis* juxta dicta superius (pag. 102).

R. Ad 4^{um}) Haec benedictio fieri non debet, nisi *intra missarum solemnia*. Ita S. C. C. (13 Jul. 1860); S. R. C. (23 Jun. 1853; 14 Aug. 1858; 26 Mart. 1859); et cit. decret. gen. S. U. I. (31 Aug. 1881).

Explanatur. Notandum autem est : 1°) Hanc benedictionem impertiendam esse in ipsa missa propria *pro sponso et sponsa*, quae invenitur in Miss., aut si per Rubricas non licet, in missa diei, addita commemoratione ex missa *pro sponso et sponsa*. 2°) Sacerdotem non teneri missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat, adeoque liberum illi esse pro alio offerente applicare (S. C. de P. F. 23 Mart. 1844 et 7 Jun. 1853 et S. Off. 1 Sept. 1841). 3°) Hanc missam post contractum coram parocho matrimonium de ejus licentia posse ab alio sacerdote celebrari. 4°) In eadem missa plures sponsos posse benedici (S. Off. 1 Sept. 1841); quo casu nihil in missa immutandum est in orationibus vel ceteris rebus. 5°) « Missam *pro sponso et sponsa* esse votivam, proindeque semper legendam sine hymno Angelico et Symbolo Nicaeno, cum tribus orationibus : 1^{a} videlicet ejusdem Missae votivae propria, ut habetur in fine Missalis; 2^{a} et 3^{a} diei currentis;... *Benedicamus Domino* in fine et ultimo Evangelio S. Joan. » Ita S. C. R. (28 Febr. 1818). 6°) Missam *pro sponso et sponsa* in Miss. assignatam dici posse extra tempus clausum, omnibus diebus, exceptis omnibus dominicis et festis de praecepto, necnon duplicibus primae et secundae classis; item exceptis tota octava Epiphaniae et vigilia octavaque Pentecostes, die octava Corporis

Christi aliisque diebus duplicia secundae classis excludentibus (S. R. C. 20 Apr. 1822); die vero commemorationis omnium fidelium defunctorum legi potest (S. R. C. 7 Sept. 1850). 7°) « Missa votiva *pro sponso et sponsa* dici et in ea benedictio nuptialis fieri potest, etiam in casu ubi sponsi infra hanc missam sacram communionem non perciperent. Curent tamen parochi et animarum rectores adhortari fideles nupturos, ut in missa, in qua benedictiones nuptiales impertiuntur, communicent. » Ita S. R. C. (21 Mart. 1874). Ap. N. R. T. (XIV, 250). 8°) Matrimonium in facie Ecclesiae seu in ecclesia maxime celebrari decet. Haud tamen vetitum est locorum Ordinariis, ut, si nullum immineat periculum ac laudabiles concurrant causae, illud celebrari quandoque pro sua prudentia permittant in privatis oratoriis, in quibus sacrum fieri valeat. Quo casu missa nuptialis in dictis oratoriis celebrari potest, servatis Rubricis. Ex S. R. C. (31 Aug. 1872).

PARS TERTIA.

DE IMPEDIMENTIS, DISPENSATIONIBUS ET MATRIMONII REVALIDATIONE.

SECTIO 1ª.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS ET POTESTATE DISPENSANDI IN IIS.

CAP. 1. De quidditate et numero impedimentorum impedientium.

Q. 86. *Quid* 1°) et 2°) *quot* sint impedimenta IMPEDIENTIA?

R. Ad 1^{um}) Impedimenta IMPEDIENTIA, seu PROHIBENTIA tantum, sunt illa quae matrimonium reddunt *illicitum*, non autem invalidum.

R. Ad 2^{um}) Usu hodierno *quatuor* tantum numerantur, hoc versu comprehensa :

« Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri. »

Explanatur. Ideo autem *peccatum mortale*, *ignorantia rudimentorum fidei* aliaque plura, etsi matrimonium illicitum reddant, tamen proprie inter impedimenta **impedientia** non numerantur: tum quia sunt impedimenta aliis sacramentis communia; tum quia hic agitur de matrimonio non solum ut est *sacramentum*, sed etiam ut est *contractus* : jam vero status peccati mortalis, ignorantia rudimentorum fidei, non impediunt ipsum contractum, sed tantum ipsum sacramentum.

Q. 87. *Quid* sit ECCLESIAE VETITUM?

R. Est prohibitio nubendi, procedens : vel *a jure*, vel *ab homine*.

Explanatur. Vetitum **juris** seu *generale* locum habet quoties SS. Canones statuunt matrimonium licite contrahi non posse. Sic generalis habetur prohibitio : **1°**) Ne matrimonium celebretur *absque praeviis denuntiationibus* aut earum dispensatione (p. 30 seq.). **2°**) Ne *mixtum* contrahatur, i. e. inter catholicos et haereticos vel schismaticos. Quod vetitum *juris* impedimentum MIXTAE COMMUNIONIS proprio nomine appellatur. Quo circa nuperrime ex S. ROM. ET UNIV. INQUISITIONE (12 Dec. 1888) prodiit *Instructio ad patriarchas, archiepiscopos et episcopos rituum Orientalium super matrimoniis mixtis*. Ap. N. R. T. (XXII, 351 seqq.). **3°**) Ne *clandestine* celebretur in locis ubi decretum TRID. de forma matrimonii nondum est promulgatum. Nam, ut ait TRID. (Sess. XXIV *de ref. matr.* cap. 1) : « *Tametsi dubitandum non est*, CLANDESTINA *matrimonia*... RATA ET VERA *esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*,.. *nihilominus S. Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper* DETESTATA EST ATQUE PROHIBUIT. » **4°**) Ne celebretur priusquam habeatur *certitudo moralis de morte prioris conjugis*. Sic LUCIUS III (cap. 2 *de secundis nupt.*) decernit : « *Ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei* CONSTET, *quod ab hac vita migraverit conjux ejus*. »

Vetitum **ab homine** seu *particulare*, quod proprie et stricte loquendo *vetitum* nuncupatur, est specialis prohibitio nubendi, *facta in casu particulari*, ob justam causam : sive a *R. Pontifice* respectu omnium; sive ab *Episcopo* pro suis subditis dioecesanis; sive etiam a *Parocho* pro suis parochianis; qui tamen, cum careat

jurisdictione fori externi, non potest, nisi *extrajudicialiter* et *oeconomice* tantum, matrimonio obsistere, donec episcopus de causa judicet simulque decernat, quid ultra sit agendum. Pontifex vero et Episcopus matrimonium interdicere possunt *judicialiter* adeoque *sub interminatione poenarum;* quin imo Pontifex, isque solus, interdicto suo adjungere potest *clausulam irritantem*.

Causae autem **interdictionis specialis** *tres* praecipue numerantur : **1°**) Timor non inanis, ne ex matrimonio graves rixae, inimicitiae, scandala aliave incommoda subsequentur. Et ita si ex parte parentum, sive juste sive etiam injuste reclamantium, praevideantur graves inimicitiae, etc., judex nonnumquam matrimonium ad tempus interdicit, donec deferveat impetus. **2°**) Suspicio non vana latentis impedimenti sive dirimentis, sive impedientis tantum (pag. 40). **3°**) Reclamatio de sponsalibus quibus alteruter sponsorum prius se cum alia persona obstrinxerat.

Q. 88. Dic : 1°) *Quo jure* matrimonia MIXTA sint *illicita :* 2°) *quis* in illis possit *dispensare ;* 3°) ob *quas* CAUSAS, et 4°) sub *quibus* CONDITIONIBUS ?

R. Ad 1^{um}) Matrimonia MIXTA, *regulariter* loquendo, graviter illicita sunt, nedum ex *jure ecclesiastico*, sed etiam *naturali* et *divino*.

Explanatur. Quod sint illicita jure **ecclesiastico,** patet : quia hujusmodi matrimonia « *S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit,* » uti loquitur Bened. XIV in Declaratione super matrimoniis haereticorum in Holl. (4 Nov. 1741) et constat ex pluribus decretis Conciliorum et RR. PP., nostrae praesertim aetatis. Ratio autem prohibitionis est : tum ob vetitam catholicorum cum haereticis flagitiosam in rebus sacris communionem, quippe qui cum haeretico nuptias contrahit, unum idemque sacramentum cum ipso conficit ; tum quia catholicos inter et acatholicos vix ac ne vix quidem ea invenitur animarum concordia, quae inter conjuges necessaria prorsus est, ut latius evolvitur in cit. Instruct. S. U. Inq. (12 Dec. 1888) ; tum ob commune periculum perversionis, vel saltem indifferentismi, vel pravae liberorum educationis. Imo, si tale periculum reapse locum habeat, ut regulariter fit, illicita sunt ipso *jure* **naturali** et **divino,** cum utrumque prohi-

beat, ne quis se suamque prolem proximo periculo fidem et salutem amittendi temere exponat. Si vero illud periculum minime timendum sit in casu quodam particulari, matrimonia mixta adhuc prohibita manent lege ecclesiastica a Conciliis et Summis Pontificibus lata : non enim lex generalis obligare desinit, licat in uno alterove casu cesset ejus motivum. — Dixi : **regulariter** *loquendo ;* quia aliquando *licita* fieri possunt ex Pontificis dispensatione, ob gravem causam concessa, adhibitis insupes debitis cautionibus et servatis certis conditionibus ad removendum perversionis periculum.

Resolvitur. Ex dictis **sequitur** : 1°) « Catholicas personas, seu viros seu mulieres, quae nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis *temere* committant, non modo *canonicas* violare sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in *naturalem* atque *divinam* legem peccare. » « 2°) Ecclesiam nunquam permittere, imo neque permittere posse mixtarum nuptiarum celebrationem, nisi graves causae canonicae concurrant, et nisi opportunae exhibeantur cautiones, quarum virtute a conjuge catholico amoveatur perversionis periculum, et provideatur catholicae institutioni ac educationi prolis universae. » 3°) Hujusmodi cautiones « *in ipsa divina et naturali lege* » fundari. 4°) Proindeque hae cautiones « *remitti seu dispensari nunquam possunt.* » Ita ex Litteris S. U. I. ad Episcopos Hungariae (21 Jul. 1880) ap. N. R.T. (XIX, 5 seqq.).

R. Ad 2^{um}) Cum hic agatur de universali totius Ecclesiae disciplina ac lege, patet, summum legislatorem, i. e. solum R. Pontificem ab illo impedimento prohibente dispensare posse, exclusis omnino episcopis, nisi a R. Pontifice dispensandi facultatem obtinuerint.

R. Ad 3^{um}) Ad dispensandum causae requiruntur *graves*.

Explanatur. Ut autem **graves** sint, ex mente S. Sedis tales esse debent, quae **ad publicum magis bonum conducant.** Ejusmodi forent : 1°) Si princeps acatholicus ducere velit catholicam indeque magna catholicae religionis commoda forent speranda. 2°) Si spes probabilis adsit, ut familia acatholica, ad fidem veram inclinans, per matrimonium mixtum ad Ecclesiam revertatur. 3°) Si tale conjugium unicum sit remedium, ut liberi jam ex alio matri-

monio mixto procreati, in religione catholica educentur. 4°) Si magna scandala ex diffamatione, gravidatione vel alio modo oritura evitari nequeant, nisi per matrimonium mixtum.

Causae vero, quae **privata commoda magis respiciunt,** v. g. aetas superadulta, angustia loci, incompetentia dotis, bonum pacis, sponsalia bona fide contracta, ob quae timendum foret, ne sponsa remaneret innupta ac diffamata, non quidem per se de sensu S. Sedis facile sufficiunt; attamen earumdem causarum ratio habetur, dummodo aliae rerum circumstantiae concurrant, quibus illis pondus accrescat.

R. Ad 4^{um}) Uti declarat S. U. I. in mox cit. litt. ad Episc. Hung. (21 Jul. 1880) : « *S. Apostolica Sedes semper constanterque retinuit atque retinet, nullimode in* VETITO MIXTAE RELIGIONIS *fas esse dispensare, nisi singulis in casibus* PRAETER CAUSAS CANONICAS *simul concurrant* TRES *conditiones sequentes, videlicet* : 1°) *Ut partes, et praesertim haeretica, veras* CAUTIONES *praestiterint, quibus se coram Ecclesia obligent ad ea, quae ab iisdem Ecclesia exigit; inter quae praecipuum locum tenet catholica educatio universae omnino prolis absque ulla exceptione sive restrictione.* 2°) *Ut superior ecclesiasticus* MORALEM CERTITUDINEM *habeat sive de cautionum sinceritate pro praesenti, sive de earumdem adimplemento pro futuro.* 3°) *Ut cautionis exhibitio* NOTORIA *sit, vel saltem talis esse possit ad omne scandalum removendum.* »

Explanatur. Quod **modos** attinet qui in servandis hujusmodi *cautionibus* adhibentur, hi quidem non sunt semper *iidem*, sed *variant* pro variis temporum, locorum ac personarum adjunctis. Juxta hodiernam praxim in pluribus dioecesibus utraque pars *seorsim* ac separate, et quidem pars acatholica vel *loco juramenti*, vel *sub formali etiam juramento* ad protocollum coram duobus testibus promissiones emittit.—Porro pars *acatholica* promittit : **1°**) se partem catholicam in libero exercitio religionis catholicae nunquam impedituram; **2°**) se curaturam esse, ut omnes utriusque sexus liberi in Ecclesia catholica baptizentur, educentur atque in catholica schola instruantur; **3°**) copulationem unice in ecclesia catholica

peragendam esse, seque penitus renuntiare copulationi vel ante vel post coram ministro protestante faciendae. — Pars vero *catholica* promittit simpliciter absque juramento : 1°) se pro viribus et quidem per strenuum religionis exercitium ac bonum exemplum, per instructionem et monitionem curaturam, ut pars acatholica convertatur ; 2°) se omnes utriusque sexus liberos in catholica religione educaturam ; 3°) copulationem unice in ecclesia catholica peragendam. Qualiter vero peragi debeat, dictum fuit (pag. 102).

Q. 89. *Quomodo* agendum circa matrimonia *mixta* : tum 1°) *ineunda*, tum 2°) jam *inita?*

R. Ad 1^{um}) Parochus et confessarius debent : 1°) volentem inire matrimonium *mixtum* a tali proposito pro viribus deterrere. Si tamen ille ob gravem rationem velit in eo persistere, paratus petere dispensationem et conditiones imponendas adimplere, eum absolvi posse censeo cum GOUSSET. 2°) Quod si ob defectum causae sufficientis aut opportunarum cautionum dispensatio locum non habeat, parochus *regulariter* debet abstinere a *quocumque interventu* (S. U. I. 17 Jun. 1829).

Explanatur. Dixi : **regulariter** ; nam in Inst., quae addita est Litteris GREG. XVI (20 Apr. 1841) ad episcopos Hungariae, habetur : « *Tolerari posse* [S. Sanctitas] *declaravit, ut quoties ex temporum, locorum ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere et vicissim, omissis licet necessariis cautionibus, sine graviori discrimine nequeat impediri, atque insuper Ecclesiae utilitati communique bono expedire videatur, si illud, quamvis vetitum et illicitum, coram catholico parocho potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile confugerent, contrahatur, idem catholicus parochus, aliusve sacerdos ejus vice fungens, matrimonio ipsi,* MATERIALI TANTUM PRAESENTIA, *nullo adhibito ecclesiastico ritu, intersit, perinde ac si partes unice agat meri testis, ut aiunt, qualificati seu auctorisabilis, ita scilicet, ut utriusque conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum valeat referre.* »

R. Ad 2^{um}) Si conjux catholicus vel spretis omnibus monitionibus absque dispensatione contraxerit, vel suis promissio-

nibus postea non steterit; tunc, si facti poenitens dolorem suum de crimine admisso manifestet, sacramentorum potest fieri particeps, « *modo ante confessionem sincere declaret, procuraturum se conversionem conjugis haereticae, renovare se promissionem de educanda prole in religione orthodoxa et reparaturum se scandalum aliis fidelibus datum.* » Ita PIUS VI in rescripto ad Card. de FRANKENB. (13 Jul. 1782).

Scholion. Uti latius docetur in *Instr.* S. O. (27 Mart. 1878) ap. N. R. T. (XV, 122 seqq.) et iisdem fere verbis repetitur in cit. Instr. S. OFF. (12 Dec. 1888) ad Orientales, catholicis, qui matrimonium contrahunt cum haereticis, licet, urgentibus schismaticis seu haereticis, aut lege civili ita imperante, adire **ministrum haereticum,** si agat « *personam magistratus mere civilis,* » ob finem politicum, nempe ut habeantur civiliter honesti conjuges prolesque censeatur legitima. Secus vero dicendum, si adiretur tanquam minister religiosus seu « *veluti sacris addictus et quasi parochi munere fungens.* » Esset enim illicita cum haereticis in divinis communicatio. Quapropter **ante factum** sponsi a celebrando matrimonio coram haeretico ministro sacris addicto regulariter sunt avertendi. Quandoque tamen silendum erit, *remoto interim scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint.* — **Post factum** vero, parochus eorum matrimonio non assistat, « *nisi, servatis uti supponitur caeteroquin servandis, pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis* CENSURIS *rite prius obtinuerit.* » Constat enim ex declaratione S. OFF. (22 Mart. 1879) ap. N. R. T. (XXII, 144) excommunicationem latae sententiae R. P. specialiter reservatam contrahi ab iis qui matrimonium ineunt coram ministro haeretico vel schismatico sacris addicto. Confirmatur ex responsione S. OFF. (18 Maii 1892) ap. N. R. T. (XXV, 284). — Praeterea parochus eorum matrimonio assistere nequit, nisi prius recursus ad episcopum habeatur. Constat ex S. OFF. (12 Mart. 1881) ap. N. R. T. (XV, 121 seq.).

Q. 90. *Quid* sint impedimenta IMPEDIENTIA vocata: 1°) *tempus*; 2°) *sponsalia*; 3°) *votum?*

R. Ad 1^um^) Per TEMPUS, *quod* sive *sacratum*, sive *feriatum*, sive *clausum* dicitur, intelligitur determinatum temporis spatium, quod olim longius erat, nunc vero, post TRID., currit a Dom. I Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria IV Cinerum usque ad octavam Paschae, utrimque inclusive, i. e. ut ait BENED. XIV (*Inst. XIII*, n. 9) : « *a media nocte sabbati ante diem primum dominicum Adventus usque ad mediam noctem post Epiphaniae diem; et a media nocte ante diem SS. Cinerum usque ad mediam noctem diei dominici in Albis, uti scribit* CLERICATUS *ex communi omnium sententia.* »

Explanatur. Hoc autem tempore, **de jure communi,** prohibetur non ipsum matrimonium, sed tantum *nuptiarum solemnitates*, i. e. : **1°**) solemnis benedictio sponsorum intra Missam; **2°**) solemnis traductio sponsae in domum sponsi; **3°**) splendidiora convivia, tripudia, etc. Et quidem *illa* prohibentur sub gravi; *haec* vero vetantur sub levi, nisi magnus sit excessus; immo ex S. LIG. (VI,983) omni culpa vacant, si moderate fiant.—Cur autem Ecclesia tempore clauso solemnitates nuptiales prohibeat, ratio est : quod tunc fideles orationi et poenitentiae intentos esse velit. Jam vero, ut ait S. THOM. (in 4. dist. 32, q. unic.). « *Ipsa autem nuptiarum novitas ad voluptatum curam animos occupat, illosque vana laetitia dissolvit.* » — Dixi : *de jure communi;* nam **de jure particulari** in multis locis ipsum quoque matrimonium *tempore clauso* interdictum est. Immo, « *invaluit consuetudo ferme communis*, ait Card. SOGLIA, *ut parochus feriato tempore nuptiis non assistat, nisi primum ab episcopo veniam impetraverit.* »

R. Ad 2^um^) Per SPONSALIA intelliguntur sponsalia de futuro (pag. 2), quae ubi valide inita sunt, nec legitime dissoluta, ipso *naturali jure* impediunt, quominus alteruter sponsorum cum alia persona matrimonium *licite* inire possit (pag. 20). Si tamen nuptias contraheret, *validum* esset matrimonium, excepto casu, quo posterior persona priorem contingeret in primo gradu consanguinitatis, quia tunc sponsalia evadunt impedimentum dirimens ob *publicam honestatem (ibid.).*

R. Ad 3^um^) Per VOTUM intelliguntur *quatuor* vota sequentia :

sive 1°) *votum simplex castitatis*, seu quod non emittitur in professione valida religionis approbatae vel in susceptione Ordinis Sacri; sive 2°) *votum non nubendi* seu *coelibatus*; sive 3°) *votum ingrediendi religionem*; sive 4°) *votum suscipiendi Ordines SS.*

Explanatur. Quae *quatuor* vota jure tum **ecclesiastico,** tum, *universim* loquendo, etiam **naturali,** sub *gravi peccato* nuptias interdicunt : qui enim tali voto constrictus matrimonium celebrat, vel directe votum suum transgreditur, ut dum nuptias facit qui vovit *non* nubere; vel, *universim* loquendo, proximum adit periculum voti violandi, quemadmodum ordinarie evenit in eo qui vovit *castitatem*, vel *ingressum* in religionem, vel *susceptionem* SS. Ordinum. Neutiquam tamen peccavit B. M. V., licet voto castitatis obstricta inierit nuptias cum B. J., neque matrimonium irritum fuit, etsi uterque voto castitatis constrictus erat, juxta dicta ex S. Thom. (pag. 54).

Q. 91. *Quid* dicendum de illo qui nupsit, absque dispensatione, post VOTUM SIMPLEX ; vel 1°) *castitatis;* vel 2°) *non nubendi;* vel 3°) *ingrediendi religionem;* vel 4°) *suscipiendi Ordines SS.?*

R. *Varia* sunt dicenda pro *diversitate* voti quod quis emisit.

Resolvitur 1. Qui cum voto simplici **castitatis** matrimonium contrahit, **1°**) peccat graviter, sive habeat intentionem matrimonium consummandi, sive non. Nam in primo casu directe vult violare votum, et in altero temere se exponit periculo violandi votum vel jura compartis. **2°**) Contracto matrimonio, *per se loquendo*, toties mortaliter peccat, quoties debitum petit : quia debet servare votum quantum sine injuria alterius servare potest; atqui potest illaeso jure compartis a petendo abstinere. Ergo tenetur. Dixi : *per se loquendo:* nam DD. communiter excipiunt, si adsit periculum incontinentiae in altero conjuge; itemque si alter interpretative debitum exigat, nempe quando mulier verecunda est et vir sentit ejus voluntatem de debiti petitione, quia tunc potius est reddere, quam petere. Praeterea petere posset, si dispensationem ad petendum debitum obtinuisset ab episcopo aut confessario men-

dicante (tom. I, pag. 414), aut voti irritationem ab altero conjuge factam (tom. I, pag. 409). 3°) Debitum tamen reddere potest et debet elapsis duobus prioribus mensibus neque prorogatis a judice ecclesiastico (pag. 84 seq.) : quia compars post bimestre acquisivit jus petendi debitum, cui correspondet obligatio reddendi. Ast reddendo debitum *intra* bimestre peccat prima vice : cum enim ex privilegio eximuntur hoc tempore conjuges ab obligatione conjugalis debiti, poterat illud sine injuria alterius denegare. Consummato autem matrimonio ante finem bimestris debitum reddere potest et debet. 4°) Debet a reddendo debito omnino abstinere, si alter consentiat ut non reddatur, vel jus petendi amiserit, v. g. ob adulterium vel incestum. 5°) Soluto matrimonio, non potest transvolare ad alias nuptias, sed redit votum in tota sua latitudine, nisi dispensationem a voto suo etiam ad hunc effectum obtinuerit. **Resol. 2.** Habens votum **non nubendi** seu *coelibatus*, 1°) graviter peccat, si matrimonium contrahit. 2°) Contracto matrimonio, reddere atque etiam petere potest debitum, quia jam impossibilis facta est voti observatio. 3° Mortuo conjuge, novum matrimonium saltem probabiliter contrahere potest ob eamdem rationem. In *praxi*, quando dubium est, an quis *coelibatum* seu virginitatem, an potius *castitatem* voverit, interrogandus est vovens : an ductus fuerit motivo eximendi se ob oneribus matrimonii, ut sic possit liberius servire Deo; an vero motus fuerit unice amore et affectu puritatis. In 1° casu *coelibatum* ; in 2°) *castitatem* vovisse censendus est. **Resol. 3.** Habens votum **ingrediendi religionem**, 1°) graviter peccat contrahendo matrimonium absque dispensatione. 2°) Ante matrimonii consummationem tenetur religionem ingredi, quia adhuc possibilis est et licita voti exsecutio. Unde 3°) graviter peccat, quando prima vice, sive petendo sive reddendo matrimonium consummat. 4°) Hoc autem consummato, licite potest petere ac reddere, quia non vovit castitatem, sed religionem. 5°) Conjuge defuncto vel jus amittente aut cedente, tenebitur *per se* religionem ingredi, quia illius votum non cessavit absolute per contractum matrimonium, sed tantum ad tempus fuit suspensum. Dixi : *per se* ; nam *per accidens*, propter rerum mutationem, votum plerumque adimpleri non poterit. **Resol. 4.** Qui cum voto **suscipiendi Ordines SS.** matrimonium absque dispensatione con-

trahit, 1°) graviter peccat contra votum. 2°) Tenetur Ordines suscipere, quotiescumque id poterit. 3°) Si vero suscipere nequeat, non tenetur religionem ingredi, nec debitum petendo peccat.

CAP. 2. De potestate dispensandi in impedimentis impedientibus.

Q. 92. *Quinam* DISPENSARE valeant in impedimentis *impedientibus?*

R. *Episcopi*, plenam jurisdictionem in foro externo gaudentes, per se vel per delegatos suos, dispensare possunt in *plerisque* impedimentis impedientibus.

Explanatur. Sic habet generalis consuetudo, cui S. Pontifex censetur consentire; nec, teste BENED. XIV (*de Syn.* lib. IX, cap. 2, n. 1), ullus est, qui de hac potestate episcoporum dubitet. — Dixi : **plerisque**; nam nequeunt dispensare in sequentibus : 1°) In voto absoluto **castitatis perpetuae** et **ingrediendi religionem** approbatam ab Ecclesia, nisi, urgente necessitate et incontinentiae periculo, aditus ad Papam non facile pateat (tom. I, pag. 415). 2°) In **matrimoniis mixtis**, nisi per indultum omnino particulare id ipsis fuerit concessum juxta dicta (pag. 108). 3°) In **vetito speciali** *lato a R. Pontifice*, vel *ab alio episcopo superiore*, v. g. ab archiepiscopo in casu appellationis. 4°) In impedimento **ex sponsalibus validis** vel *ex alio titulo justitiae* exorto; quo casu, nequidem ipse Papa dispensare valet. Aliquando tamen declarare possunt eorum obligationem cessare, ob circumstantias quae supervenerunt. 5°) In **solemnitatibus nuptiarum,** *tempore clauso*. Eo tamen tempore permittere possunt, ut celebretur matrimonium, si alicubi peculiari consuetudine tunc prohibeatur.

Regulares vero, ut constat ex dictis (tom. 1, pag. 410 et 414 seq.; et tom. 2, pag. 350 seq.), dispensare valent, sed in foro conscientiae tantum : 1°) in voto *castitatis temporaneae;* 2°) in voto *non nubendi* seu coelibatus; 3°) in voto *suscipiendi Ordines SS.;* 4°)in voto *castitatis perpetuae*,—*in ordine* **ad usum matrimonii,** i. e. tam ad petendum quam ad reddendum debitum, sive ante sive post initum matrimonium votum emissum fuerit, modo tamen ex communi consensu ambo non voverint castitatem.

SECTIO 2ª.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

CAP. 1.

De auctoritate statuendi impedimenta dirimentia.

Praenotandum. Circa potestatem constituendi impedimenta, praesertim dirimentia, plures olim excogitati fuerunt et etiamnum vigent **errores.** — Saec. XVI, **Lutherus** et **Calvinus** et eorum sectarii, cum contenderent matrimonium non esse sacramentum, sed contractum mere civilem, consequenter docuerunt : hunc contractum subjici tantum auctoritati Principum, causas matrimoniales pertinere ad judices saeculares, Ecclesiam nihil aliud posse quam promulgare leges in S. Scriptura et praesertim Lev. XVIII contentas, a quibus proinde non potest dispensare. Quos errores damnavit Trid. (Sess. XXIV *de matr.* can. 1, 3 et 4). — Saec. XVII ineunte, **Marc. Ant.** de **Dominis,** relicta Societate Jesu, in qua plures annos exegerat, primum episcopatum *Segniensem*, deinde Archiepiscopatum *Spalatensem* in Dalmatia adeptus, ac tandem apostata effectus, totus in eo fuit, ut matrimonii vinculum et causas matrimoniales potestati ecclesiasticae subduceret, in opere : *De republica ecclesiastica*, quod in Anglia edidit, et an. 1617 S. Facultas Parisiensis censura perstrinxit. Famosus ille apostata ad meliorem frugem conversus, Romae an. 1625 e vivis decessit. — Saec. XVII vergente, **Joan. Launojus.** Dr Sorbonicus et factioni Jansenianae addictissimus, in libro : *De regia in matrimonium potestate*, ut hanc potestatem principibus vindicaret, haec quatuor docuit : **1°**) Sacramentum a contractu matrimoniali esse prorsus distinctum ; **2°**) Ecclesiam posse propria auctoritate quaedam statuere circa sacramentum, non vero circa contractum, nisi ex principum expresso vel tacito consensu ; **3°**) Contractum esse mere civilem, civilis potestatis dispositionibus subjectum ; irrito vero contractu, non subsistere sacramentum defectu materiae ; et **4°**) ne offendere videretur in canones Trid. sub anathematis poena potestatem in matrimonium *Ecclesiae* adstruentis, *Ecclesiae* nomine contendit debere intelligi coetum fidelium, non quidem quatenus Pontificem et ordinem sacerdotalem complectitur, sed prout constat ex regibus et magistratibus politicis, ac canones Trid. non esse *dogmaticos* sed *disciplinares*.

At tam insolens Launoji assertum continuo multis confutarunt insignes duo alii DD. Sorbonici, alter libro : « *Traité du pouvoir de l'Eglise et des Princes sur les empêchements du mariage* » (Paris 1697), invicte demonstrans, adductis quovis ex saeculo testimoniis, Ecclesiam nequaquam precario sed proprio ac nativo jure hac potestate usam in statuendis impedimentis dirimentibus ; alter vero libro : « *Observationes in librum magistri* J. Launoji *de regia in matrimonium potestate* » (an. 1678), malam Launoji fidem demonstrans in depravandis ac interpretandis textibus, expilatumque ab eo fuisse totum prope M. A. de Dominis, dictum alias vulgo *Spalatensem*. Obiit Launojus Parisiis an. 1678. — Ejus doctrinam fere demortuam suscitarunt circa medium Saec. XVIII quidam **jurisperiti aulici**, eamque amplexus est turba doctorum **Jansenistarum** in Gallia et **Josephismi** fautores in Germania provinciisque subjectis Imperatori, qui an. 1783 edictum ediderat quo omnes causas matrimoniales judicibus civilibus reservavit et quaedam etiam impedimenta ab Ecclesia statuta abrogavit. — Eamdem doctrinam adoptavit pseudo-synodus **Pistoriensis**, an. 1786 sub Scipione Ricci celebrata et a Pio VI per Bullam « *Auctorem fidei* » an. 1794 damnata. — In Gallia vero ex iisdem doctrinis prodiit **matrimonialis** legislatio an. 1792, quae matrimonium unice ut civilem contractum spectat, nihil attendens ad Ecclesiae canones seu decreta. — Novissimis tandem hisce diebus pravas Launoji circa matrimonium doctrinas recoxerunt **Franc. de Paula G. Vigil**, sacerdos Limanus in republica Peruviana, et **Joan. Nepom. Nuytz**, professor laicus in athenaeo Taurinensi, quorum scripta damnavit Pius IX, prioris quidem in Litt. Apost. « *Multiplices inter* » (10 Jun. 1851) ; posterioris vero in Litt. Apost. « *Ad apostolicae* » (22 Aug. 1851). Utriusque scriptoris damnatae propositiones referuntur in Syll. § VIII. — De his omnibus egi in opere : *Principia et Errores*.

Q. 93. Dic : 1°) *An* Ecclesia habeat *potestatem* statuendi impedimenta *dirimentia* ; 2°) *quo* jure ; 3°) *an* exclusive ; et 4°) *quinam* intelligantur nomine Ecclesiae ?

R. Ad 1^{um}) Est de fide catholica, Ecclesiam habere potestatem statuendi impedimenta dirimentia.

Explanatur. Constat ex Trid. (Sess. XXIV *de matr.* can. IV) : « *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema*

sit. » Quae quidem Ecclesiae potestas probatur : tum ex ipsa NATURA MATRIMONII, quod est contractus *religiosus*, imo *sacramentum ;* tum ex TRADITIONE et PRAXI Ecclesiae, ut luculenter conficitur ex mirabili Enc. LEON. XIII « *Arcanum* » jam saepius memorata. — Nec quis **objiciat :** Ecclesia non potest *mutare substantiam sacramentorum*, ut docet TRID. (Sess. XXI, cap. 2). Atqui, si constituere posset impedimenta dirimentia, posset *mutare substantiam* sacramenti matrimonii, quippe, iis constitutis, contractus, qui antea erat materia hujus sacramenti, desineret esse materia ; surrogaretur enim novus contractus. **Respondetur** enim *negando* Min. et Prob. A Christo quidem pro materia hujus sacramenti *generice* institutus fuit contractus legitimus, i. e. juxta leges initus ; quis vero esset contractus ille legitimus, Christus *in specie* non determinavit, sed determinandum reliquit arbitrio Ecclesiae. Unde, dum Ecclesia ad bonum commune contractui suas dat leges, hic erit legitimus ; ergo ipsam materiam non mutat, quia manebit semper : *contractus legitimus est materia sacramenti matrimonii ;* seu, ut in Enc. « *Arcanum* » loquitur LEO XIII : « *Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium ; matrimonium autem est ipse contractus*, si MODO SIT FACTUS JURE. » — (De quaestione : *Utrum Christus quorumdam sacramentorum materias et formas* IN GENERE *tantum determinaverit*, late scripsi in opere : PRINCIPIA DOGMATICO-MORALIA UNIVERSAE THEOLOGIAE SACRAMENTALIS, pag. 199 seqq.).

Resolvitur. Cum potestas Ecclesiae ejusque infallibilitas in impedimentis constituendis sit *objectum directum* definitionis TRIDENTINAE, manifestum est, heic non agi *de lege*, qua praecipiatur quid agendum vel omittendum sit, sed *de articulo doctrinae* ab omnibus sub poena anathematis profitendo, adeoque praefatum canonem Tridentinum aliosque de eadem materia tractantes non esse *disciplinares*, sed **dogmaticos**, seu fidei regulam constituentes. Quod insuper conficitur tum ex titulo ipso : « *Doctrina de sacramento matrimonii,* » qui Sess. XXIV praefixus est, quo aperte ostendit S. Synodus, a se doctrinam tradi, non autem nuda praecepta aut leges constitui disciplinae ; tum ex scopo quem sibi propositum fuisse declarat, nimirum : « *schismaticorum haereses et errores exterminandos.* » Accedit tandem damnatio propositionis NUYTZII relatae in SYLL. sub n. LXX, quae infra adducetur.

R. Ad 2^um) De Fide est hanc potestatem Ecclesiae competere jure *proprio* et *originario*, non vero ex tacito vel expresso consensu Principium, ut contendebant PISTORIENSES post LAUNOJUM.

Explanatur. Constat ex Const. dogmatica PII VI « *Auctorem fidei,*» in qua doctrina Synodi PISTORIENSIS asserens : «*Ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia,* » et subjungens : « *Supposito assensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii,*» damnata fuit, ut «*canonum Conc.* TRID. *eversiva, haeretica.*» Accedit inter «*errores de matrimonio christiano*» relatam esse in SYLL. ex opere J. N. NUVIZII sequentem propositionem sub n. LXIX : « *Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure* PROPRIO, *sed illo usa est, quod a civili potestate mutuata erat.*» Item sub n: LXX : «TRIDENTINI *canones, qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant vel non sunt* DOGMATICI, *vel de hac* MUTUATA *potestate intelligendi sunt.*» Et sane, si Ecclesia potestatem suam a principibus saecularibus fuisset mutuata, eam sibi competere judicio dogmatico definire non potuisset, cum similis concessio sit factum humanum, nec propterea objectum dogmaticae definitionis. Imo contingere posset, ut dogmatica illa definitio foret falsa, v. g. sub infidelium dominatione, aut si principes concessam potestatem revocarent, ut recte notat Card. DE FRANKENBERG in opere : «*Iudicium doctr. super doctrina Professorum Seminarii generalis Lov.*»(27 Jul. 1789 .

R. Ad 3^um) *Affirmative.*

Explanatur. Probatur ex TRID. (Sess.XXIV,can.XII) : «*Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.*» Et quidem causas matrimoniales *omnes* ad *solos* judices ecclesiasticos privative pertinere, docet PIUS VI in suis Litteris ad episc. MOTULENSEM (16 Sept. 1788). Jam vero impedimenta matrimonii, praesertim dirimentia, sunt indubie causae matrimoniales;

ergo simpliciter spectant ad judices ecclesiasticos, non vero ad civiles. Idipsum evincitur; tum ex *constanti praxi* Ecclesiae, quae quovis saeculo causas matrimoniales sibi vindicavit; tum ex ipsa *natura matrimonii*, sive quatenus contractus est religiosus et sacer: ad Ecclesiam enim exclusive pertinet judicare de rebus sacramentalibus et religiosis seu sacris; tum ex *damnatione* propositionis J. N. Nuytzii relatae in Syll. sub n. LXXIV : «*Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.*»

Resolvitur 1 Certissimum est, Principes laicos potestate ponendi impedimenta praesertim dirimentia pro matrimoniis **fidelium** sibi subditorum *nullo modo gaudere*. Ut enim ex dictis liquet, in christianorum conjugiis contractus matrimonialis a sacramento non distinguitur. Atqui, ut in Enc. «*Arcanum,*» loquitur Leo XIII: «*De sacramentis autem statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi,* **SOLA** *potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam.*» **Resol. 2.** Omnino, ut probabilius saltem, tenendum esse arbitror : Principes saeculares eadem potestate carere pro subditis suis **infidelibus,** atque adeo civilis potestatis exercitium in hujusmodi matrimoniis dirimendis ultra civiles effectus nullatenus extendi. Id enim sequitur ex iis, quae scripsimus (pag. 44 seq.) de *natura* matrimonii *naturalis*, seu prout est *officium naturae*, ubi vidimus, illud esse primario et essentialiter contractum *naturalem, religiosum* et *sacrum, jure divino ante omnem societatem civilem institutum et firmatum.* Quae doctrina 1°) confirmatur ex verbis Enc. «*Arcanum*» Leonis XIII : «*Cum matrimonium habeat Deum auctorem fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo* sacrum et religiosum quiddam, *non adventitium*, sed ingenitum, *non ab hominibus acceptum*, sed natura insitum. *Quocirca* Innoc. III (cap. 8 de divort.) *et* Honorius III (cap. II de transact.) *decessores Nostri, non injuria nec temere affirmare potuerunt*, apud fideles et infideles exsistere sacramentum conjugii... *Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte* sacrum, *consentaneum est, ut regatur et temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum* sola *habet magisterium.*» — Nec dicatur : Pontificem hic loqui tantum de matrimoniis Christianorum, non vero infidelium; haec enim inter-

pretatio omnino contorta est, ut patet inspicienti contextum. — 2°) Confirmatur *ex inconvenienti alterius sententiae*. Si enim haberent principes potestatem ponendi impedimenta pro matrimoniis *infidelium*, qua tamen potestate certissime carent quoad matrimonia *fidelium*, sequeretur principum potestatem a Christo fuisse restrictam et partem aliquam potestatis ex rei natura ipsis competentis sublatam fuisse atque Ecclesiae traditam.

Contrariam quidem sententiam cum plerisque antiquioribus (1) Canonistis et Theologis olim sustinuit S. Facultas Theol. Lovan. in «*Judicio doctrinali*» an. 1759, affirmans : «*Extra dubium esse positum, penes saeculares principes esse potestatem irritantia impedimenta statuendi respectu matrimoniorum* non baptizatorum *sibi subditorum.*» Nunquam tamen defuerunt alii qui praefatam potestatem principum denegarunt, quibus recentius adnumerandi sunt DD. non infimi subsellii, quos inter Martin (*de Matr. ac potest. ipsum dirim.*), Heuser, D^r Lov. et Theol. Vat. *(de potestate statuendi impedimenta dirimentia)*, Perrone *(de Matr. Christ.)*, Kenrick (*Theol. dogm.* III, 391, n. 78), Card. Zigliara (*Eth.* III, 212 ed. 6), Egger (*Ench. theol. dogm.* n. 674), Feye *(de imp. et disp.*

(1) Inter antiquiores potestatem principum vindicantes plerique falso nitebantur principio quod matrimonium sit essentialiter et primario contractus *civilis*, quod sane nemo jam dixerit post solemnes declarationes Pii VI, Pii IX ac praesertim Leonis XIII. — Nec dicatur alia sacrum characterem habentia, puta juramentum, civili potestati quoad plurimas determinationes bonum sociale spectantes, subjacere; hoc enim verificatur de effectibus civilibus, non vero de ipsis rebus sacris, prout pertinent ad jus naturae.—Nec etiam dicatur ipsam necessitatem communis boni postulare, ut matrimoniis infidelium a principe civili apponi possint quaedam impedimenta, cum ab Ecclesia apponi nequeant; haec enim ratio aeque probaret principem civilem talia impedimenta apponere posse pro matrimoniis fidelium. — Insuper qui antiquiorem et antea communiorem sententiam defendere satagunt, quos inter recentius : Resemans (*de compet. civ. in vinc. conj. infid.* Rom. 1883), Cavagnis (*Inst. jur. pub. Eccl.* tom. 3, q. 1), Gasparri (*tract. de matr.*), De Becker (*de spon. et matr.*), Lehmk. qui tamen principi non mere ut principi, sed quatenus exercet auctoritatem religiosam, hanc potestatem tribuit, alii, provocant quidem ad praxim S. Sedis. Quocirca animadvertere liceat: 1°) nullam hucusque a SS. Congregationibus declarationem *generalem* certo authenticam afferri potuisse, quae praetensam principum potestatem vindicet. 2°) Inter decisiones quae pro casibus *particularibus*

matr.) qui tamen in ed. 4 (1893) fatetur se « graviter moveri » resolutione an. 1820, alii.

Neque duplici datae *Resolutioni* **obstat** illud S. THOM. *(Suppl.* q. 50, a. un. ad 4) : « *Personae illegitimae ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo, quod sunt contra legem qua matrimonium statuitur. Matrimonium autem, in quantum est in officium naturae, statuitur lege naturae ; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino ; in quantum est in officium communitatis, statuitur* LEGE CIVILI. *Et ideo ex* QUALIBET *dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium contrahendum illegitima.* » Quod etiam docet *(4 cont. Gent.* cap. 78). **Resp.** Matrimonium, « *in quantum est in officium communitatis* » seu « *in quantum ordinatur ad bonum politicum,* » juxta S. THOM., « *statuitur* LEGE CIVILI » seu « *subjacet ordinationi* CIVILIS LEGIS, » non quidem in ordine ad *vinculum* ipsum conjugale, sed in ordine ad *forum civile* seu quoad effectus civiles, Et re quidem vera, quod S. THOMAS nullam vim in *civilibus legibus* agnoverit constituendi impedimentum, quo irritum reddatur ipsum matrimonii *vinculum*, aperte evincunt inter cetera haec, quae scribit (*Suppl.* q. 57, a. 2). Agens enim ibi de impedimento COGNATIONIS

allegantur, aliae sunt dubiae, aliae sunt quidem authenticae, sed controversiam non ideo dirimunt. Imprimis citatur responsum S. C. de P.F. (26 Jun. 1820) ubi nullum declaratur matrimonium quod vir infidelis cum muliere infideli inierat, omissa quadam caeremonia, cujus omissio juxta Tonkini regni regestas censetur matrimonii impedimentum dirimens. (Ap. *Collect. S. C. de P. F.* n. 1449). Deinde citatur responsum S. OFF. (20 Sept. 1854) ex quo deducitur matrimonium contractum inter infideles ligatos affinitate legitima primi gradus lineae collateralis, quod omnino a lege civili erat prohibitum etiam sub poena mortis, haberi ut invalidum. Cui responso (ap. *Collect. cit.* n. 1447) annexa est *Instructio* jussu S. Congregationis concinnata atque an. 1821) approbationi EE. Patrum exhibita (quorum tamen responsio desideratur in Actis). — Verum praefatae resolutiones prodierunt ante solemnes circa naturam matrimonii declarationes LEON. XIII, dum scilicet nondum, data opera, discussio super hoc argumento habita fuerat : in rebus autem dubiis S. R. E. Congregationes consueverunt communiori sententiae adhaerere, quin tamen intenderint quidpiam rei veritati detrahere, prout identidem in aliis adhuc implexis questionibus sese gesserunt. — Res itaque decisa non est, nec posset casu occurrente matrimonium sine recursu ad S. Sedem pro valido vel invalido haberi.

LEGALIS, postquam advertit illud a lege civili prius introductum, ab Ecclesia deinde approbatum fuisse, addit : «*Et* INDE *est, quod legalis cognatio matrimonium impediat.*» Et infra (ad 4) subjungit : «*Dicendum, quod prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret* ECCLESIAE AUCTORITAS, *quae idem etiam interdicit.*» Itaque principes saeculares, juxta S. THOMAM, eas tantum leges ferre possunt, quae impediant matrimonii contractum in *ordine suo*, i. e. quoad effectus civiles. Quod ipsum Enc. «*Arcanum*» hisce verbis edocet LEO XIII, ubi loquens de Ecclesia inquit : «*Non ipsa ignorat neque diffitetur, sacramentum matrimonii cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed* IN GENERE CIVILI *versantur : de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt qui reipublicae praesunt.*

R. Ad 4^{um}) Nomine *Ecclesiae* hic intelligitur non coetus fidelium, aut principes qui sunt in Ecclesia; sed ordo hierarchicus seu Praelati Ecclesiae.

Explanatur. Licet enim aliquando *Ecclesia* dicatur totus coetus fidelium vel aliqua pars illius, ubi tamen agitur de *potestate* et *doctrina* Ecclesiae, tunc nomine *Ecclesiae* illi solum veniunt qui juxta Christi institutionem docendi et regendi potestatem in Ecclesia exercent, i. e. **Praelati Ecclesiae**. Non tamen *quivis* Ecclesiae Praesul potest statuere impedimenta *dirimentia;* bene vero *Summus Pontifex* et *Concilium generale* ab ipso approbatum. Id itaque non valent : sive *Episcopi*, sive *Concilia Provincialia*, sive *consuetudo*, nisi Pontifice expresse confirmante. Quod si aliquando id fecerunt Episcopi et Synodi provinciales, censendi sunt id operati fuisse auctoritate S. Pontificis. Et quod dictum est de impedimentis *dirimentibus*, id quoque de *impedientibus tantum* dicendum est. Possunt tamen episcopi *in casu particulari*, spectatis scilicet adjunctis, per modum *praecepti*, impedire matrimonium *ad tempus* ex rationabili causa, puta ad sedandum scandalum vel ad detegendam alicujus impedimenti objecti veritatem, ut supra (pag. 106 seq.) de *Ecclesiae vetito* visum fuit.

CAP. 2. De quidditate, numero, speciebus et obligatione impedimentorum dirimentium.

Q. 94. Dic : 1°) *Quid*, 2°) *quot*, et 3°) *quae* sint imp. DIRIMENTIA ?

R. Ad 1^{um}) Impedimenta DIRIMENTIA seu IRRITANTIA illa sunt, non quae dirimunt seu solvunt matrimonium jam valide antea contractum ; sed quae obstant, ne *valide* contrahatur, seu aliis verbis : quae faciunt, ut matrimonium contrahendum seu attentandum non *valeat.*

R. Ad 2^{um} et 3^{um}) *Quindecim* numerantur, iis versibus expressa :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus et impos,
Raptave si mulier, parti nec reddita tutae.

Q. 95. Imp. *dirimentia* 1°) *quo* JURE sint introducta ; 2°) *quosnam* obligent ; 3°) an urgeant, etsi *invincibiliter ignorata ;* et 4°) an, si sint juris *ecclesiastici*, cessent ob *necessitatem ?*

R. Ad 1^{um}) Ex quindecim *duo :* RAPTUS scilicet et CLANDESTINITAS, jure *novo* introducta fuerunt per TRID. (Sess. 24 *de ref. matr.* c. 1 et 6) ; reliqua *tredecim* sunt juris *antiqui*, sive NATURALIS, sive DIVINI, sive solum ECCLESIASTICI.

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Impedimenta, quae sunt juris **naturalis** aut **divini**, obligant *omnes* homines, etiam *infideles*. Hinc si maritus infidelis repudiat legitimam suam uxorem, et ea vivente aliam duxit, secundum matrimonium non subsistit, quia obstat impedimentum *ligaminis*, quod saltem jure divino positivo matrimonium dirimit. Quae vero sunt **juris ecclesiastici** tantum, obligant omnes et solos *baptizatos*. Quare hujusmodi impedimentis etiam ligantur **haeretici**, quippe qui per baptismum facti sunt Ecclesiae subditi ; et quamvis Ecclesia aliquando nolit certa aliqua lege haereticos obligare (tom. I, pag. 128), certum tamen est, quod velit hac in re haereticos obligare. Nam 1°) a S. Sede conceditur epis-

copis facultas dispensandi cum haereticis ad Ecclesiae unitatem redeuntibus, qui intra gradus, jure tantum ecclesiastico prohibitos, in haeresi matrimonium contraxerunt; quod sane superfluum foret, si ipsi legibus, quae ea conjugia irrita faciunt, non tenerentur. 2°) Declaravit Bened. XIV (4 Nov. 1741) matrimonia haereticorum in Hollandia absque Tridentina forma contracta valere, « *dummodo aliud non obstiterit* canonicum *impedimentum ;* » quod ostendit eos ab hisce impedimentis non esse immunes. 3°) Haereticos ligari impedimentis ecclesiasticis ostendit Bened. XIV, Const. « *Singulari nobis* » (9 Febr. 1749), ubi agit de Judaeo qui duxerat mulierem haereticam ; inter quos conjugium subsistere negavit, quum obstaret *cultus disparitas*. Item Greg. XVI per S. U. I. (20 Jul. 1840) declaravit matrimonium, quod Anglicanus cum Anabaptista non baptizata inierat, nullum esse. Quare, si contigerit, haereticos converti ad fidem, qui intra gradus jure ecclesiastico prohibitos conjuncti sunt, vel alio impedimento canonico obstricti matrimonium contraxerunt, dispensatio est quaerenda. Non autem ligantur **infideles,** et ideo eorum matrimonia cum tali impedimento contracta etiam post conversionem manent valida, in suppostio quod nuptiae inter *duos* infideles fuerint contractae. Quod ideo addo : quia infideles quandoque *indirecte* attingi possunt impedimento ecclesiastico, si nempe conjungi velint cum fidelibus, qui impedimentis Ecclesiae subjiciuntur. Ex eo enim quod v. g. mulier baptizata inhabilis reddatur aliquo impedimento canonico, indirecte et per consequentiam inhabilis erit vir infidelis qui cum ea vult contrahere, cum matrimonium in ratione contractus non possit claudicare.

R. Ad 3^{um}) *Affirm.*, saltem si impedimentum CRIMINIS excipias.

Explanatur. Ratio est : quia ignorantia invincibilis excusat quidem a peccato et a lege *prohibente*, non tamen a lege *irritante*. Per hoc enim quod ignorem meam inhabilitatem, non fio habilis. Hinc, si mulier fuerit vi oppressa a viro incognito, et postea nubat fratri stupratoris, matrimonium est invalidum, licet uterque contrahentium impedimentum *affinitatis* ignoret. — Dixi : *saltem si impedimentum* **criminis** *excipias*. Nam, utrum illud impedimentum, quando ab utraque parte *invincibiliter* ignoretur, incurratur necne, non ita certo constat. *Duplex* datur sententia probabilis.

— Prima **affirmat** : quia imp. dirimentia sunt inhabilitates ; et quamvis illa, quae proveniunt ex delicto, induant etiam naturam poenae, nihilominus *primario* et *principaliter* sunt inhabilitates canonicae et *secundario* tantum poenae. Ita DD. *communius* « sed principiis *nec certis, nec evidentibus*, » ait D'Annibale (III, 332). — Secunda vero **negat** : quia imp. criminis *principaliter* statutum est in poenam adulterii et conjugicidii, quandoquidem canones illud statuunt *propter delictum formale*, atque *in eum finem*, ut per illud *tanquam gravem poenam* conjuges ab adulteriis et conjugicidiis absterreantur. Atqui poena ignorata, cum sit extraordinaria, non incurritur. Ergo etc. Ita *probabilius*, juxta Bucceroni (II, p. 289), D'Annib. (*l. c.*), Ballerini ap. Palm. (VI, 515 seqq.), Lehmk. (II n. 770), alios. Ad rationem autem allatam pro *prima* sententia, nimirum : quod imp. criminis non sit poena sed inhabilitas, aut, si poena dici debeat, simul tamen et *primario* sit inhabilitas; patroni *secundae* sententiae respondent : rationem hanc parum probare : quia ipsa inhabilitas jure statuta est in poenam criminis ; atque adeo quidquid requiritur ad contrahendam poenam, requiritur etiam ad incurrendam inhabilitatem poenalem, et quidquid eximit a poena, id quoque ab inhabilitate poenali excusat. Ad **objectionem** vero : si impedimentum criminis ab ignorantibus non incurratur, sequeretur pariter impedimentum affinitatis ex copula *illicita* proveniens non incurri ab iis qui ignorant illud a jure annexum esse delicto fornicationis, nam poena ignorata, cum sit extraordinaria, non incurritur ; **respondent** nonnulli *secundae* sententiae defensores, sequelam simpliciter admittendo, ut videre est apud Engel (l. IV, tit. XIV, § II, n. 11). « Sed ejusmodi responsum, ut scite notat Ballerini, nec necessarium est, nec opportunum. Nam multo melius advertit cum aliis Krimer, inhabilitatem ex affinitate per se non supponere necessario delictum aliquod, sed solum propinquitatem personarum, quae ex sanguinis commixtione profluit ; quocirca affinitas inhabilitatem istam aeque inducit, tum si ex licita, tum si ex illicita commixtione oriatur, etsi Concilii Tridentini benignitate extensio inhabilitatis ex damnata conjunctione ortae justis de causis ad arctiores limites restricta fuerit. » Neque contra hanc *secundam* sententiam **argui** posse videtur ex praxi et stylo curiae, quod reis criminis nunquam permittatur contrahere sine dispensatione. Nam,

ut ait idem Ball. : « **Reponi** potest cum Bened. XIV (*Quaest. Canon.* 185, n. 26-27), quod cujusvis dispensationis aut facultatis concessio vel negatio per SS. Congregationes, neque controversiarum statum neque jurium conditionem ullo modo immutat. Proinde sicut (ut ibi habet idem Bened. XIV) dispensatio concessa vel negata super irregularitatibus vel censuris non evincit incursum in irregularitatem vel censuram, nec concessio aut negatio facultatis petitae, v. g. a Regulari mendicante, qui vi suorum privilegiorum ea jam pollebat, nihil ipsius aliorumve Regularium privilegiis detrahit ; ita nec dispensatio concessa ad convalidandum matrimonium evincit praecedentem ejusdem matrimonii nullitatem, nec dispensatio concessa ad matrimonium contrahendum evincit certam impedimenti exsistentiam. » — De hac controversia tractat N. R. T. (XIII, 382-386 et XXIII, 222).

Resolvitur. Quidquid sit, testatur Ballerini, hanc secundam sententiam non modo in Seminarii Romani scholis tradi ut *vere probabilem* jam diu consuevisse ; sed in consessu quoque Examinatorum Romani cleri uti talem ultro admitti.—Cujus quidem sententiae consectarium est hoc : quod cum impedimento criminis *ignorato* matrimonium valide ac licite sine dispensatione contrahi possit, juxta dicenda inferius de impedimento *dubio*, licet consultius sit eam petere ad praecavendas in posterum anxietates.

R. Ad 4^um^) *Sub distinctione*

Explanatur. Vel agitur de necessitate **communi**, vel **privata**.

Si **primum** : *Affirm.* ; et sic cessat impedimentum *clandestinitatis*, si sit necessitas communis in aliqua provincia, v. g. si fideles grassante persecutione nequeant omnino parochum legitimum adire (tom. I, p. 146). Ita, occasione perturbationis Gallicanae, Pius VI, in epist. ad Episc. Lucionem. (28 Maii 1795) declaravit : « *Quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere, horum profecto conjugia contracta coram testibus et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, et valida et licita erunt, ut saepius declaratum fuit a* S. C. Conc. Trid. *Interpret.* » Nuper autem e S. U. I. (1 Jul. 1863) decretum prodiit, quo declaratur : facultatem celebrandi valide ac licite matrimonium cum duobus testibus sine praesentia parochi tunc adesse, quando *per*

spatium unius mensis tutus non sit ad eumdem accessus. Dicitur enim : « *Quando difficilis, nec tutus est accessus ; et ignoratur, quandonam parochus haberi possit, et praevidetur spatio saltem* UNIUS MENSIS *a loco abfuturus, nullusque alius sit, qui vices parochi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi, servata in eo, quo potest, forma Conc. nempe adhibitis saltem duobus testibus.* » « Unde fit, ait BALLER., ut, quando prudenter censeri queat, *intra mensem* non affore facultatem tuti accessus ad parochum, jam ex tunc et alia mora non interposita, ea forma [i. e. coram duobus saltem testibus, sine parocho] matrimonium valide ac licite contrahi possit. » Unde in hoc casu praesentia duorum testium pro valore est necessaria, ut jam pridem declaraverat idem PIUS VI in resp. (15 Oct. 1793) *ad Episc. Genev.*

Si **secundum** : *Controvertitur.* Et quidem *communior* sententia cui adhaeremus, **negat.** Unde invalidum habet matrimonium cum consanguinea in gradibus prohibitis, etiam metu mortis initum, sine dispensatione ; aut ad evitandam gravem infamiam, aut ad legitimandam prolem in articulo mortis, etc. Necessitas enim non potest reddere habiles quos lex inhabiles declarat ex motivo boni publici. Ita has leges interpretatur communis Ecclesiae praxis ; et quis dicet, sacerdotem ex ulla causa valide contrahere matrimonium? — Sententia tamen juxta aliquos satis probabilis **affirmat,** si recursus ad episcopum haberi nequeat. Unde juxta ipsos res dubia manet : ac, teste BALLERINI, nondum decretum ullum hucusque prodiit, quo praesens controversia dirimatur ; ipse S. LIG. qui alioquin (VI, 1079) communiori adhaeret sententiae, alibi tamen (VI, 615 ; *de priv.* n. 57 ; H. A. XVI, 114) concedit, *non sine fundamento* » asseri, in casu urgentis necessitatis cessare legem impedimenti, utpote quae jam perniciosa evaserit, cum certum omnino sit, legem nocivam non obligare, ut docent omnes cum S. THOM. (2. 2. q. 120, a. 1), ubi dicit, quod cum aliquid est contra commune bonum « *malum est sequi legem positam.* » (Cfr. p. 41).

Q. 96. *An* liceat CONTRAHERE matrimonium cum impedimento *dubio* seu *probabili?*

R. 1°) *Certum* est, in dubio, an adsit impedimentum, neminem posse contrahere *ante adhibitam diligentiam*, ut veritas

detegatur. R. 2°) Si *post debitam inquisitionem*, necessario a parocho et sponsis praemittendam, dubium perseveret, *distinguendum* est inter dubium *juris* et dubium *facti*.

Explanatur. Si sit *dubium* **juris** (i. e. quando utrimque DD. probabiliter censent aliquid esse vel non esse impedimentum), ac impedimentum de se sit **dispensabile** ab Ecclesia, *licite* contrahitur, quia tunc Ecclesia non habet illud pro impedimento. Dixi : *dispensabile ;* si enim Ecclesia dispensare in illo non possit, abstinendum est a matrimonio contrahendo, ne sacramentum exponatur periculo nullitatis. — Si vero sit *dubium* **facti** (i. e. quando dubitatur, an v. g. sponsa sit consanguinea in 4° gradu), tunc aliquando *licite*, aliquando vero *illicite* contrahitur.

Resolvitur 1. Fit **licite**, si non adsit gravis ratio pro impedimento : quia libertas est in possessione nec est prudens timor nullitatis. Unde non sufficit quaevis conjectura aut fama aut testimonium personae parum fide dignae ad hoc, ut quis teneatur a matrimonio abstinere. Ita quamvis ob negligentiam ordinariam ministrorum protestantium circa baptismi administrationem, aliqualis habeatur incertitudo ob quam haeretici conversi solent sub conditione rebaptizari, non tamen haec sufficit ad prudens et probabile dubium de substantia impedimenti *disparitatis cultus*, ut propterea pars catholica, etiam obtenta licentia ineundi matrimonium mixtum, ab eo abstinere teneatur. **Resol. 2.** E contra **illicite** contrahitur absque dispensatione, in sequentibus casibus : **A**) Si adsit gravis ratio pro exsistentia impedimenti ; ne sacramentum exponatur periculo nullitatis : quia in dubio facti particularis non ita supplet Ecclesia, ne nimia fiat legum relaxatio. Saltem non constat, quod tunc suppleat. **B**) Quando praesumptio stat pro impedimento, ut si v. g. Titius habuit copulam cum sorore sponsae et dubitat an cum effusione seminis, ideoque an contracta sit *affinitas*. Imo, ut merito dicit Elbel cum aliis, in foro *externo* ubi constat de coitu, semper pronuntiandum est pro imp. *affinitatis* contracto, et sic etiam judicandum est in foro *interno*, quod praesumptioni fori externi conformari debet, semper ac non constet hanc esse falsam (S. Lig. VI, n. 1075). Unde si certo constaret, Titium nunquam habuisse copulam perfectam cum sorore sponsae,

sed quoties eam cognoverit, generationem semper impedivisse per copulam imperfectam ad modum Onan exercitam, non est contracta affinitas, quia non facti sunt una caro. Demum **C**) non licet contrahere, si obstet generale Ecclesiae *vetitum*, ut in dubio de morte conjugis seu de exsistentia imp. *ligaminis* (pag. 106). Quare v. g. Bertha, etsi prudenter judicet maritum suum in bello obiisse, nequit tamen ad alias nuptias transvolare, donec habeatur *certitudo moralis*.

Q. 97. *An* liceat conjugibus UTI matrimonio, si post nuptias oriatur *dubium* de impedimento?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Negat.*, donec facta fuerit **inquisitio sufficiens** ad veritatem detegendam. Si tamen unus tantum dubitet, quamvis non possit debitum *petere*, debet tamen illud *reddere* in bona fide petenti. Ratio : quia hic adhuc possidet jus petendi. Intellige vero : *post bimestre* ab inito conjugio; quia *ante* illud elapsum non habet jus petendi; et *modo ipse non sit impeditus* a petendo, propter incestum vel adulterium. — 2°) *Affirm.*, si, adhibita seria diligentia ad veritatem detegendam, **dubium remaneat** : quia in dubio standum est pro valore actus.

Q. 98. *An* VALEAT matrim. contractum cum impedimento *putato*, sed *non exsistente?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si quis contrahat, **certo** judicans, adesse impedimentum dirimens, quod a parte rei non subsistit, v. g. Bertha putat priorem maritum adhuc vivere, qui tamen mortuus est, contrahit *invalide* : non quod adsit impedimentum, sed quia efficaciter consentire non potest in illud, quod apprehendit sibi hic et nunc esse impossibile. 2°) Contra *valide* contrahit, si tantum **dubitaret**; vel **putaret se adhuc valide posse contrahere**; vel **intenderet facere, quod posset** : tunc enim, licet peccaret graviter ratione conscientiae, adhuc contraheret valide; quia judicium erroneum non facit personas ad contrahendum inhabiles.

Q. 99. Dic : 1°) *qualiter* PECCET celebrans matrimonium

cum impedimento *dirimente;* et 2°) *an* INCIDAT in aliquam *poenam?*

R. Ad 1^{um}) Si id fecerit sciens volens, *peccat* GRAVITER : contra praeceptum Ecclesiae, contra religionem, contra justitiam; etiamsi non intendatur hujus matrimonii consummatio.

R. Ad 2^{um}) Si praesumpserit matrimonium celebrare cum impedimento : sive *Ordinis Sacri*, sive *voti solemnis*, ex Const. « *Apost. Sedis* » PII IX, incidit in excommunicationem Ordinario reservatam, sicut etiam omnes illi qui cum personis tali impedimento vinculatis matrimonium contrahere praesumerent. Imo, si quis pertinaciter contenderet tale matrimonium esse validum, non obstante Ecclesiae prohibitione, esset *haereticus* ex TRID. (*de reform. matrim.* can. 9).

Nota. Quamvis, juxta dicta (pag. 6), ex **matrimonio civili** non oriatur impedimentum PUBLICAE HONESTATIS, uti constat ex decreto S. C. C. a LEONE XIII (17 Mart. 1879) approbato; ad incurrendam tamen praefatam excommunicationem sufficit, ut tales praesumant contrahere matrimonium sic dictum *civile*, etiam in locis ubi lex TRID. *de clandestinitate* viget. Constat ex declaratione S. U. I. (22 Dec. 1880), de qua postea in ADNOT. IN CONST. « *Apost. Sedis.* »

Q. 100. *An* 1°) CONSUMMANS matrimonium *nulliter* celebratum, praeter peccatum contra castitatem, committat *speciale peccatum;* et 2°) *an* INCIDAT in aliquam *poenam?*

R. Ad 1^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Tunc committit speciale peccatum, si impedimentum constitutum sit ob *speciale virtutis motivum*, adeoque ob specialem **indecentiam** *copulae.* — **Secus,** non incurrit.

Resolvitur. Hinc committit **incestum** : si sit ligatus impedimento *cognationis*, *affinitatis* aut *publicae honestatis;* **sacrilegium** : si ligatus impedimento *voti solemnis* aut *SS. Ordinum;* **adulterium** : si ligatus impedimento *ligaminis;* peccatum vero **contra naturam,** si obnoxius sit impedimento impotentiae.

Notandum autem hic est : quod, si Ecclesia DISPENSET in **voto solemni** aut **Ordinis S.,** tantum DISPENSARE censetur in ordine ad matrimonium et copulam *matrimonialem;* et consequenter omnes

actus carnales *extramatrimoniales* specialem malitiam servant *sacrilegii*. Contra vero, si DISPENSET in **cognatione** (carnali, spirituali, aut legali), in **affinitate** et **publica honestate,** DISPENSARE insuper censetur, juxta *communiorem* sententiam, in omnibus actibus carnalibus *extramatrimonialibus*, qui proin per dispensationem malitiam specialem amittunt *incestus*.

R. Ad 2^{um}) Si matrimonium est nullum ob impedimentum sive *Ordinis S.*, sive *voti solemnis*, illud consummando incidit in irregularitatem ratione *bigamiae similitudinariae*, de qua postea, in *Tract. de Irregul.*

CAP. 3.
De impedimentis : ERRORIS, CONDITIONIS et VOTI.

Q. 101. *Quid* 1°) sit impedimentum ERRORIS; et 2°) *quo* JURE matrimonium dirimat?

R. Ad 1^{um}) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 51, a. 2) est inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex ERRORE, qualiscumque sit : vel A) *circa personam*, nisi contrahens intentionem habuisset contrahendi cum persona praesenti, quaecumque illa sit; vel B) *circa qualitatem redundantem in personam*, i. e. quatenus per se intentam, vel per modum conditionis sive explicite sive implicite positam a contrahente (tom. II, p. 191).

Explanatur. Dixi : **qualiscumque** *sit;* unde nil refert : utrum ERROR **vincibilis** sit, etiam *crassus* et *supinus*, an **invincibilis**; utrum **antecedens,** i. e. causa cur quis contrahat, ita ut nollet cum illa persona contrahere, si sciret illam non esse quam sibi proponit, an **concomitans** tantum, quo scilicet sublato, nihilominus et forte liberius consensus fuisset praestitus; utrum procedat **ab ipso ignorante,** an **ab alio**.

Resolvitur 1. Ex S. THOM. (*ibid.* a. I ad 4) matrimonium Jacob cum Lia (GEN. XXIX) a principio fuit nullum, usque dum detecta fraude fuit renovatus consensus; non peccarunt tamen in concubitu praecedenti : quia cum ERRORE *invincibili* affectu maritali se cognoverunt. **Resol. 2.** Non valet matrimonium, si intendas contrahere cum *primo genita* quam aliter non nosti, et ejus loco obtrudatur

secundo genita : quia erras circa qualitatem *per se* seu *primario* intentam, adeoque redundantem in personam. Nec valet, si non consenseris, nisi *sub conditione* talis qualitatis, et non aliter, ea non subsistente ; sive id fiat *expresse*, ut si dicas : *contraho tecum, si sis nobilis ;* sive id fiat *implicite* seu tacite, ut si *antecedenter habueris determinatam voluntatem non contrahendi nisi cum nobili.* Ratio : quia in utroque casu, qualitas seu nobilitas actu vel virtute intenta tunc simul cum persona ingreditur objectum substantiale contractus, fitque consensus matrimonii condionatus, qui proinde nullus est, conditione non subsistente. **Resol. 3.** E contra valet matrimonium, si ducas Bertham, quam putas vel asserenti credis esse nobilem, divitem, virginem, cum sit plebeia, inops, corrupta: quia est ERROR circa *accidentia* personae, qui non tollit consensum circa substantiam seu ipsam personam ; et hoc verum est, quamvis non contraxisses, si errorem aut etiam dolum cognovisses : quia in contractu non attenditur ad id quod quis fecisset, sed quod actu fecit. Alias plurima matrimonia essent invalida. Quid enim frequentius, quam quod conjuges sibi improperent : *Si scivissem te esse vel fuisse talem, nunquam nupsissem.* Imo *in foro externo,* ERROR circa qualitatem semper praesumitur *accidentalis*, usque dum evidentissime probetur, eum redundare in personam. Secus de plurimis matrimoniis actum esset.

R. Ad 2^{um}) Ex S. THOM. (*ibid.*, a. 1) ERROR dirimit matrimonium de *jure naturali.*

Explanatur. Ratio est : quia nequit esse consensus ubi substantia rei, de qua contrahitur, ignoratur; jam vero error circa personam, vel qualitatem redundantem in personam, est error circa ipsam substantiam, cum primum et substantiale objectum contractus matrimonialis sit persona, cum qua est contrahendum.

Q. 102. *Quid* 1°) sit impedimentum CONDITIONIS, et 2°) *quo* JURE sit institutum ?

R. Ad 1^{um}) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 52, a. 1) est inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta *ex servitute ignorata a parte libera.*

Explanatur. Nomine autem **servitutis** intelligitur status ser-

vitutis *stricte dictae*, quo quis in alterius potestate ita exsistit, ut ab eo tanquam res sua alteri vendi aut locari possit, atque operibus quibuscumque servilibus applicari. Itaque ad hoc impedimentum *duo* **copulative** postulantur; tum, ut ex contrahentibus alter liber sit, et alter servus stricte dictus; tum, ut liber ignoret servitutem alterius seu eum ingenuum et liberum plane credat. Nec refert, utrum ignorantia sit *antecedens*, an *concomitans*; utrum *invincibilis*, an *vincibilis*, *crassa* et *affectata* : non enim hic agitur de culpa vitanda, sed de matrimonio valide contrahendo, quod requirit cognitionem et scientiam conditionis seu servitutis.

Resolvitur 1. Valet matrimonium, si persona libera sponte contrahat cum serva, sciens eam esse servam : cum tunc libere consentiat in illam inaequalitatem. Ex dispositione tamen juris canonici (cap. *Si viduam* 15, Dist. 34) liber scienter contrahens cum ancilla fit *irregularis*. **Resol. 2.** Valet matrimonium, si persona serva ducat aliam servam, quam putat esse liberam, cum par sit utriusque conditio. **Resol. 3.** Si liber conjugium ignoranter cum serva contractum, deinde cognito errore ratum habeat, certum est, matrimonium ex eo tempore valere. Nihilominus in locis ubi promulgatum est decretum Trid. de matrimoniis clandestinis irritandis, renovandus esset consensus coram parocho ac testibus, nisi forte nullitas praecedentis contractus ita omnino occulta esset, ut probari non possit. **Resol. 4.** Conjugia inter servos valida habenda sunt, etiamsi contrahantur sine heri consensu (cap. *Dignum 1, de Conjug. serv.*) : nam ad jus naturae pertinet, ut de se hac in re libere disponant. **Resol. 5.** Patet denique impedimentum CONDITIONIS esse impedimentum ERRORIS personae liberae circa conditionem servilem alterius.

R. Ad 2^{um}) Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 52, a. 1 ad 3) hoc impedimentum jure *positivo ecclesiastico* institutum est, jure *gentium* quasi praeeunte, et ipsa aequitate *naturali* suadente.

Explanatur. Quod illud impedimentum **1°**) non sit de jure **naturae,** sic probat Bill. : « Si servitus ignorata ex natura sua dirimeret matrimonium, etiam scita dirimeret, sicut impotentia perpetua sive scita sive ignorata dirimit. Atqui servitus scita non dirimit matrimonium; ergo nec ignorata. » Quod tamen **2°**) in

jure naturae **fundamentum** habeat, patet : tum ob magnam inaequalitatem conditionum et injuriam quae fit personae liberae : pars enim *libera* tradit plenam corporis sui potestatem ; *serva* autem non nisi restrictam, quippe vendi potest, in partes longinquas abduci etc. ; tum quia officit aliquo modo bono prolis, quae non ita commode potest educari in tali conjugio, eo quod non posset esse ita continua et libera habitatio conjugum simul. Quod denique 3°) sit de jure **positivo**, aperte tradit S. Thom. (*loc. cit.*) inquiens : « *Jure* positivo *determinante est factum quod servitus ignorata matrimonium impediat, ne aliquis sine culpa puniatur.* » Et quamvis non reperiatur textus illud expresse statuens, colligitur tamen ex cap. *Si quis ingenuus* (causa 29, q. 2) et cap. 2, 3, et ultimo *de Conjug. serv.*, illud tacite insinuantibus veluti ex longa traditione usurpatum. Ceterum, hoc impedimentum vix locum obtinet in Europa, non quia cesset jus, sed quia huic impedimento communiter deest occasio, nisi forte in partibus Turcici imperii, aut si quae personae servituti adhuc mancipatae in alias Europae partes aliunde adveniant.

Q. 103. Dic : 1°) *quale* votum sit impedimentum dirimens et 2°) *quo* jure ?

R. Ad 1^{um}) Per se seu de jure communi est solum *votum solemne castitatis*, quod emittitur in valida professione religionis approbatae ut talis a S. Sede, idque ex Trid. (Sess. 24, can. 9) de *fide catholica* est.

Explanatur. Dixi : **per se** seu **de jure communi.** Nam 1°) vota *simplicia* quae a scholaribus post biennium novitiatus emittuntur in Soc. Jesu, ex speciali privilegio Greg. XIII Const. « *Ascendente Domino* » (25 Maii 1584) dirimunt matrimonium ex post contrahendum, donec vovens non sit a superiore ejectus vel dimissus cum debita licentia ; non tamen dirimunt seu solvunt matrimonium *ratum* antea contractum, prout facit professio religiosa solemnis (p. 85), et constat ex S. C. EE. et RR. (25 Jan. 1861). 2°) Juxta sententiam communiorem, *votum simplex* castitatis emissum ab uxore, quae dedit licentiam viro SS. Ordines suscipiendi, dirimit matrimonium contrahendum, ita ut ipsa nec etiam post mortem viri aliud matrimonium inire valide possit (Bened. XIV

de Syn. l. II, c. 12, n. 16). Sententia tamen « *satis probabilis est* » ex S. Lig. (VI, 812), tale matrimonium esse validum.

R. Ad 2^um^) *Controvertitur.*

Explanatur. Juxta alios votum solemne matrimonium dirimit etiam de *jure* **naturali**. Ita S. Thom. (*Suppl.* q. 53, a. 2) inquiens: « *Votum solemne ex* sui natura *habet quod dirimat matrimonium contractum, in quantum scilicet per ipsum homo sui corporis amisit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens.* » Qui enim semel alicui rem suam donavit et tradidit, donatione ab illo acceptata, jure naturae non potest eamdem rem alteri donare, praesertim in usum contrarium. Ita quoque Thomistae communiter cum pluribus aliis : S. Bonav., Sylv., Salm., Valent., haecque sententia a S. Lig. (VI, 1925) vocatur « *probabilior.* » — Juxta alios, quos inter Cajet., Scot., Konin., Sanch., dirimit de *jure* **ecclesiastico** tantum. Ita recentiores *communius*, idque « *certum est* » ait Lehmk., nec sine fundamento. Constat enim RR. PP. multoties in hoc impedimento dispensasse; et, praeter antiquiora exempla, non paucae hujusmodi dispensationes post perturbationem Gallicam a Pio VII concessae fuerunt regularibus, qui e monasteriis suis ejecti et mundi illecebris seducti civile matrimonium attentaverant. Praeterea Leo XIII in *Litt.* S. C. Inq. (20 Febr. 1888) ap. N. R. T. (XX, 122 seqq.) solemnem professionem recenset inter impedimenta matrimonium contrahendum *jure ecclesiastico* dirimentia. Aliunde, si votum solemne dirimeret ex natura rei, adeoque jure *divino* aut *naturali*, vel dirimeret qua *votum*, et hoc dici nequit : alias et votum simplex ita dirimeret ; vel dirimeret qua votum *solemne*, sed nec hoc dici potest : quia votum solemne et simplex quoad substantiam et in esse voti sunt ejusdem rationis, et solemnitas est a solo jure ecclesiastico, ut expresse declaratur a Bonif. VIII in cap. unic. *de votis* in 6, his verbis : « *Voti solemnitas ex sola Ecclesiae institutione est inventa.* » (Tom. II, pag. 37 et 328). Ad fundamentum vero contrariae sententiae, nimirum : in voti solemni haberi traditionem et acceptationem corporis ad castitatem servandam, responderi potest : quod etiam in ordinibus per Sedem Apostolicam non approbatis voventes aeque tradant se Deo in servum perpetuum ad castitatem servandam, quodque illa traditio aeque a

superiore Dei nomine acceptetur, quam in religione approbata. Sic scholares S. J. per vota simplicia efficiebantur veri religiosi et castitatem vovebant, quod votum a superiore nomine Dei acceptabatur; et tamen eorum votum non dirimebat matrimonium, antequam Greg. XIII vim illam votis eorum tribuit.

CAP. 3. De impedimento COGNATIONIS.

Q. 104. Dic : 1°) *quid*, et 2°) *quotuplex* sit COGNATIO matrimonium dirimens ?

R. Ad 1^{um}) Est inhabilitas ad contrahendum matrimonium inter personas vel *carnaliter*, vel *spiritualiter*, vel *legaliter* propinquas.

R. Ad 2^{um}) Est itaque *triplex* : 1°) CARNALIS seu NATURALIS, quae ex carnali generatione seu ex communione sanguinis ortum habet, et ideo *consanguinitas* appellatur, quasi *sanguinis unitas*. 2°) SPIRITUALIS, quae per baptismum aut confirmationem contrahitur. 3°) LEGALIS, quae legibus inducta est ob adoptionem seu alicujus extraneae personae in filium vel filiam assumptionem.

ART. I. De cognatione CARNALI seu CONSANGUINITATE.

Q. 105. *Quid* sit CONSANGUINITAS?

R. Ex S. Thom. (in 4, dist. 40, q. unic. art. 4) recte definiri solet : « *Vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.* »

Explanatur. Dicitur : 1°) **vinculum**; quia personae quae ab eodem sanguine descendunt, quasi quodam vinculo inter se connectuntur; cujus vinculi signum est affectus, amor et familiaritas, quae in ipsis conservatur. — Dicitur : 2°) **personarum**; ad differentiam brutorum, quae licet ab eodem sanguine procedunt, non tamen dicuntur consanguinea : quia, cum cognitione finis et libertate careant, qua possint suarum actionum habere dominium, non sunt *veri* amoris et amicitiae capacia, quamvis societatis et amoris quamdam speciem prae se ferant. — Dicitur : 3°) **ab eodem stipite descendentium**; quod intelligendum est de stipite *proximo*, non

vero de *remoto;* alias omnes essent consanguinei, cum omnes ab Adamo tanquam a primo stipite descendunt. Metaphora autem ducitur ab arboris trunco, a quo multi rami pendent. Nec refert, quod descendentes ad eodem stipite unum tantum parentem communem habeant, cum ejusdem sanguinis participes sint, adeoque vere consanguinei. Si igitur Antonius ex matrimonio cum Anna genuit Petrum et Carolum; ex secundis nuptiis cum Catharina genuit Jacobum; et ex commercio illicito cum Martha procreavit Caeciliam et Rosaliam, omnes isti sunt inter se consanguinei in primo gradu lineae transversae aequalis, seu fratres et sorores. Interim qui ex eodem patre et eadem matre progeniti sunt, adeoque utrumque parentem communem habent, *germani* dicuntur. Sic in allato exemplo Petrus et Carolus sunt fratres *germani*. Qui ex eodem patre tantum nati sunt, strictiori sensu *consanguinei* vocantur, quales sunt Petrus, Carolus, Jacobus, Caecilia et Rosalia, omnes ex eodem patre nati. Qui ex eadem tantum matre procedunt, *uterini* appellari solent. Et ita, si Bertha ex matrimonio cum Paulo peperit Felicem et ex secundis nuptiis cum Josepho genuit Joannem, isti duo filii vocantur fratres *uterini*.—Dicitur: 4°) **carnali propagatione contractum**; ad innuendum, quod consanguinitas non contrahatur per quamcumque dependentiam, sed per carnalem generationem, sive *intra* matrimonium, sive *extra* illud, per commercium illicitum; unde non refert, utrum ex *legitimo* concubitu progeniti fuerint, an ex *illegitimo*. Et quoniam, ut notat S. Thom. (*Suppl.* q. 54, a. I ad 4): « *illud quod proxime convertitur in semen est* sanguis, » ideo « *hoc vinculum quod ex propagatione contrahitur carnali, convenientius dicitur* consanguinitas *quam* carnalitas; » et si « *aliquando unus consanguineus dicitur esse caro alterius, hoc est in quantum sanguis, qui in semen viri aut in menstruum convertitur, est potentia caro et os.* » Hinc Adam et Eva non sunt consanguinei, quamvis Eva ex costa Adami fuerit formata: quia nimirum non descendit per carnalem generationem; multo minus Angeli sunt consanguinei Dei, a quo descendunt per creationem. Contra inter Christum et Mariam fuit vera consanguinitas: quia ex ejus purissimo sanguine per operationem Spiritus S. fuit conceptus; et illa fuit vera mater, ministrando materiam quam aliae matres solent filiis administrare, et salva integritate virginali omnia fuerunt in

hac generatione, quae solent in aliis generationibus concurrere.

Scholion. Ut scite notat Bill., « praeter Adam, pro quo non est adinventa ista definitio, eo quod singulariter fuit factus, verificantur in omnibus consanguineis, etiam lineae rectae, istae particulae : *ab eodem stipite descendentium.* Etenim pater et filius ab eodem stipite scilicet Avo descendunt et sic de ceteris. » Plures tamen majoris explicationis ergo, ut clarius designetur consanguinitas genitorum cum genitis in linea recta, praecitatis verbis addunt haec alia : *vel quarum una ab alia descendit,* ita ut consanguinitas definiatur : *Vinculum personarum quae ab eodem propinquo stipite descendunt* (ut fratres et sorores), *vel quarum una ab alia descendit* (ut pater et filius vel filia), *carnali propagatione contractum ;* seu brevius cum Sasserath : « *propinquitas personarum carnali generatione a se mutuo aut communi stipite descendentium.* »

Q. 106. *Quaenam* in CONSANGUINITATE sint distinguenda ?

R. Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 54, a. 2) distinguenda sunt haec *tria :* STIPES, LINEA et GRADUS.

Explanatur. Rationem *triplicis* distinctionis dat S. Thom. (*ibid.*) inquiens : « *Consanguinitas est propinquitas fundata in naturali communicatione secundum actum generationis, qua natura propagatur.* » Atqui hujusmodi communicatio varios habet progressus et instar arboris per ramos pluresque subinde ramusculos diffunditur et propagatur, non enim motus generationis quiescit in uno extremo sed ultra progreditur. — Et quidem 1°) **stipes** *(la souche)* est illa persona, sive mas, sive foemina, a qua aliqui communem ducunt originem proximam. Sic avus est stipes respectu mei et mei patrui : quia non est proximior in quo convenimus ; licet enim ego proximius descendam a meo patre, ab illo tamen non descendit patruus meus. 2°) **Linea** *(la ligne)* est ordinata series personarum ab eodem stipite per varias generationes descendentium, estque *duplex :* RECTA et OBLIQUA seu *collateralis* vel *transversalis.* **A**) Linea RECTA est series personarum, quarum aliae ab aliis descendunt vel *immediate,* ut filii a parentibus ; vel *mediate,* ut nepotes ab avis vel a proavis, etc. : et haec est vel *ascendentium,* qua nempe ascenditur ad progenitores : patrem et matrem, inde ad avum et aviam, inde ad proavum et proaviam, inde ad abavum et

abaviam; vel *descendentium*, qua descenditur ad progenitos : ad filium et filiam, inde ad nepotem et neptem, inde ad pronepotem et proneptem, inde ad abnepotem et ad abneptem. **B**) Linea OBLIQUA seu *collateralis* vel *transversalis* est ordo seu series personarum, quae ab eodem quidem stipite descendunt, ita tamen, ut earum una non descendat ab altera ; estque vel *aequalis*, cum a communi stipite aequaliter distant, ut frater et soror; vel *inaequalis*, cum alter magis, alter minus a communi stipite distat, ut frater ejusque sororis filia. Tandem **3°**) **Gradus** est certa quaedam distantia duarum personarum in praedictis lineis, ideoque indicat, *quanta* sit earum consanguinitas.

Q. 107. *Quae* sint *regulae* pro computandis *gradibus* CONSANGUINITATIS ?

R. Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 54, a. 2) ad computandos gradus consanguinitatis, juxta *jus canonicum*, TRES dantur regulae : una pro linea *recta*, duae pro linea *collaterali*.

Explanatur. Regula **prima** : In linea **recta** ascendentium et descendentium, *tot sunt gradus, quot numerantur personae, dempto stipite*. Seu : positi in linea RECTA, *tot gradibus a se invicem distant, quot intercedunt generationes activae*. Unde Titius *ascendendo :* est consanguineus cum suo patre in 1° gradu ; cum avo in 2° ; cum proavo in 3° ; cum abavo in 4° ; *descendendo* autem : cum filio suo in 1° ; cum nepote in 2° ; cum pronepote in 3° ; cum abnepote in 4°. — Regula **secunda** : In linea *collaterali* **aequali**, i. e. si personae aequaliter distant a communi stipite, *tot gradibus distant inter se, quot gradibus seu generationibus distat singula earum a communi illo stipite*. Sic frater et soror sunt inter se in 1° gradu ; filii duorum fratrum in 2°. — Regula **tertia** : in linea *collaterali* **inaequali**, i. e. si personae inaequaliter distant a communi stipite, *tot gradibus distant inter se, quot gradibus persona remotior distat a stipite*. Ratio est : quia hae personae non habent inter se aliam propinquitatem quam ratione communis stipitis. Ergo non possunt inter se conjungi propinquius quam remotior conjungatur communi stipiti. Hinc frater est in 2° gradu cum filia fratris sui : quia etsi ipse frater tantum distet uno gradu a communi stipite, scilicet patre, filia tamen fratris distat duobus

gradibus ab eodem stipite. Quoniam itaque, ex regula juris, «*gradus remotior trahit ad se propinquiorem;*» sequitur, nullum adesse impedimentum, si remotior gradus est ultra 4^um^, esto alteruter 1° gradu ad stipitem accedat.

Dixi supra : **juxta jus canonicum**; nam ad gradus computandos juxta **jus civile,** desumitur numerus seu summa omnium personarum in qualibet linea, stipite dempto. Proinde in linea *recta* eodem modo computantur ac gradus canonici; in linea vero *collaterali* gradus utriusque partis simul computantur, seu duae personae tot gradibus inter se distare dicuntur, quot sunt generationes ab utraque parte simul. Ita frater et soror sunt consanguinei in 2° gradu; Titius et fratris filius in 3°; consobrini in 4°. — Rationem **discriminis** in modo computandi praeter Alex. II (Epist.38 apud Grat., caus. 35, q. 5, can. 2), clare, pro more suo, sic tradit Bill. : «Quia jus *canonicum* attendit ad consanguinitatem ratione matrimonii contrahendi; cumque consanguinei collaterales non jungantur vel distent inter se nisi ratione communis stipitis, non possunt magis inter se jungi aut distare, quam jungantur stipiti aut ab eo distent, ut dictum est. Jus vero *civile* attendit ad consanguinitatem ratione haereditatis transferendae, quae connaturaliter transferri debet ei qui propinquior est illi, a quo provenit haereditas, vel aequaliter omnibus iis qui sunt aequaliter ei propinqui, quod non obtineretur secundum computum canonicum : v. g. agatur de haereditate Sempronii. Sempronius distat quinque gradibus a communi stipite, Titius ab eodem communi stipite distat duobus gradibus; Cajus ab eodem quatuor gradibus. Juxta computum canonicum Sempronius distat a Titio et Cajo quinque gradibus et ideo inter utrumque dividenda foret aequaliter haereditas. At juxta computum civilem, Sempronius distat a Titio septem gradibus, a Cajo novem gradibus, consequenter Titio deferenda est haereditas.»

Q. 108. *An*, ubi petenda est dispensatio in gradu *inaequali*, sive CONSANGUINITATIS, sive AFFINITATIS, *uterque* gradus exprimi debeat?

R. *Affirm.*, id exigente stylo Curiae Romanae.

Explanatur. Imo, juxta S. Pii V Const. « *Sanctissimus* » (20 Aug.1566) **sub poena nullitatis,** uterque gradus exprimendus

est, quoties alteruter *primum* gradum attingat (1). Quin et *sexus* illius, qui hunc gradum attingit, exprimi debet cum longe difficilius obtineatur dispensatio, si mulier primum gradum attingat, quam si vir uno tantum gradu a stipite distat. Quod si in supplica omissus fuerit gradus propinquior, qui non est *primus*, tunc impetrata dispensatione matrimonium non potest *licite* celebrari, nisi postquam a S. Sede obtentae fuerint litterae declaratoriae, dictae *Perinde valere*, quibus constet, dispensationem sine mentione gradus propinquioris obtentam notari non posse de vitio subreptionis et obreptionis. Si, non obtentis hujusmodi litteris declarationis, dispensatio nihilominus executioni mandata et matrimonium celebratum sit, *valent* nuptiae, teste Bened. XIV, in decreto (27 Sept. 1755) quod adnectitur Const. «*Etsi matrimonialis*» (30 Sept. 1755), et satis erit, declaratorias litteras postea obtinere.

Q. 109. *An* 1°) dari possit *multiplex* CONSANGUINITAS, et 2°) *an* haec circumstantia *debeat exprimi* in libello supplici?

R. Ad 1um) *Affirmative.*

Explanatur. Et quidem id fieri potest ex **triplici** *capite* : — **1°**) Si personae inter se consanguineae (v. g. duo fratres) liberos procreaverint ex personis consanguineis (v.g. ex duabus sororibus). — **2°**) Si quis susceperit liberos ex persona consanguinea. — **3°**) Si quis ex uxore sua et uxoris suae consanguinea (v.g. ex duabus sororibus) habuerit liberos (2).

R. Ad 2um) *Affirm.*, et quidem *de valore.*

Explanatur. Ratio est : quia tunc multiplicantur impedimenta,

(1) Pro obtinendis matrimonialibus dispensationibus super impedimento *primi* tangentis *secundum* consanguinitatis gradum ex Litt. S. Datariae (19 Jul. 1895) ap. N. R.T. (XXVIII, 276), episcopi invigilare tenentur, « *ne S. Sedis precantes accedant, nisi verae causae canonicae jure commendent, et litteris manu propria exaratis rationes in quolibet casu explicent nec non circumstantias quibus putent gratiam esse concedendam.* »—(2) Ad detegendum impedimenta consanguinitatis commendatur opusculum, auctore Deshayes, cui titulus : «*Nouvelle méthode pratique pour la recherche des empêchements de consanguinité.* Paris 1898. — Item consulantur articuli «*Parentés multiples*» in Rev. Théol.. Franc. (I, 340 seqq., 548 seqq.; II, 42 seqq.; IV, 339 seqq.).

et super singulo dispensatio impetrari debet, ut matrimonium valide celebrari queat. Et haec doctrina de multiplici consanguinitate exprimenda pro valore dispensationis recentius confirmata fuit a S. U. I. tum resolutione (11 Mart. 1896), tum altera (22 Febr. 1899), quas resolutiones docte interpretatur R. T. Franc. (I, 340, 548; II, 42; IV, 339 seqq.).

Q. 110. *Quae* sint MOTIVA impedimenti dirimentis *consanguinitatis?*

R. Ex S. Thom. (2. 2. q. 154, a. 9) sunt haec praecipue *tria*.

Explanatur. Impedimentum *consanguinitatis* institutum fuit : — 1°) Ob **reverentiam,** quam consanguinei sibi mutuo debent ex origine ab eodem stipite et sanguinis communione.— 2°) Ob **charitatem**, quae matrimoniorum multiplicatione cum extraneis latius diffunditur et corroboratur; seu, ut loquitur Leo XIII Const. «*Arcanum*» : «*ut nimirum supernaturalis conjugum amor latiore se campo diffunderet.*» — 3°) Ob **concupiscentiae compressionem**, cui frenum laxari videtur, si matrimonium inter eas personas contrahi posset, quae aut passim sub eisdem tectis commorantur, aut saltem habent majorem libertatem ac licentiam familiarissime utendi. — Hisce rationibus addatur, quod ex judicio medicorum matrimonia inter consanguineos **funestos sortiantur effectus,** ut luculenter comprobatur ex statistica circa surdos-mutos.

Q. 111. *Quo* JURE et in *quibus* GRADIBUS consanguinitas dirimat matrimonium ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel loquimur de jure **ecclesiastico,** vel de jure **naturali.** — Si **primum** : Consanguinitas matrimonium dirimit : de jure *ecclesiastico*, probabiliter in *quocumque gradu* lineae **rectae**, « *veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem ; inter matrem et filium, vel aviam et nepotem, et sic usque in infinitum,* » ut ait Nicolaus I (in *Resp. ad Consulta Bulgarorum*, c. 39). — At in linea **collaterali,** hodie, ex Conc. Lateran. IV, dirimit ad *quartum usque gradum inclusive.*

Si **secundum** : De jure *naturae*, ut omnes fere concedunt, dirimit *in primo gradu* lineae **rectae.** Quidam tamen putant, hoc

potius esse ex jure *positivo divino* : nam patrem matrimonio conjungi filiae, non est intrinsece malum, ac consequenter de se neque jure naturali vetitum; alias neque pro casu, quo deficientibus omnibus aliis hominibus superesset solus pater cum filia aut sola mater cum filio, possent conjungi. Quod vero spectat ad *ceteros gradus* lineae **rectae**, probabilius ex S. Thom., ut ex variis ejusdem S. D. locis ostendit Bill., matrimonia non sunt jure *naturae* nulla. Imo, Innoc. III (cap. *Gaudemus*, 8, de divort.) expresse concedit infidelibus conversis, ut remanere possint cum uxoribus consanguineis sibi in 2° gradu, quas ante conversionem duxerant; nec distinguit inter lineam rectam et collateralem, uti recte observat idem Billuart. — Ad lineam **collateralem** quod attinet, utrum jure *naturae* consanguinitas dirimat in 1° gradu aequali seu inter fratrem et sororem, DD. *disputant*. Alii **affirmant**. Alii probabilius **negant** : quia per fratrum et sororum conjugia propagatum primitus fuit genus humanum; nec est credibile, voluisse auctorem naturae statim ab initio conditae naturae ejus limites transgredi; unde potius aliquas personas creasset, sicut Adam sine patre et matre. Addunt tamen plerique, et merito quidem, tale matrimonium, post aliqualem naturae humanae multiplicationem, de jure *positivo divino* fuisse irritatum : tum quia RR. PP. nunquam leguntur in eo dispensasse ob quamcumque necessitatem occurrentem, ut Bened. XIV, Const. «*Aetas anni*» (11 Oct. 1757) et Pius VII apud Zamboni aperte fassi sunt; tum quia Innoc. III (cap. *Gaudemus*) docet non esse separandos infideles noviter conversos, si cum consanguineis in 2° aut 3° gradu nupserint; ergo supponit esse separandos, adeoque nullum fuisse matrimonium, si in 1° gradu contraxissent. Rarissime porro, et nonnisi gravissima de causa, S. Sedes in 2° gradu mixto cum 1° dispensat, ut constat ex Litt. Greg. XVI (22 Nov. 1836).

Resolvitur. Ex dictis sequitur, matrimonium contractum a **duobus infidelibus** consanguineis : **1°**) in linea *recta*, in *primo* gradu, esse nullum; et in *remotioribus* gradibus esse dubie validum; **2°**) in linea *collaterali*, in *primo* gradu esse dubie validum; et in *ceteris* gradibus, esse validum. Quare si infideles, quorum conjugia sunt dubie valida, ad fidem convertantur, separandi sunt ob incestus periculum, et S. Sedes pro solutione dubii de validitate

adiri debet.— Dixi : **a duobus infidelibus**; nam, ut ait Vecchiotti : « matrimonium infidelis cum fideli irritum est non solum ob *cultus disparitatem*, verum etiam ob consanguinitatem intra gradus ab Ecclesia prohibitos, quum in his locus non sit communicationi privilegii exemptionis, quia non agitur de forma contractus ejusque individuitate, de qua sermo est solum ubi de *clandestinitate*. »

ART. II. De cognatione SPIRITUALI.

Q. 112. *Quid* 1°) sit *cognatio* SPIRITUALIS; 2°) *undenam* sic dicta; 3°) *quo* JURE sit introducta; et 4°) inter *quas* PERSONAS matrimonium dirimat?

R. Ad 1^{um}) Cognatio *spiritualis* est propinquitas personarum orta ex baptismo vel confirmatione.

R. Ad 2^{um}) Vocatur *spiritualis* a spirituali origine.

Explanatur. Haec enim propinquitas ex S. Thom. (*Suppl.* q. 56, a. 2 ad 1) in eo fundatur, quod utrumque sacramentum, BAPTISMUS et CONFIRMATIO, sit *spiritualis* quaedam **generatio** seu **nativitas** : *minus perfecta* in BAPTISMO, quae assimilatur nativitati in utero, dum infans adhuc debilis est ac fovendus; *perfecta* vero in CONFIRMATIONE, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi, quaeque comparatur nativitati ex utero.

R. Ad 3^{um}) Introducta fuit *jure eccl.* et *congrue* sane.

Explanatur. Cum enim, juxta dicta ex S. Thom., regeneratio nostra in filios Dei, quae primum fit in BAPTISMO, et deinde perficitur in CONFIRMATIONE, in immensum praestet generationi nostrae carnali in filios Adae, cognationi *naturali* et *carnali* merito superaddita fuit inter personas concurrentes ad utriusque sacramenti collationem.

R. Ad 4^{um}) Cognatio *spiritualis*, quae olim latius extendebatur, hodie ex TRID. (Sess. XXIV, *de ref. matr.* cap. 2) matrimonium dirimit : 1°) inter ministrum sacramenti (baptismi et confirmationis) et subjectum hujusque genitores, i. e. patrem et matrem, sive legitimos sive illegitimos, non tamen adoptivos; 2°) inter patrinum et matrinam et filiolum vel filiolam eorumque genitores. Hinc illud vulgare dictum :

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes,
Levans, levatus, levatique parentes.

Explanatur. Itaque hodie duae tantum sunt species cognationis *spiritualis* : alia dicitur **paternitas,** quae datur inter baptizantem et baptizatum ; inter susceptores et ipsum baptizatum ; altera **compaternitas,** quae datur inter baptizantem et parentes carnales baptizati ; et inter susceptores ac parentes carnales ipsius baptizati ; idemque dicendum de confirmatione. Cujus quidem distinctionis, *paternitatis* vel *compaternitatis*, ratio habenda est, quando petitur dispensatio, cum difficilius detur in prima cognationis specie, quam in secunda.

Resolvitur 1. Laicus, qui puellam baptizavit, non potest matrimonium inire cum illa puella, neque cum matre puellae ; sic etiam matrina non potest nuptias inire cum illo quem de sacro fonte levavit, neque cum patre illius baptizati. **Resol. 2.** Susceptores nec inter se, nec cum baptizante ullum contrahunt impedimentum ; unde ex hoc capite nihil obstat, quominus patrinus et matrina ejusdem alienae prolis inter se matrimonium ineant. **Resol. 3.** Baptizatus ejusque parentes, licet contrahant impedimentum cum baptizante et cum patrinis, non tamen contrahunt cum eorum conjuge aut filiis. **Resol. 4.** Quoniam cognatio *spiritualis* sit tantum juris *ecclesiastici*, ad illam contrahendam baptismus est conditio necessaria quoad omnes ; ideoque eam contrahunt etiam haeretici ; non tamen infidelis, vel etiam catechumenus, baptizans vel suscipiens puerum e baptismo : quia non subjacent legi ecclesiasticae statuenti hanc cognationem. Unde nec baptizatus contrahit cum his cognationem ; quia haec est veluti relatio, quae non ponitur in uno extremo, nisi etiam sit in altero ; neque adeo reviviscit cognatio, si postea hi baptizentur, quia « *quod a principio nullum fuit, convalescere nequit* », juxta regulam Jur. in 6. Similiter fidelis baptizans vel suscipiens filium infidelium, etsi contrahat cognationem cum filio, non tamen cum ejus parentibus ; atque adeo cum ipsis matrimonium contrahere posset, postquam ad fidem essent conversi.

Q. 113. *Quaenam* requirantur ad *valide* cognationem SPIRITUALEM contrahendam, sive ex *baptismo*, sive ex *confirmatione ?*

R. Alia requiruntur ex parte *sacramenti*, alia ex parte *ministri*, alia ex parte *susceptorum*. Recole dicta (tom. II, pag. 473 seqq. et 509 seq.).

Explanatur. Ex parte **sacramenti**, requiritur et sufficit quod sit *verum* et *validum*, dicente S. Thom. (*Suppl.* q. 56, a. 2): « *Spiritualis cognatio non contrahitur nisi per aliquod sacramentum.* » Unde contrahitur cognatio spiritualis ex baptismo sive domi, sive in Ecclesia; sive cum caeremoniis, sive sine illis; sive in necessitate, sive extra, ministrato. Contra non contrahitur ex caeremoniis quae fiunt in Ecclesia post baptismum domi ex necessitate valide collatum; neque ex baptismo sub conditione iterato, quia dubium est, an revera conferatur. — Ex parte **ministri**, debet ipse baptizans esse *baptizatus*, et ut contrahat cognationem cum parentibus baptizati, debent et ipsi baptismo esse initiati. Ratio : quia qui est expers vitae spiritualis, non est capax cognationis spiritualis. — Ex parte **susceptorum**, requiritur : **1°**) ut suscipiens *usum rationis* habeat et ipse sit *baptizatus*; praeterea, ubi agitur de cognatione spirituali ex Confirmatione, ut ipse sit *confirmatus*. **2°**) Ut assistat *cum intentione saltem virtuali patrinum agendi*. **3°**) Ut *per se* vel *per alium*, i. e. procuratorem baptizatum vel confirmatum physice *tangat*, saltem in vestibus. **4°**) Ut *non sint extra numerum designatorum*, si modo designati adsunt et munus patrini agunt. Constat ex Trid. (Sess. XXIV *de ref. matr.* cap. 2): « *Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt.* » Hinc **A**) Si designatio facta sit, qui ultra designatos subjectum tangunt, non contrahunt cognationem. **B**) Si nullus designatus fuerit et non designati suscipiant, hi contrahunt cognationem. **C**) Si patrini designati subjectum non tangunt, sed alii non designati id faciunt, hi soli contrahunt cognationem. **D**) Si tangat unus designatus et alius non designatus, hic non contrahit cognationem **E**) Quod si plures quam « *unus et una* » contra Ecclesiae ordinationem designati fuerint et a parocho admissi, tunc si *simul* tangant, omnes cognationem contrahunt ex S. C. C. (10 Mart. 1631). Si vero *successive* tangunt, tunc duo primi tantum cognationem contrahunt.

Q. 114. *An* 1°) dari possit *multiplex* cognatio SPIRITUALIS et 2°) *an* debeat *exprimi* in libello supplici?

R. Ad 1um) *Affirmative.*

Explanatur. Id autem contingere potest ex **duplice** capite: —vel **1°**) *ex sacramentis*, ut si alter alterius prolem tenuerit tum in baptismo, tum in confirmatione;—vel **2°**) *si duo invicem alter alterius prolem tenuerint* in baptismo vel in confirmatione; ut si Titius suscepit in baptismo prolem Cajae, quam ipsa habuit ex Sempronio, et Caja suscepit prolem Titii, quam ipse ex Claudia procreavit. —Non autem multiplicatur *ex personis* i. e. per plurium alicujus filiorum susceptionem, ut si quis plures ejusdem personae successive filios in eodem sacramento teneret. Et ita ex eo quod Titius fuerit patrinus in baptismo primae et iterum in baptismo secundae prolis Cajae, una tantum cum ea oritur cognatio. Sicut enim ex copula saepius repetita cum eadem uxore una tantum exsurgit *affinitas*, quia eadem est semper affinitatis radix; ita ex repetita susceptione plurium prolium ejusdem personae, una tantum oritur cognatio, quia eadem est radix et fundamentum cognationis.

R. Ad 2um) *Affirm.*, et quidem *de valore* dispensationis.

Q. 115. *Quid* dicendum de cognatione SPIRITUALI, quae contracto matrimonio *supervenit?*

R. 1°) Cognatio *spiritualis*, matrimonio jam contracto *superveniens*, dum conjux prolem communem vel solius compartis baptizavit vel tenuit in baptismo vel confirmatione, utique matrimonium *non dirimit* utpote de se indissolubile.—2°) Utrum vero *poenam annexam habeat*, i. e. an conjux, qui id fecerit, privetur jure petendi debitum, inter DD. *disputatur.*

Explanatur. Alii **affirmant** cum S. THOM. (*Suppl.* q. 56 a. 1): quia quidquid dirimit matrimonium contrahendum, impedit matrimonium jam contractum, seu impedit jus ad ejus usum. Excipiunt: nisi aut **1°**) excuset *necessitas*, i. e. deficiente alia persona, quae baptizare possit; aut **2°**) citra necessitatem conjux id fecerit *cum ignorantia* juris, facti, vel poenae; aut **3°**) id fiat *ex malitia*, qua intendat in compartem rejicere onus petendi, cum nemini sua fraus patrocinari debet.—Alii vero **negant** cum RONCAGLIA, SALM.,

Suar., Viva, etc. Et haec sententia, negans praedictam poenam incurri etiam pro casu quo actum id fuerit praeter necessitatem et ex industria, a S. Lig. (VI, 150) habetur « *satis probabilis.* » Imo Sanchez eam vocat « *tutam et pietati magis conformem.* » Ratio est: quia antiqui Canones, quibus haec poena decernebatur, videntur fuisse correcti ab Alex. III, et hoc modo interpretatur Glossa. Ad rationem vero adversariorum respondent : quod in positivis non valeat illatio a pari.

Resolvitur. Concludo cum Ballerini : « *Cum saltem dubium sit, principium praevalet : in re dubia non posse certum jus conjugi auferri. Negandum ergo est, per hoc usui conjugii apponi impedimentum.* »

ART. III. De cognatione LEGALI.

Q. 116. *Quid* 1°) sit cognatio LEGALIS; 2°) *quare* sic vocetur; 3°) ex *quanam* adoptione oriatur; et 4°) inter *quas* PERSONAS matrimonium dirimat?

R. Ad 1^um^) Est propinquitas personarum ex legitima *adoptione* proveniens, dirimens matrimonium inter personas legaliter conjunctas.

Explanatur. Est autem **adoptio** ex S. Thom. (*Suppl.* q. 57) a. 1) : « *Extraneae personae in filium* [seu filiam] *vel nepotem legitima assumptio.* » Huic assumptioni occasionem dedit orbitas liberorum, cui ut subveniretur, apud plerasque gentes receptum est, ut qui liberos ex se non haberent ex alienis deligerent, sicque quod natura negavit suppleretur legali invento. Audiatur S. Thom. (*ibid.*) inquiens : « *Dicendum quod ars imitatur naturam et supplet defectum naturae in illis in quibus natura deficit. Unde sicut per naturalem generationem aliquis producit; ita per jus positivum, quod est ars boni et aequi, potest aliquis alium sibi assumere in filium ad similitudinem filii naturalis, ad supplendum filiorum deperditorum* DEFECTUM, *propter quod praecipue adoptio est introducta. Et quia assumptio importat terminum* A QUO, *propter quod assumens non est assumptum, oportet quod ille qui assumitur in filium, sit persona* EXTRANEA. *Sicut ergo naturalis generatio habet terminum* AD QUEM, *scilicet formam, quae est finis generationis, et terminum* A

QUO *scilicet formam contrariam* [seu formae privationem, ita ut de non homine fiat homo], *ita generatio legalis habet terminum* AD QUEM *scilicet filium vel nepotem, et terminum* A QUO, *scilicet personam extraneam* [ita ut de non filio fiat filius, de non nepote, nepos]. » Nihil tamen impedit quominus ille qui filios naturales legitimos habeat, insuper aliam personam extraneam adoptet.

R. Ad 2^{um}) Ideo *legalis* dicitur : quia a *lege civili Romanorum* primum introducta fuit. Ecclesia autem eam approbavit recepitque, ut patet ex responso NICOLAI I ad consulta Bulgarorum, et inter impedimenta matrimonium dirimentia adnumeravit.

Resolvitur. Quare, ut concludit BENED. XIV (*de Syn.* l. IX, c. XI, n. 5): « *Si quaestio incidat, sive in Tribunali ecclesiastico, sive in Synodo, an in hoc vel illo casu adsit impedimentum cognationis* LEGALIS, *necessario recurrendum erit ad leges civiles* [Romanas], *atque ad earumdem normam controversia decidenda; quandoquidem Ecclesia placita juris civilis* [Romani] *sua fecit.* »

R. Ad 3^{um}) Certum est, impedimentum cognationis *legalis* oriri ex adoptione *perfecta*. Haec autem adoptio, quae etiam *adrogatio* dicitur, juxta leges Romanas, tunc habetur : quando persona extranea sui juris, i. e. sub nullius patria potestate constitutus, ex Principis rescripto, ita transit in potestatem et familiam adoptantis, ut, perinde ac filius naturalis-legitimus, fiat ejus haeres necessarius tam ab intestato quam ex testamento. — Utrum vero 2°) oriatur etiam ex adoptione *imperfecta*, quae *adoptio simplex* appellatur, et per quam scilicet persona extranea constituta sub potestate sui patris naturalis, adeoque non sui juris, solius magistratus alteriusve judicis competentis auctoritate, in filium admittitur, quin tamen transeat in familiam et potestatem adoptantis, cujus propterea non fit haeres necessarius ex testamento, licet ei succedat ab intestato, inter DD. *disputatur*.

Explanatur. *Duplex* datur sententia: — una **affirmat**; — ast **negat** communis sententia cum BILL., et recte quidem : — tum **1°**) quia adoptio *imperfecta*, non est vera adoptio, sed potius est via ad

veram adoptionem; seu, ut loquitur S. Thom. (*ibid.* ad 1), « *magis est dispositio quaedam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecta;* » — tum 2°) quia eaedem rationes non currunt pro ea ac pro prima : nam impedimentum cognationis *legalis* inductum fuit : tum **A**) ad evitanda pericula et occasiones fornicationum, quae facile oriri possent inter personas in eadem domo diu noctuque versantes, si inter eas nuptiae consistere valerent; tum **B**) ob similitudinem quam filii adoptivi gerunt cum filiis naturalibus-legitimis. Atqui periculum istud et similitudo illa verificatur tantum in adoptione *perfecta*, non vero in *imperfecta*, cum per eam persona adoptata non traducatur in domum et potestatem adoptantis.—Tum accedit 3°) quod jura introducentia illud impedimentum, cum sint *odiosa et contra libertatem matrimonii*, restringi debeant ad solam *perfectam* adoptionem.

Resolvitur. Ex dictis sequitur, illud impedimentum *probabilius* non oriri ex adoptione, qualis a Codice Gallico statuta est, cum ab adoptione *perfecta* essentialiter discrepet, ac proinde in Gallia et Belgio non vigere, cum impedimentum dubium *dubio juris*, sit impedimentum nullum (pag. 127 seq.). Nec viget in Neerlandia, ubi non datur adoptio; nec in P. F. A. S. ubi adoptio tota pendet ex arbitrio adoptantis; quare, ait Kenrick : « *Nihil hic obstare videtur, quin vir ducat puellam quam filiae loco hactenus habuit.* » — Cfr. N. R. T. (I, 1 seqq.).

R. Ad 4^{um}) Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 57, a. 3) « *triplex est cognatio legalis,* » quarum PRIMA matrimonium dirimit quasi in *linea recta;* SECUNDA quasi in linea *collaterali*, TERTIA per modum cujusdam *affinitatis.*

Explanatur. Itaque cognatio *legalis* dirimit matrimonium : — 1°) **Inter adoptantem et adoptatum adoptatique posteros exstantes sub potestate adoptati tempore adoptionis,** vel, juxta nonnullos, usque ad 4^{um}) gradum inclusive, vel, juxta alios cum S. Thom. (*ibid.*), usque in infinitum, quasi **in linea recta,** per similitudinem ad cognationem carnalem. Hinc matrimonium consistere poterit inter adoptantem et filiam adoptati, quae post adoptionem nata est, vel tempore adoptionis erat extra potestatem adoptati; et multo magis cum filia filiae adoptivae,

quia foemina non habet in sua potestate suos descendentes; et etiam cum filiis illegitimis adoptati, quia hi non sunt sub potestate adoptati. Haec species cognationis vocatur *paternitas* et *filiatio legalis*, duratque *in perpetuum*, quousque vivant; et sic nunquam potest inter illos contrahi matrimonium, etiamsi per emancipationem aut alio modo soluta fuerit adoptio : quia reverentia, ratione cujus fuit introductum illud impedimentum inter hujusmodi cognatos, semper durare debet, et sic etiam impedimentum. — 2°) **Inter adoptatum vel adoptatam et filias vel filios legitimos adoptantis,** quasi in **linea collaterali.** Haec species cognationis vocatur *legalis fraternitas*, nec durat in perpetuum, sed solum *durante adoptione et patria potestate ;* et ideo, ea soluta vel morte patris adoptantis vel emancipatione filiorum, cessat impedimentum. Quare filia adoptiva post mortem patris contrahere potest cum filio naturali legitimo adoptantis, cum quo etiam contrahere potest, vivente patre, si filius naturalis legitimus fuerit emancipatus. — 3°) **Inter adoptantem et uxorem adoptati,** ac vicissim **inter adoptatum et uxorem adoptantis,** quasi in *linea recta* per modum **affinitatis.** Hinc cognatio haec vocatur *legalis affinitas*, quae iterum *in perpetuum* durat, ut adeo adoptatus non possit, etiam soluta adoptione, ducere eam quae fuit uxor adoptantis, uti nec adoptans viduam adoptati.

CAP. 4. De impedimento CRIMINIS.

Q. 117. *Quid* 1°) sit impedimentum CRIMINIS ; 2°) ex *quo* MOTIVO sit introductum ; et 3°) *an* incurratur, si ab utroque contrahentium *ignoretur?*

R. Ad 1^{um}) Est impedimentum *juris ecclesiastici*, ortum —vel *ex adulterio*,— vel *ex conjugicidio*,— vel *ex utroque simul*, et matrimonium dirimens inter eos qui eadem crimina *cum certis circumstantiis* perpetrarunt.

Resolvitur 1. *Triplici* igitur modo hoc impedimentum exsurgere potest : —vel ratione **adulterii** tantum, —vel ratione **conjugicidii** tantum,—vel ratione **utriusque simul,** cum certis circumstantiis. **Resol. 2.** Cum hoc impedimentum sit juris **ecclesiastici** antum, ut constat ex variis SS. CC. textibus, patet illud non fuisse

inter DAVIDEM et BETHSABEAM, licet ipse cum ea adulterium commiserit ejusque virum URIAM curaverit occidi. Patet quoque illud nunc locum non habere inter *infideles*.

R. Ad 2^{um}) Ex *duplici* motivo.

Explanatur. Introductum fuit : — tum **in favorem matrimonii,** ut fides intacta conservetur inter conjuges, et ut unus non conspiret in mortem alterius; — tum **in poenam justissimam** horum criminum.

R. Ad 3^{um}) *Disputant* DD., juxta dicta (pag. 125 seqq.).

Explanatur. Alii **affirmant** : quia hoc impedimentum est principaliter et primario *inhabilitas*. Sed undenam id probant? — Alii **negant** : quia est principaliter *poena*, cum SS. CC. illud impedimentum statuant ob delictum *formale* (pag. 126), ut adeo, si v. g. mulier libera peccet cum conjugato, ignorans esse talem, impedimentum non contrahat. Jam vero poena, etiam culpabiliter ignorata, cum sit extraordinaria, non incurritur (tom. I, p. 143 seq.).

Resolvitur. *Utraque* sententia est **probabilis**; imo *secunda*, juxta BUCCERONI, D'ANNIBALE, BALLER., LEHMK., alios, est **probabilior**; ac proinde habetur dubium *de jure* (pag. 127); sed in tali dubio impedimentum *juris ecclesiastici* non est impedimentum. Ergo qui *ignoranter* impedimentum criminis contraxerunt, valide ac licite matrimonium sine dispensatione inire possunt. Nec obstat quod praxis Tribunalium contraria sit : quia *in foro externo praesumitur scientia juris*, donec probetur oppositum; adeoque in foro interno manet securitas.

Q. 118. *Quale* 1°) debeat esse ADULTERIUM, ubi agitur de impedimento *criminis*, et 2°) *quandonam* illud impedimentum ex *solo adulterio* oriatur?

R. Ad 1^{um}) Debet esse adulterium : *verum*, *formale ex utraque parte*, et *consummatum*.

Explanatur. Dixi : **1°) Verum,** i. e. a parte rei vere subsistens; unde non sufficit existimatum : v. g. si putabatur conjux vivere, qui jam est mortuus, vel si matrimonium cum conjuge erat invalidum, quamvis reputaretur validum. — **2°) Formale ex**

utraque parte, i. e. cognitum utrique adulteranti, scienti statum conjugii, ita ut uterque sciat alterutrum esse matrimonio junctum, sicque ab utroque irrogetur injuria eidem conjugi seu eidem matrimonio. Hinc si persona libera copulam habeat cum conjugata, ignorans eam esse conjugatam, impedimentum non contrahit : quia ex parte ignorantis non est adulterium *formale*. Nec sufficit, quod uterque sciat, se esse in matrimonio, si alter alterius matrimonium ignorat : quia ignorans non infert injuriam matrimonio ignorato, sed tantum suo. Excusat autem hic ignorantia etiam *vincibilis;* sufficit tamen dubium de morte prioris conjugis, si reipsa vivat : quia tale dubium in jure aequiparatur scientiae.—3°) **Consummatum**; unde non sufficiunt oscula, tactus, etc., sed requiritur copula carnalis perfecta, de se sufficiens ad generationem : leges enim poenales debent intelligi de crimine consummato, nisi aliud aliunde constet. In foro *externo*, ubi constat de copula, sed dubitatur, utrum fuerit perfecta necne, praesumitur perfecta ex communiter contingentibus. Ast in foro *interno*, si confessarius deprehendat, actum etiam ex parte foeminae consummatum non fuisse, non deberet scrupulum impedimenti injicere, sive de matrimonio jam contracto agatur, sive de contrahendo.

R. Ad 2^{um}) Impedimentum *criminis* oritur *ex solo adulterio* in *duplici* casu.

Explanatur. *Duplex* casus adest : — Vel **A**) dum inter adulteros, sive ante, sive post adulterium, sed durante eodem matrimonio, adeoque vivente adhuc alterutrius comparte, **promissio** fiat et acceptetur de matrimonio post mortem compartis contrahendo. — Vel **B**) dum in iisdem circumstantiis matrimonium non quidem promittitur, sed, quod adhuc turpius est, de facto **attentatur.**

Et quidem, ad 1^{um}) quod attinet, requiritur *ex parte* **PROMISSIONIS,** ut sit : — 1°) **Vera** seu **seria,** non tantum externe, sed etiam interne : quia *ficta* non est promissio. — 2°) **Acceptata ab altera parte**; non sufficit autem mera taciturnitas : quia in odiosis qui tacet, non censetur consentire. — 3°) **Absoluta,** ita saltem ut conditio, sub qua facta est, impleta sit ante mortem prioris conjugis. — 4°) **Mutua,** juxta probabilem sententiam, ita ut adsit *repromissio* sicut in sponsalibus. Quare si mutua non sit, impedi-

mentum evadit incertum, quod perinde est ac nullum (pag. 129). —5°) **Criminosa** ab utraque parte, i. e. facta *cum scientia matrimonii*. Requiritur enim ex communi sententia promissio *de matrimonio* POST MORTEM CONJUGIS *contrahendo*. Accedit, quod SS. Canones, quoties loquuntur de hac *promissione* vel *attentatione* eam criminosam esse supponunt. Quae sententia saltem probabilis est. Quare non adest impedimentum, si mulier soluta, post inita sponsalia cum viro conjugato, cujus conjugium ignorabat, cum eodem, cognito matrimonio, adulterat.

Ad 2^um^) *casum* quod attinet, requitur *ex parte* **ATTENTATIONIS**:—1°. Ut vir et mulier sibi mutuo vere et serio **praestent consensum conjugalem** per verba de praesenti, sive publice, sive clandestine. Sufficere quoque matrimonium *civile*, constat ex variis decisionibus S. POENIT. apud DE ANGELIS.—2°) Ut attentatio sit ex utraque parte **criminosa**, i. e. facta cum scientia matrimonii. Unde si v. g. puella cum alterius marito adulteretur, et postea cum eodem contrahat, quia bona fide credit, ipsius uxorem modo defunctam, non habetur impedimentum.

Ceterum in **utroque casu**, tam *primo* quam *secundo*, perinde est, sive **promissio** aut matrimonii **attentatio** facta sit *ante* vel *post* adulterium, etiam multis annis; dummodo: —**A**) *ante* adulterium *non fuerit serio per mutuum consensum revocata*; secus autem dicendum, si revocetur *post* adulterium, etiamsi ante mortem conjugis: quia adulterio et promissione vel attentatione semel positis, contractum fuit impedimentum. Et dummodo—**B**) tam ipsa PROMISSIO seu ATTENTATIO, quam ADULTERIUM factum sit *durante eodem matrimonio* seu vivente adhuc eodem conjuge. Id enim Canones exigere videntur (cap. *Propositum*, *1*, et cap. *Significasti*, *6*, *de eo qui duxit*): ponderant enim injuriam *eidem* matrimonio irrogatam et ansam datam machinandi mortem *eidem* conjugi innocenti. Unde non contrahitur impedimentum, si adulteretur vivente comparte et matrimonium promittatur aut attentetur post mortem compartis, vel vicissim.

Q. 119. *Quandonam* impedimentum CRIMINIS oriatur *ex solo conjugicidio?*

R. Quando vir aut mulier, ex mutua machinatione seu con-

spiratione cum alia persona, occidit suam vel suum aut alterius conspirantis conjugem, cum intentione matrimonii inter se post mortem conjugis contrahendi.

Explanatur. Itaque *tria* requiruntur, ut *ex solo conjugicidio* impedimentum *criminis* contrahatur. — *Requiritur :* 1°) **Mutua machinatio** seu **conspiratio,** ita ut ambo in necem conjugis vere influxerint, vel per se vel per alium, physice aut moraliter, mandato, consilio, aut alio quovis modo. Hinc non subeunt illud impedimentum, si alter perpetret hoc crimen, inscio vel dissentiente altero, etiamsi hic deinde ratum habeat; ratihabitio enim non est causa occisionis, neque in eam influit, sed eam supponit. — *Requiritur :* 2°) **Mors effective secuta vi mutuae machinationis**; quia machinatio debet esse *efficax :* lex enim poenalis est strictae interpretationis. Hinc impedimentum non incurritur : **A**) Si mors quidem attentata fuerit, v. g. per inflictionem vulneris lethalis aut porrectionem veneni, sed reipsa secuta non fuerit. **B**) Si mors sequatur non ex mutua machinatione, v. g. ex vulnere inflicto, sed ex culpa medici, vel negligentia vulnerati, vel alia ex causa. **C**) Si uterque vel alteruter machinantium mandatum, consilium, revocaverit, ita ut mors secuta non debeat illis tribui. — *Requiritur :* 3°) **Intentio contrahendi inter se matrimonium sufficienter manifestata, saltem ex parte unius.** Quamvis enim haec intentio in jure expresse non requiratur, ea tamen satis colligitur ex fine legis volentis impedire, ne spes matrimonii ad conjugicidium inducat. Quae quidem inductio non aeque foret efficax sine intentionis manifestatione. Censetur autem manifestata, si occisionem praecesserint sufficientia intentionis indicia, qualia sunt : munera, familiaritates, epistolae amatoriae et similia. Hinc illud impedimentum non incurrunt, si id faciant non ex intentione matrimonii, sed ex vindicta, vel ob spem successionis, vel ob aliam causam; imo, nec si occiderent cum intentione contrahendi matrimonium, sed cum altera quam cum complice, v. g. cum filia conspirantis. Sufficit tamen si mortis machinatio a complicibus fuerit facta ex *secundaria* saltem intentione contrahendi inter se nuptias, etsi *primario* ex appetitu vindictae. In foro *externo* intentio contrahendi matrimonium semper adesse praesumitur.

Q. 120. *Quandonam* imp. CRIMINIS oriatur ex *adulterio et conjugicidio simul?*

R. Quando duo committunt adulterium, eoque perpetrato, unus eorum, animo matrimonium contrahendi cum altero, — vel proprium conjugem — vel conjugem sui in adulterio complicis, per se vel per alium occidit. Sic DAVID, moechatus cum BETSABEE, curavit occidi URIAM, ut eo mortuo illam acciperet in uxorem.

Explanatur. Itaque *tria* rursus requiruntur, ut in casu subsistat impedimentum.— *Requiritur :* **1°) Adulterium,** et quidem *verum, utrimque formale et consummatum*, juxta dicta(p. 155seq.).— *Requiritur :* **2°) Machinatio mortis facta ab uno adulterantium ex intentione** aliquo modo sufficienter manifestata *matrimonium contrahendi cum complice adulterii.* Hinc impedimentum non incurreret, si solum intenderet v. g. liberius cum adultera vivere, aut ducere aliam foeminam ab adultera diversam.— *Requiritur :* **3°) Mors de facto secuta ex machinatione unius ex adulteris**; sive occidat suis manibus, sive veneno, sive mandato non revocato, sive consilio, aut alia efficaci cooperatione.

Q. 121. *An* imp. CRIMINIS aliquando *multiplicetur?*

R. *Affirmative.*

Explanatur. Id autem contingere potest in **quatuor** sequentibus casibus : ut—**1°**) Si duo conjugati, facta promissione de matrimonio postea ineundo, adulterentur, erit duplex adulterium, inducens duplex impedimentum, quia duplici matrimonio irrogatur injuria; vel saltem erit circumstantia necessario exprimenda.—**2°**)Si unus insuper occidat conjugem, erit novum impedimentum.—**3°**)Si utriusque machinatione id factum sit, aderit et aliud.—**4°**) Si supponatur quod adulteri post promissionem matrimonii illud etiam de facto attentaverint, novum accedit impedimentum.—Interim sufficit, ut casus accurate describatur.

Scholion 1. Personas quasdam circa impedimentum CRIMINIS **speciatim** sed simul **prudenter** esse interrogandas, facile intelligitur : ut si herus cum famula aut hera cum famulo, brevi post mortem conjugis, nuptias inire cupiant.—**Scholion 2.** In impedi-

mento CRIMINIS, *utroque* vel *alterutro machinante*, nunquam dispensatur, si machinatio sit **publica**; raro vero et nonnisi ex causa gravissima, si machinatio sit **occulta**.—*Neutro* autem machinante, dispensatio etiam pro foro externo ex gravi causa conceditur, idque praesertim contracto jam matrimonio ad vitanda scandala.

Q. 122. *An* imp. CRIMINIS locum habeat inter *infideles?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **uterque** delinquentium est *infidelis;* vel **unus** tantum. — Si **primum** : *Negat.*, etiamsi deinde ambo ad fidem convertantur. Ratio : quia *crimen* est impedimentum *juris ecclesiastici*. Quod verum est, etsi impedimentum *criminis* ab iis committatur partim ante, et partim post eorum conversionem, ut si v. g. ante baptismum promiserant matrimonium, et post baptismum adulterassent : quia Ecclesia illud impedimentum statuit pro solis suis subditis, qui se *utriusque* criminis reos fecerint, tum injuriosae promissionis, tum adulterii.—Si **secundum** : *Subdistinguendum* est et videndum, utrum **fidelis**, an **infidelis** posuerit ea, quae impedimentum constituunt. Si **fidelis** posuerit, adest impedimentum. Si **infidelis** posuerit, nullum exsurgit.

Resolvitur. Hinc si TITIUS conjugatus et infidelis post adulterium cum CAJA muliere catholica, uxorem suam occidat animo ducendi CAJAM, quae tamen in necem nullatenus conspiravit, a neutro incurritur impedimentum : non a TITIO, quia legibus Ecclesiae non subjicitur; nec a CAJA, quia non fuit complex conjugicidii, et impedimentum ob solum adulterium non contrahitur. Aliud foret, si CAJA uxorem TITII occidisset vel caedis a TITIO patratae particeps fuisset : tunc enim impedimentum directe incurrisset CAJA et per consequentiam TITIUS.

CAP. 5. De impedimentis quae vocantur : CULTUS DISPARITAS, VIS, ORDO, LIGAMEN, HONESTAS.

Q. 153. *Quid* 1°) sit imp. CULTUS DISPARITATIS ; 2°) *quo* JURE matrimonium dirimat; et 3°) *quae* sint CONDITIONES, quas S. Sedes dispensando exigit?

R. Ad 1^{um}) Est inhabilitas ad contrahendum matrimonium inter personas quarum una est *fidelis* seu *baptizata*, altera *infidelis* seu *non baptizata*.

Explanatur. Hoc itaque impedimentum provenit ex **defectu** *baptismi*, quo fit, ut persona *baptizata* nequeat nuptias inire cum *non baptizata*.

Resolvitur 1. *Invalide* contrahit baptizatus, profitens paganismum vel aliam quamcumque religionem, cum muliere infideli; vel baptizata cum catechumeno, qui, quamvis fidem habeat et esse possit in gratia, caret tamen baptismo. **Resol. 2.** *Valide* contrahit baptizata cum baptizato, profitente paganismum; vel catholica cum haeretico, schismatico, seu apostata, modo *valide sit baptizatus*. Diversitas enim religionis quae exsistit inter personas *baptizatas*, unam catholicam, alteram acatholicam, est impedimentum *impediens tantum*, quod comprehenditur sub *vetito juris* (pag. 106), et speciali nomine appellatur *impedimentum mixtae religionis*, de quo egimus, ubi de *matrimoniis mixtis* (pag. 107 seqq.). — Dixi : *modo* VALIDE *sit baptizatus;* quia si *invalide*, impedimentum *disparitatis cultus* subsisteret.

Scholion 1. Cum vero saepe **dubitandum** sit, an omnia essentialia in baptismo *haereticorum* fuerint servata, hinc S. U. I. (17 Nov. 1859) sequentes regulas pro praxi proposuit : — «**1°**) *Quoad haereticos, quorum sectae Ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis.* — **2°**) *Quoad alios, qui juxta eorum Ritualia baptizant valide, validum est censendum baptisma.* — **3°**) *Quod si dubium persistat, etiam in primo casu censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii; si autem certo cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium* » Itaque **in dubio** de valore baptismi, si, facta investigatione, dubium permaneat, praesumendum est pro valore baptismi in ordine ad validitatem matrimonii. Confirmatur ex decisionibus S. U. I. (9 Sept. 1868 et 18 Sept. 1890) ap. N. R. T. (XXIII, 523).

Scholion 2. Si vero, facta debita investigatione, ob probationum defectum, **ignoratur** baptismi collatio, tunc ex S. U. I. (1 Aug. 1883) ap. N. R. T. (XVIII, 360) in ordine ad matrimonium praesumendum est : — aliquando *pro* collatione baptismi, — aliquando *contra*, — aliquando *nec pro, nec contra*, — sed *recurrendum* est ad S. Sedem. Sic — **1°**) praesumitur **pro** baptismi collatione : «*Si pars vel partes*

parentes habuerint pertinentes ad sectam quae baptismum ut necessarium habet, vel in qua saltem ordinarie administratur, et iidem parentes in secta sua zelosi fuerint; vel si juxta unius tantum parentis sectam et animi ut supra zelosam dispositionem praesumptio faveat baptismo, modo in educatione prolis de facto et indubie primas habuerit partes, nec alter conjux cognoscatur positive contrarius collationi baptismi. — **2°** Praesumitur **contra** collationem baptismi: «*Si pars vel partes acatholicae parentes habuerint ad sectam pertinentes quae baptismum respuit, vel infantium baptismum non admittit et in qua non confertur nisi adultis, v. g. annum 30 jam adeptis, vel parentes qui, dum in vivis essent, professi sint se nolle ad ullam sectam pertinere, seque Ens supremum honestis potius moribus, quam speciali aliquo cultu honorare.*» — **3°** **Non** licet praesumere **pro** vel **contra** : «*Si parentes in secta sua secordes fuerint, aut ad sectam pertinuerint quae baptismum quidem non respuit, sed eum non habet ut necessarium et in qua ordinarie non administratur.*» — Praeterea recurrendum est ad S. Sedes, EXPOSITIS OMNIBUS RERUM, LOCORUM ET PERSONARUM ADJUNCTIS ALIISQUE AD REM FACIENTIBUS, «*si, facta inquisitione, ignoretur an parens ille, de quo supra, juxta cujus sectam et animi zelosam dispositionem praesumptio faveret baptismo, revera in educatione prolis primas habuerit partes, — vel si certo constet primas partes in educatione prolis habuisse eum parentem cujus secta et animi dispositio baptismo non favebant.*»

R. Ad 2^um^) Dirimit matrimonium, non jure *naturali* aut *divino*, sed tantum *ecclesiastico* : non quidem *scripto*, cum textus generalis ac disertus desideretur; sed *consuetudinario*, ut ait BILL., i. e. per antiquissimam consuetudinem inducto, quae quidem, quidquid sit de saeculis anterioribus, saltem a saeculo XII generalis evasisse et vim legis obtinuisse videtur, ut patet ex GRATIANO et PETRO LOMBARDO, qui de eo impedimento ut indubitato loquuntur.

Explanatur. Finis legis irritantis matrimonium fidelis cum infideli traditur a S. THOM. (*Suppl.* q. 59, a. 1 in cor.). «*Principalius matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda : cum autem educatio fiat communiter per patrem et matrem, uterque secundum fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare, et ideo, si sint*

diversae fidei intentio unius alterius intentioni contraria erit, et ideo inter eos non potest esse conveniens matrimonium, quia disparitas cultus contraria est matrimonio ratione principalioris boni ipsius, quod est bonum prolis.» — Verum, etsi in prioribus Ecclesiae saeculis conjugium fidelis cum infideli non fuerit **invalidum**, *regulariter* tamen fuit **illicitum**, etiam jure *naturali* et *divino*, ob perversionis periculum partis fidelis aut prolium. Unde quoque dicit Apost. (2 Cor. VI, 14) : «*Nolite jugum ducere cum infidelibus;*» et (1 Cor. VII, 39) : «*Cui vult nubat, tantum in Domino.*» — Dixi : **regulariter**; quia in casibus particularibus, ubi tale periculum non aderat, sed potius spes affulgebat conversionis in comparte infideli aut aliud bonum procurandi, erat licitum, ut comprobatur matrimonio CAECILIAE cum *Valeriano*, MONICAE cum *Patricio*, CLOTILDIS cum *Clodovaeo*.

R. Ad 3^um) CONDITIONES requisitae sunt *quatuor* sequentes.

Explanatur. 1°) Ut adsit justa et gravis aliqua causa; 2°) ut cohabitatio fieri possit sine contumelia Creatoris et absque periculo perversionis pro parte catholica; 3°) ut detur securitas de universa prole utriusque sexus catholice educanda; 4°) ut pars catholica promittat se pro viribus curaturam, ut conjux infidelis ad veram fidem convertatur.

Q. 124. *Quid* 1°) sit impedimentum VIS seu METUS; 2°) *quae* CONDITIONES requirantur ad illud incurrendum; 3°) *quo* JURE matrimonium dirimat; et 4°) *an* metum INJUSTE incutiens incidat in aliquam *poenam?*

R. Ad 1^um) Est inhabilitas ad contrahendum matrimonium ex *metu gravi, injuste incusso*.

Resolvitur. Unde, ubi agitur de impedimento *vis*, haec vox non debet sumi **proprie**, pro violentia externa corpori illata, quae voluntarium omnino *tollit* (tom. I, p. 29 seq.); sed **improprie**, pro vi morali seu metu, qui per se voluntarium tantum *minuit*.

R. Ad 2^um) Ut impedimentum VIS subsistat, *tria* requiruntur.

Explanatur. Requiritur : 1°) **Metus gravis**, vel *simpliciter*

et *absolute*, ut est rationabilis timor gravis mali sibi vel proxime conjunctis imminentis, vel saltem gravis *respective* in ordine ad talem personam, v. g. foeminam : quia et hic respective notabiliter minuit libertatem matrimonii, quod debet esse plene liberum cum sit indissolubile et post se trahat gravia incommoda. Unde metus simpliciter *levis*, cum non notabiliter minuat libertatem et facile repelli possit, in re tanti momenti merito contemnendus est et pro nihilo reputandus. — Requiritur : 2°) Ut sit **injuste incussus** : secus impedimendi ratio non subsisteret, absente injuria. Hinc valet matrimonium, si quis metu mortis ex morbo ducat concubinam : aut si judex metu poenarum cogat defloratorem ad ducendam defloratam, cui nuptias promisit. Non valet, si pater dixerit defloratori filiae suae : occidam te, nisi ducas; quia non habet jus occidendi, vel aliud malum per se ipsum inferendi, sed tantum accusandi. — Requiritur : 3°) Ut matrimonium *ex metu* contrahatur, ita ut *metus sit* **causa contractus.** Utrum propterea requiratur, ut metus sit **directe** incussus, i. e. in ordine *ad extorquendum consensum in nuptias;* an vero sufficiat, ut sit **indirecte** incussus, i. e. *alio fine* quam ad extorquendum consensum, inter DD. *disputatur.* **Prius** requiri, multi docent cum S. Lig. (VI, 1049). Unde validum habent matrimonium, si quis timens mortem ab inimico sibi injuste inferendam, offerat ad vitandum tale periculum ducere ipsius filiam. Quia, qui tunc contrahit, ad hoc non impellitur ab incutiente metum, sed ipse ultro et voluntarie eligit matrimonium tanquam medium vitandi periculum. **Posterius** sufficere, existimant alii, iique gravissimi, quos inter De Lugo, Schalmzgrueber; tum 1°) quia jura (cap. *cum locum 14, de spons. et matrim.*) requirunt ad matrimonium plenam libertatem et securitatem contrahendi, neque distinguunt inter metum *directe* et *indirecte* incussum; tum 2°) quia idem manet legis motivum : scilicet periculum infelicis exitus, et injuria illata; tum 3°) quia metus, qui adigit ad excogitandum medium se liberandi, vere *causa est* electi hujus medii, sicque matrimonium omnino *metus causa* contractum censetur. Hinc matrimonium habent invalidum in casu relato, sicut in alio (p. 8).

R. Ad 3^{um}) Certo dirimit *jure ecclesiastico*. An etiam *jure naturali*, inter DD. *disputatur*.

Explanatur. Alii **negant** per se; nisi forte metus ita mentem perturbaret, ut tolleret voluntarium, et ideo dixi : *per se*. Ita THOMISTAE communiter cum SALM., SYLV., WIGG., STEYAERT. Nec aliter docuisse S. THOM. (*Suppl.* q. 47, a. 3), ostendit BILL. — Alii vero **affirmant** : non quidem ob defectum consensus, sed propter defectum juris acquisiti et injuriam irreparabilem. Cum enim contractus matrimonii sit indissolubilis adeoque injuria illata reparari nequeat, lex naturae tali contractui non assistit. Ita SCOTISTAE communiter cum ESP., PONT., aliis, quibus favet S. LIG. (VI, 1054).

Resolvitur. Est quaestio pro **praxi** otiosa. Nam, si agatur de nuptiis *contrahendis*, uti olibet jure, *naturali* aut *ecclesiastico*, metus dirimat, dispensationem non admittit, sed necesse est, ut causa metus tollatur. Si vero agatur de nuptiis jam *contractis*, nunquam declarabuntur invalidae, nisi probatum antea fuerit, in foro externo, verificatas fuisse omnes conditiones quas Ecclesia requirit pro metu gravi.

R. Ad 4^{um}) Qui incutit injuste metum alteri ad contrahendum matrimonium, graviter peccat contra justitiam et contra religionem; et si est magistratus, incidit in excommunicationem nemini reservatam ex TRID. (Sess. XXIV, *de ref. matr.* cap. 9).

Q. 125. *Quid* 1°) sit imp. ORDINIS; 2°) *quo* JURE dirimat matrimonium; 3°) a *quo* TEMPORE, et 4°) sub *qua* POENA?

R. Ad 1^{um}) Est inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex susceptione *Ordinis Sacri*. Constat ex TRID. (Sess. 24, Can. IX).

R. Ad 2^{um}) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 53, a. 3) dirimit matrimonium jure tantum *ecclesiastico*.

Resolvitur. Unde consequens est, Ecclesiam hac in re ex causa gravissima dispensare posse, prout reipsa pluries dispensavit (tom. II, p. 302 seq.). — Interim, an imp. illud immediate oriatur ex *praecepto Ecclesiae*, an vero ex *voto implicito*, quod in ipso facto ordinationis emittitur, inter DD. *disputatur* (*ibid.* 303).

R. Ad 3^{um}) A *quo* praecise *tempore* impedimentum istud vigere incoeperit, incertum id est.

Explanatur. Interim notentur sequentia : — 1°) Certum est hoc impedimentum exstitisse ante BONIF. VIII, ut constat ex damna-

tione sequentis propositionis sub n. LXXII in Sylt. relatae : « Bonifacius VIII *votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere* primus *asseruit.* » — **2°**) S. Ordo sine dubio incoepit esse impedimentum *dirimens* in Ecclesia *Latina*, saltem a saec. XII, ut constat ex Conc. Later. I, an. 1123 et Later. II, an. 1139. — **3°**) Semper fuit saltem imp. *impediens* pro Ecclesia tam *Occid.*, quam *Orient.*, ad quam pertinent qui utuntur ritu *Graeco*, *Armeno*, *Syriaco*, vel *Copto*. — **4°**) In Eccl. *Latina* semper quoque servatum fuit, ut qui matrimonio juncti ad Ordines SS. promoverentur, ab uxoribus deinde separarentur. — **5°**) In Eccl. *Orient.* episcopis omnino prohibitum est non solum contrahere, sed et propria uxore uti post ordinationem (tom. II, pag. 302). Quod reliquos attinet, vide *ibid.*). — **6°**) Diu multumque *disputatum* fuit inter DD., utrum quoque in Eccl. *Orient.* matrimonium sit *irritum* post S. Ordinis susceptionem contractum? Nullo adhuc decreto apostolico res definita est, teste Bened. XIV, Const. « *Anno vertente* » (19 Jun. 1750); addit tamen, Tribunalia pontificia, SS. Congregationes, adhaerere eorum opinioni, qui haec matrimonia per Ordinem S. irritari sustinent. — **7°**) Quod pertinet ad *Italo-Graecos*, qui nimirum grassantibus per totum Orientem tum barbarorum infidelium immunitate, tum etiam schismaticorum perfidia, plurimi ex *Graecia*, *Epiro*, *Albania* aliisque *Asiae* regionibus ad *Italiam* eique adjacentes insulas tanquam ad fidei et tranquillitatis portum confugerunt et ibidem sedem ac domicilium collocarunt, debitam R. Ecclesiae obedientiam profitentes; Bened. XIV, Const. « *Etsi pastoralis* » (26 Maii 1742) irritum declaravit matrimonium quod post S. Ordinationem contraheret subdiaconus, diaconus vel presbyter. Ad usum vero matrimonii quod attinet, quod ante susceptionem S. Ordinis quis iniit, R. Ecclesia non prohibet quominus *Italo-Graecus* in SS. Ordinibus constitutus uxorem retineat, quam ante SS. Ordines duxit, dummodo virgo, non vidua, neque corrupta fuerit.

R. Ad 4^{um}) Recole dicta (pag. 131).

Q. 126. *Quid* 1°) sit imp. ligaminis; 2°) *quo* jure dirimat; et 3°) *quomodo* agendum *in dubio* de morte *prioris conjugis?*

R. Ad 1^{mum}) Nomine *ligaminis* intelligitur ipsum vinculum matrimoniale, ortum ex matrimonio rato vel consummato,

vivente utroque conjuge, indissolubile; unde impedimentum LIGAMINIS est inhabilitas pro conjugato ad novum matrimonium ineundum, durante vinculo prioris, sive consummati, sive rati tantum.

Resolvitur. Hinc qui bona fide crederet, compartem suam esse mortuam, dum adhuc viveret, et ad alias nuptias convolaret, non peccaret quidem, sed **invalide** contraheret, et ad priorem conjugem comparentem redire teneretur. Attamen, proles ex hoc secundo matrimonio natae, jure canonico, ob bonam fidem legitimae reputantur.

R. Ad 2^{um}) Cum illud impedimentum fundetur in proprietatibus matrimonii, scilicet in *unitate* et *indissolubilitate*, de quibus egimus (pag. 75 seqq.), patet illud esse *juris divini*, saltem in L. N. — Imo est de *jure naturae*, ne foemina plures simul habeat viros, juxta dicta *(ibid.)*.

R. Ad 3^{um}) Ad hoc, ut quis licite ineat secundum matrimonium, ex SS. CC. (cap. « DOMINUS » *de secund. nupt.*; cap. « IN PRAESENTIA » de *spons. et matrim.*; Inst. « CUM ALIAS » 21 Aug. 1670, a CLEM. X sancita), requiritur *certitudo moralis* de morte prioris conjugis, tanta scilicet, quae prudenti judicio sufficiat ad credendum compartem *certo* esse mortuam, quia secus exponeret sacramentum periculo nullitatis, se vero periculo adulterii.

Explanatur. Quae certitudo moralis aderit, si v. g. de obitu constet ex regestis parochiae, vel xenodochii, vel militiae; aut si de eo testetur legitimus magistratus, ecclesiasticus vel civilis; aut id asserant duo testes jurati, fide digni et qui de facto proprio deponant; imo testimonium unius testis quandoque sufficere potest, si ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur, ut si testis sit *oculatus* et *qualificatus*, v. g. sacellanus castrensis. Hinc quoties manet prudens *dubium de morte prioris conjugis*, ad quod solvendum minime sufficit ex SS. CC. argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur); ad matrimonium procedi non potest, sed causa remittenda est ad *Ordinarium*, ut pleniori judicio res tanti momenti expendatur. Ut

autem Ordinarii certam haberent normam, quam in hujusmodi judiciis sequantur, ex S. U. I. (13 Maii 1868) prodiit «*Instructio*» (quae constat nn. XI), «*ad probandum obitum alicujus conjugis.*» — Huc quoque spectat «*Instructio de judiciis ecclesiasticis circa causas matrimoniales*» quae prodiit ex S. C. DE PROP. FIDE (20 Sept. 1883), part. II, art. IV *de imped. ligaminis.* Ap. N. R. T. (XIX, 237 seq.); item «*Instructio ad episcopos orientales super probatione status liberi in ordine ad matrimonium*» ex S. OFF. (29 Aug. 1890) ap. N. R. T. (XXIV, 143 seqq.). Cfr. pag. 36.

Q. 127. *Quid* 1°) sit imp. PUBLICAE HONESTATIS; 2°) *quo* JURE sit introductum et *quare* sic vocetur; 3°) ex *quotuplici capite* oriatur et *quousque* se extendat; 4°) an sit *perpetuum;* 5°) an oriatur ex *matrimonio civili;* 6°) an liget *infideles;* 7°) an quandoque *multiplicetur?*

R. Ad 1^{um}) Est propinquitas personarum, orta ex sponsalibus, sive *de futuro*, sive *de praesenti*, i. e. matrimonio rato non consummato, inhabilem reddens utrumque sponsum ad contrahendum matrimonium cum *consanguineis* alterius, etiam *illegitimis*, intra gradus a lege definitos.

Resolvitur. Hinc sponsus valide ducit viduam fratris sponsae: quia haec est *affinis*, non vero *consanguinea* sponsae.

R. Ad 2^{um}) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 55, a. 4) introductum fuit solo jure *ecclesiastico*, et ideo vocatur *publica honestas* seu *justitia publicae honestatis*, quia Ecclesia judicavit, morum decentiam postulare, ne valide contraheretur cum consanguineis illius cum quo sponsalia de futuro et a fortiori matrimonium sunt contracta, quippe per haec *inchoative* fiunt una caro.

R. Ad 3^{um}) Ut patet ex definitione, oritur ex *duplici* capite; et pro diversitate capitis, diversimode se extendit.

Explanatur. Oritur: **1°**) *Ex sponsalibus* **de futuro** quibuscumque *validis* et *absolutis*, etiam *clandestine* initis; non autem ex conditionatis, nisi postquam impleta conditione transierint in absoluta. Et tunc ex TRID. (XXIV, *de ref. matr.* cap. 3), dirimit matrimonium cum mutuis consanguineis sponsorum in **primo gradu** utriusque lineae, juxta dicta (pag. 20 seq.). — Oritur: **2°**) *Ex*

sponsalibus **de praesenti**, i. e. *ex matrimonio rato non consummato*, etiam *invalido*, dummodo invalidum non sit : vel *defectu consensus;* vel quia *in praejudicium priorum sponsalium*. Et tunc dirimit ad **quartum gradum inclusive** utriusque lineae, inter maritum et consanguineas uxoris, necnon inter uxorem et consanguineos mariti. — Dixi : **1°) defectu consensus**; et hinc non oritur impedimentum ex matrimonio inito cum amente, cum ebrio, ex errore personae, ex ignorantia conditionis servilis, ex metu gravi injuste incusso, vel cum ficto consensu, aut cum impubere, malitia aetatem non supplente : quia in omnibus sic contrahentibus deficit : vel omnis consensus, vel saltem talis, qualis a jure requiritur. Si tamen impubes contraxisset matrimonium, adhuc incurreret istud impedimentum, non quidem ratione matrimonii, quod ex defectu consensus est invalidum, sed ratione sponsalium : quia ex juris dispositione (cap. unic. *de despons. impub.* in 6) matrimonia impuberum habent vim sponsalium, ideoque incurreret solummodo ad *primum*, non vero ad quartum gradum. — Dixi : **2°) in praejudicium priorum sponsalium**; i. e. si matrimonium invalidum sit *ob impedimentum publicae honestatis ortum ex sponsalibus*. Hinc si Titius, initis sponsalibus cum Bertha, ea relicta, matrimonium attentet et non consummet cum consanguinea sponsae in primo gradu, i. e. cum matre, vel filia, vel sorore sponsae suae, hoc matrimonium ratum utiquē invalidum erit, non quidem defectu consensus, sed ratione impedimenti ex sponsalibus orti; et tamen ex hoc matrimonio rato invalido non oritur impedimentum publicae honestatis in praejudicium sponsalium priorum, ut adeo, ex speciali juris dispositione (cap. unic. *de spons.* in 6) priora sponsalia adhuc maneant in suo vigore, ac Titius ducere possit Bertham, imo debeat, si ipsa adhuc voluerit. Non tamen ducere poterit aliam ex consanguineis Berthae usque ad quartum gradum : nam respectu aliarum ex matrimonio rato etiam invalido orta est publica honestas. **Interim** non desunt graves DD., qui illud privilegium juris admittunt pro casu quo fuerint jure **dissoluta.** Unde, juxta ipsos, si sponsalia, prius inita cum Bertha, fuerant antea mutuo consensu dissoluta, tunc matrimonium ratum postea attentatum cum ejus sorore, quamvis invalidum, induceret impedimentum publicae honestatis, ita ut Titius nequeat amplius sine dispensatione ducere

Bertham : quia cum priora sponsalia non amplius exsistant, non possunt praejudicari ; publica vero honestas tunc tantum habet privilegium non retroagendi, cum est *in praejudicium sponsalium priorum*. — Utraque sententia *probabilis* est.

R. Ad 4^{um}) Impedimentum *publicae honestatis*, ex quocumque capite *semel contractum*, sive ex sponsalibus de futuro (pag. 20), sive ex sponsalibus de praesenti, *perpetuum* est, ita ut perduret, licet morte unius aut alia de causa in posterum dissolvantur.

Explanatur. Constet ex S. C. C. (6 Jul. 1658), cujus declarationem (die 10 ejusdem mensis) confirmavit Alex. VII, *eamdemque jussit in dubium deinceps non revocari*. Ratio : quia propinquitas, propter quam ex S. Thom. (*l. c.*) inductum est impedimentum, de se est perpetua.

R. Ad 5^{um}) *Negative*.

Explanatur. Constat ex decreto S. C. C. (13 Mart. 1879). Ad **dubium** enim : «*An actus qui vulgo audit matrimonium* civile, *pariat impedimentum justitiae publicae honestatis?*» **Respondendum** censuit : «Negative, *facto verbo cum SS^{mo}, ut id decernere et declarare dignetur per decretum generale.*» Quod fecit Leo XIII per decretum (17 Mart. 1879) ap. N. R. T. (XII, 575), declarando : «*praememoratum actum, qui vulgo dicitur* matrimonium civile, *in locis ubi promulgatum est decretum Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 1* de ref. matr., *sive fideles actum ipsum explentes intendant uti par est (matrimonio ecclesiastico jam rite celebrato vel cum animo illud quantocius celebrandi) meram caeremonium civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia aut in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum justitiae publicae honestatis non producere.*»

R. Ad 6^{um}) Cum hoc impedimentum sit *juris ecclesiastici* tantum, illud infideles non adstringit, quorum proinde matrimonia cum eo contracta valida sunt, et post baptismum valida remanent.

Resolvitur. Hinc ad **dubium** : «*An matrimonium ratum non consummatum paganorum producat honestatem publicam vel censeatur impedimentum dirimens post eorum conversionem? v.g. Titius paganus duxit Maeviam paganam, sed non consummavit; postmortem Maeviae Titius fit Christianus: potestne ducere Bertham sororem et consobrinam Maeviae e pagana factam christianam? Idemque estne de sponsalibus paganorum ac de matrimonio rato?*» S. U. I. (19 April 1837) **respondit** : «*Impedimentum non subsistere.*»

R. Ad 7^{um}) *Affirmative.*

Explanatur. Ut si quis plura, v. g. duo sponsalia valida vel duo matrimonia invalida inierit; quo casu contrahit duplex *publicae honestatis* impedimentum. Item si quis v. g. cum una ex tribus sororibus sponsalia contraxisset, cum altera matrimonium attentasset, et tertiam ducere vellet.

CAP. 6. De impedimentis : AETATIS et AFFINITATIS.

Q. 128. *Quid* 1°) sit imp. AETATIS; et 2°) *quo* JURE dirimat?

R. Ad 1^{um}) Est inhabilitas temporanea ad contrahendum matrimonium ante adeptam aetatem *pubertatis*, nisi forte *malitia* suppleat aetatem.

Explanatur. Dixi : **1°)** *ante adeptam aetatem* **pubertatis.** Haec autem *pubertas* habetur, ex jure canonico, pro *foeminis :* anno 12 expleto; et pro *maribus :* expleto anno 14. Cujus diversae aetatis pro foeminis et masculis ratio inde petitur, quod potentia generandi citius in foeminis quam in masculis tum incipere, tum etiam deficere solet.—Dixi : **2°)** *nisi forte* **malitia** *suppleat aetatem;* i. e. nisi, praeter sufficientem usum rationis, quo sciant, ad quid se obligent, adsit potentia generandi. Quare S. THOM. (4 dist. 36, q. *un.* a. 5) hanc malitiam scite appellat : « *vigorem naturae et rationis.*» Item (*Suppl.* q. 58, a. 5 in c.).

Resolvitur. Hinc ad *valorem* matrimonii sufficit :—vel **A)** aetas **pubertatis,** licet nondum adsit potentia proxima copulae, dummodo discretio rationis non desit, nec impotentia sit perpetua;

— vel **B**) aetas **impubes,** si, praeter sufficientem discretionem, adsit potentia proxima ad copulam consummandam.

R. Ad 2um) Dirimit *jure ecclesiastico* tantum.

Resolvitur. Hinc **1°**, matrimonia *impuberum*, qui rationis usum habent, inter *infideles*, qui legibus Ecclesiae non subduntur, *valida* sunt. Hinc **2°**) Papa ex gravi causa dispensare potest in impedimento *aetatis*, modo adsit usus rationis sufficiens, qui de jure naturae requiritur; immo, juxta probabilem sententiam, id etiam potest episcopus ex causa urgentissima, praesertim publica, v. g. causae pacis conciliandae aut conservandae, maxime, si contrahentes sint prope annos pubertatis et dubium sit, an non malitia suppleat aetatem. Hoc ipso enim quod pontifex (cap. 2 *de despons. impub.*) permittat dispensationem eamque sibi non reservet, censetur dare episcopis. Ita Sass.

Q. 129. *Quid* sit imp. AFFINITATIS?

R. *Est propinquitas personarum* proveniens *ex copula carnali perfecta*, sive *licita*, sive *illicita*, dirimens matrimonium intra certos gradus : inter *virum et consanguineas foeminae a se carnaliter cognitae;* et vicissim : inter *foeminam et consanguineos viri qui eam cognovit.*

Explanatur. Hoc impedimentum ideo vocatur **affinitas,** quasi duorum ad unum finem unitas, eo quod duae cognationes diversae per nuptias vel coitum copulantur et alter ad alterius cognationis finem accedit. Sicut igitur *stipes* CONSANGUINITATIS est pater et mater; ita *fundamentum* seu origo AFFINITATIS est copula carnalis, sive matrimonialis, sive extramatrimonialis, cum per illam vir et mulier fiant una caro, sicque sanguis unius attingat sanguinem alterius, et consanguinei unius efficiantur alteri affines, quemadmodum agri dicuntur *affines* seu *confines*, quia finis unius est proximus fini alterius et ipsum attingens. Cfr. Bill.

Dixi : **A**) *ex copula carnali* **perfecta**; i. e. de se apta ad generationem, licet ob quamcumque causam, v. g. ob senectutem vel sterilitatem generatio non sequatur : si enim non sit *perfecta,* vir et mulier non fiunt una cāro in qua tamen unitate fundatur propinquitas et AFFINITATIS impedimentum. — **Hinc 1°**) non oritur im-

pedimentum ex copula, vase etiam penetrato facta, ast semine extra vas muliebre emisso; nec ex copula sodomitica aut attentata cum impubere vel ex quavis imperfecta; nec ex congressu spadonum, eunuchorum, utroque testiculo carentium et ob id semen generationi aptum non emittentium; nec si in coitu *sola foemina* seminaverit.—Utrum vero oriatur, si **solus** *vir* seminaverit, non foemina, DD. *disputant*. Alii **affirmant**; alii **negant** : quia ex jure requiritur *seminum commixtio*; et cum his facere videtur S. Thom. (*Suppl.* q. 55, a 4 ad 2) inquiens : « *Vir et mulier efficiuntur in carnali copula una caro per* commixtionem seminum. *Unde quantumcumque quis claustrum pudoris invadat et frangat,* nisi commixtio seminum sequatur, *non contrahitur ex hoc affinitas.* » Cum tamen S. Thom. (p. 3, q. 31, a. 5) censeat semen foeminae non esse materiam de necessitate requisitam ad conceptum, plures existimant cum Sylvestro et Sylv., quod, quando requirit commixtionem seminum, per semen ex parte mulieris intelligat vel semen vel aliquid loco seminis, v. g. sanguinem. Quidquid sit, utramque sententiam *probabilem* reputat S. Lig. (VI, 1075). Cum itaque habeatur dubium *juris*, concludo pro foro interno cum Cherubino Mayr : *Poterit confessarius judicare, non consurrexisse impedimentum* affinitatis, *si foemina ut* certum *asserat, se non seminasse,* » etiamsi vir certo seminaverit. Ast in foro *externo*, ubi constat de copula, semper praesumitur pro impedimento contracto (pag. 154). Unde merito scribit Baller. : « Quoad praxim valere debent *regulae* quas et S. Lig. (*l.c.*) habet, nempe : a) Quando de copula constat, in foro externo semper praesumitur pro impedimento contracto; b) idem praesumitur etiam in foro interno, quando de opposito non constat, quia judicium prudenter fit ex communiter contingentibus, praesertim si foemina fateatur, magnum voluptatis sensum se esse expertam, etsi seminalem effusionem non adverterit; c) si constet reipsa seminationem alterutra ex parte non esse secutam, in foro conscientiae non potest sententia pro impedimento ferri. » Interim quotiescumque secuta sit conceptio, toties aderit affinitas : quia, utcumque aliquid defuisse dicatur in ipso actu conjunctionis viri et mulieris, revera tamen facti sunt una caro, quum ex carne viri et mulieris proles concipiatur. — **Hinc 2°**) e contra oritur impedimentum ex

copula perfecta cum muliere invita, dormiente, ebria, amente : quia cum iis fieri potest actus generationi de se idoneus.

Dixi : **B**) *sive* **licita,** *sive* **illicita**; unde *duplex* distinguitur AFFINITAS : una ex copula *licita*, i. e. maritali; alia ex copula *illicita*, puta fornicaria, adulterina vel simili. Ex qualibet vero copula sit orta AFFINITAS, non cessat impedimentum morte alterutrius conjugum vel fornicantium, sed est perpetuum, ut decernitur caus. 35, q. 10, can. 1.

Dixi : **C**) *dirimens matrimonium intra certos gradus* **inter virum et consanguineas** *foeminae a se carnaliter cognitae, et vicissim*, etc. — **Hinc 1°**) vir non fit affinis mulieri a se carnaliter cognitae aut vicissim : quia ipsi sunt principium et radix affinitatis, ac quasi stipes communis, ex qua affinitatis gradus numerantur. Quare vir poterit nubere mulieri, quam carnaliter antea cognoverat. — **Hinc 2°**) inter duas personas, quarum neutra copulam carnalem exercuit cum persona consanguinea alterius, non potest esse affinitas. — **Hinc 3°**) solus igitur vir fit affinis consanguineis mulieris a se cognitae, et haec sola fit affinis consanguineis viri cognoscentis; consanguinei vero unius et consanguinei alterius non contrahunt affinitatem inter se, juxta axioma quod tradunt TT. ex S. THOM. (*Suppl.* q. 55, a. 5) : « *affinitas non parit affinitatem.* » Quare JOANNES per copulam perfectam cum ANNA fit affinis consanguineis ANNAE; sed nullo modo consanguinei JOANNIS affines fiunt consanguineis ANNAE; et hinc sequitur : **a**) Duo fratres germani unius familiae ducere possunt duas sorores germanas alterius familiae. **b**) Pater et filius ducere possunt viduam et ejus filiam; imo filius ducere potest matrem et pater ejusdem filiam. **c**) Si pater, habens v. g. duos filios, duceret viduam habentem duas filias, possunt illi ducere duas illius filias, sicque privignus (*beau-fils — stiefzoon*) potest ducere filiam novercae (*belle-mère — stiefmoeder*); et vicissim privigna (*belle-fille — stiefdochter*) filium vitrici (*beau-père — stiefvader*). **d**) Potest vitricus ducere viduam privigni, et noverca viduum privignae. **e**) Potest privignus ducere matrem sui vitrici vel novercae, sicut et privigna patrem sui vitrici aut novercae. **f**) Potest quis accipere uxorem quam frater suae uxoris defunctae habuit. **g**) Potest quis successive ducere uxores, quarum priores mariti fuerunt fratres germani. — In his enim et similibus casibus

nulla est affinitas inter has personas, quia neuter, ut suppono, habuit commercium cum consanguineo alterius.

Q. 130. *An* 1°) in AFFINITATE distinguantur : *stipes*, *linea* et *gradus* ; et 2°) *quae* sit *regula* ad lineam et gradum *affinitatis* dignoscendum ?

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 55, a. 7) *affirm.*, non quidem per se, sed ratione consanguinitatis.

Explanatur. Itaque in AFFINITATE per quamdam *analogiam* cum consanguinitate, — **1° Stipes** sunt duae illae personae quae se carnaliter cognoverunt, quaeque, cum una caro evaserint, non vocantur affines, sed principium, radix, seu origo affinitatis, sicut pater et mater sunt principium consanguinitatis. — **2°) Linea** est series personarum, quae sibi sunt affines, et haec est duplex : alia *recta*, alia *obliqua*. In linea *recta*, affines sunt respectu mulieris cognitae, qui in eadem linea sunt consanguinei viri cognoscentis ; et in linea *obliqua*, affines sunt respectu mulieris cognitae, qui in eadem linea sunt consanguinei viri cognoscentis, et vicissim. — **3°) Gradus** est distantia unius affinis ab altero affini.

R. Ad 2um) Ex S. THOM. *(ibid.)* est *regula* sequens : « *Quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi uxor.* » Seu majoris explicationis ergo : *In quo gradu et in qua linea aliquis est consanguineus viri cognoscentis, in eo gradu et in ea linea fit affinis mulieri cognitae ;* et vicissim : *in quo gradu et in qua linea aliquis est consanguineus mulieris cognitae, in eodem gradu et in eadem linea fit affinis viro cognoscenti.*

Explanatur. Sic avus Joannis, qui Joanni est consanguineus in 2° gradu lineae rectae, itidem in 2° gradu lineae rectae est affinis Catharinae quacum Joannes copulam habuit ; sic frater Joannis, qui Joanni est consanguineus in 1° gradu lineae collateralis, est affinis Catharinae etiam in 1° gradu lineae obliquae ; sic avunculus Joannis, qui Joanni est consanguineus in 1° et 2° gradu mixtim lineae collateralis, est affinis Catharinae in eodem gradu et eadem linea, et ita de ceteris.

Q. 131. Ad *quem gradum* AFFINITAS dirimat matrimonium?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si proveniat ex copula **licita,** dirimit usque ad 4^um^ *gradum inclusive*, tam in linea collaterali, quam in linea recta.— Si vero ex copula **illicita** oriatur, dirimit tantum usque ad 2^um^ *gradum inclusive*. Et quoniam *gradus remotior trahit ad se propinquiorem*, hinc, si oriatur AFFINITAS ex copula *licita*, nullum erit impedimentum, si alterutra pars est in gradu 3°; vel in gradu 3°, si oriatur ex copula *illicita*. — Quod vero, intra gradus prohibitos, propinquior gradus exprimi debeat, jam supra (pag. 141 seq.) dictum fuit.

Q. 132. Ad *quem gradum* se extendat AFFINITAS ex matrimonio *consummato*, sed *invalido?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si **mala** *fide* fuerit contractum, saltem ab una parte, affinitas non extenditur ultra 2^um^ *gradum*, utpote proveniens ex copula *illicita*. — Si **bona** *fide* ab utraque parte fuerit initum, juxta alios extendit se ad 4^um^ *gradum inclusive*, utpote orta ex copula formaliter maritali seu *licita*; juxta alios vero se extendit ad 2^um^) *gradum* tantum, quia revera copula illa, licet animo conjugali habita, fornicaria est in se seu in substantia, et matrimonium nonnisi in fictione subsistit. — *Priori* sententiae favet S. C. C. (3 Dec. 1667; 15 April. 1762). — Interim si non oriatur AFFINITAS ultra 2^um^) gradum, equidem tamen ex illo matrimonio, nisi invalidum sit ex defectu consensus, orietur impedimentum PUBLICAE HONESTATIS ad 4^um^) gradum.

Resolvitur. In **praxi** pro his casibus in 3° et 4° gradu petatur dispensatio ab utroque impedimento : AFFINITATIS et PUBLICAE HONESTATIS. Utrumque autem satis exponitur declarando matrimonium putativum fuisse consummatum.

Q. 133. *Quo jure* AFFINITAS dirimat matrimonium?
R. *Soto jure ecclesiastico*, etiam ex S. THOM. (2. 2. q. 154, a. 9 ad 3) in 1° *gradu* lineae *rectae*, sive oriatur ex copula *illicita*, quod nemo dubitat; sive ex copula *conjugali*, quod est verius, quamvis in hujusmodi affinitate dispensari non soleat.

Explanatur. Quod 1°) affinitas **in primo gradu lineae rectae,** sive oriatur ex copula *conjugali*, sive ex *fornicaria*, non dirimat matrimonium jure **naturae,** expresse tradit S. Thom. (*l. c.*), ubi inter solos parentes et filios clare dicere videtur prohiberi jure *naturae* matrimonium. Idem, teste Bened. XIV (*de Syn.* lib. IX, cap. XIII, n. 4), docent « *probatissimi auctores*, » quos inter Bill., Caj., Sanch., aliique a Sanch. citati. Ratio est : quia reverentia affinibus *primi gradus lineae rectae* debita multo minor est ea quae debetur parentibus naturalibus. Non enim inter affines datur illa dependentia naturalis orta ex descendentia et procreatione unius ab alio, cui adversatur usus matrimonii. Praeterea non est major indecentia in matrimonio affinium *primi gradus lineae* RECTAE quam in matrimonio consanguineorum *primi gradus lineae* COLLATERALIS : quia licet *prima* indecentia excedat *secundam* propter superioritatem et inferioritatem, *secunda* tamen excedit ratione longe strictioris vinculi consanguinitatis. Atqui haec non est tanta, ut ipso jure naturae dirimat matrimonium, ut supra (pag. 145 seq.) diximus. Ergo nec illa. — Interim, fatentibus omnibus, matrimonium *in primo gradu affinitatis lineae rectae* est graviter illicitum ; et quamvis, in eo possit dispensari, etiam si oriatur affinitas ex copula *conjugali* seu *licita ;* teste tamen Bened. XIV (*ibid.*), « *a simili dispensatione RR. Pontifices, etsi pluries rogati, abstinuerunt.* » Contra, si in eo gradu affinitas oriatur ex copula *fornicaria* seu *illicita*, S. Sedes non raro dispensat, ita tamen, ut si quis velit ducere filiam, postquam cum matre fornicatus fuerit, apponi soleat conditio : « *dummodo copula cum matre non antecesserit nativitatem filiae* ; » vel, ut exprimitur in facultatibus, quibus Episcopi in P. F. A. S. muniuntur : « *dummodo nullum subsit dubium quod conjux sit proles ab altero contrahentium genita ;* » ne dispensatus periculo exponatur propriam filiam ducendi.

Quod vero 2°) affinitas, sive ex copula *conjugali*, sive ex *fornicaria* oriatur, **in nullo gradu lineae collateralis** matrimonium dirimat **jure naturae,** apud fere omnes in confesso est, et constat RR. Pontifices saepius dispensasse, etiam *in primo gradu* affinitatis *lineae collateralis*, ex copula *conjugali*. Sic Alex. VI concessit Emmanueli, regi Lusitaniae, duas sorores Hispaniarum regis filias successive habere uxores. Sic quoque Julius II dispensavit

cum Henrico VIII, Angliae rege, ut Catharinam Aragoniam fratris sui Arthuri viduam duceret in uxorem; quam quidem dispensationem cum irritam esse contenderet Henricus, ut Annae Bolenae nuberet, CLEMENS VII, consultis catholici orbis universitatibus et post maturum examen, eamdem validam omnino et legitimam fuisse pronuntiavit.

Resolvitur. Hinc **infideles,** quamdiu in infidelitate permanent, hoc impedimento non ligantur; nec, si post matrimonium convertantur, ab invicem separari debent. Quia tamen ratione copulae, sive licitae, sive illicitae, etiam inter infideles habitae, oriatur quoddam vinculum naturale perpetuum seu quaedam naturalis propinquitas, quae per baptismum non tollitur, si hujusmodi affines post conversionem tantum matrimonium inire vellent, dispensatione super affinitatis impedimento indigerent (*Inst.* S. U. I., 3 Mart. 1825; S.C. de P. F. 23 Aug. 1852); S. OFF. 26 Aug. 1891. —Si tamen catholicus, praevia dispensatione super *cultus disparitate*, infidelem, quae rem habuit cum catholici fratre vel filio, etc., ducat, pro valido habendum est ejus matrimonium: Ecclesia enim dispensando cum parte catholica super *disparitate cultus*, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis, a quibus exempta est pars infidelis, ut inde hujus exemptio propter contractus individuitatem communicata remaneat et alteri (*Inst.* S. U. I, cit.).

Q. 134. *An* 1°) aliquando AFFINITAS sit *multiplex*; et 2°) *utrum* haec *multiplicitas* necessario sit *exprimenda* in libello supplici?

R. Ad 1^{um}) *Affirm.*; idque contingere potest in *quadruplici* casu.

Explanatur. Casus sunt: — **1°**) Si quis copulam habuerit cum persona quae dupliciter aut pluries est consanguinea illius quam ducere intendit. — **2°**) Si quis ad duas vel plures alicujus consanguineas fuerit ingressus. — **3°**) Si ab utraque parte copula habita fuerit cum alterius partis consanguineis; ut si sponsus consanguineam sponsae et vicissim sponsa consanguineum sponsi cognovit. — **4°**) Si quis uxorem suam cognovit tum *ante*, tum *post* contractum matrimonium, et ea mortua vellet ducere consanguineam defunctae intra 2^{um}) gradum, duplex tunc obstat affinitas: una ex copula *illicita*

ante matrimonium exorta, et altera ex copula *conjugali* procedens. Verum in hoc casu sufficit explicare affinitatem quae ex copula *licita* seu ex matrimonio provenit. Nam S. Sedes necessitatem explicandi hanc duplicem affinitatem sustulit *Litteris* ad instantiam Episc. Namurcensis datis ad Episcopos Belgii (29 Mart. 1842). Quae *Litterae* ubique et pro omnibus valent, ut edixit S. Poenit. (10 Dec. 1874). — Non multiplicari affinitatem ex saepius repetita copula, sive licita sive illicita, jam dictum fuit (pag. 148).

R. Ad 2^{um}) *Affirm.*, et quidem *de valore* dispensationis.

Q. 135. *Quid* dicendum de AFFINITATE, quae matrimonio jam contracto *supervenit?*

R. *Plura* sunt dicenda.

Explanatur. Inter alia dicendum est: — 1°) **Non solvit** matrimonium, utpote de se indissolubile. — 2°) Si supervenerit per copulam incestuosam unius conjugis cum persona consanguinea alterius intra 2^{um}) *gradum*, tunc conjugi nocenti **adimit jus petendi debitum**, donec dispensetur; reddere tamen tenetur innocenti, si juste petat. — 3°) Cum autem haec privatio juris petendi debitum sit **poena**, et quidem extraordinaria, hinc ab ea incurrenda *excusant*: **A) vis** et **metus gravis**; **B) ignorantia** — vel *juris*, ut si peccans nesciat ipsam legem Ecclesiae prohibentem; — vel *facti*, ut si vir peccet cum foemina quam ignorat esse suae uxoris consanguineam, vel quam novit esse consanguineam, sed certo credit esse in gradu remotiori quam in primo vel secundo; et cum SS. CC. loquantur de *scienter* committente incestum, excusat ignorantia etiam *crassa* et *supina*, imo juxta aliquos, *affectata*; — vel demum *poenae*, juxta dicta alibi (t. I, p. 144). — 4°) Per solum incestum cum **alterius** *consanguineis*, non item cum **propriis** *consanguineis* etsi scelestiorem, incurritur haec poena, quia nullibi est statuta. — 5°) Confessarios **regulares**, approbatos respectu saecularium, posse in hac poena dispensare, diximus (tom. II, pag. 550).

CAP. 7. De impedimento CLANDESTINITATIS.

Q. 136. *Quid* 1°) sit CLANDESTINITAS; 2°) *cur* illud imp. sit

introductum; 3°) *quosnam* obliget; et 4°) *an* etiam *haeretici* eo ligentur?

R. Ad 1^{um}) CLANDESTINITAS, quatenus est impedimentum *dirimens*, est impedimentum jure *ecclesiastico* in Conc. TRID. (Sess. XXIV, *de ref. matr.* cap. 1 « *Tametsi* ») introductum, quo matrimonium proprie CLANDESTINUM, i. e. « *aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus* » contractum, penitus irritatur, ubicumque decretum Conc. TRID. *viget*. Ubi vero *non viget*, i. e. ubi vel nunquam publicatum fuit, vel in desuetudinem abiit, CLANDESTINUM matrimonium *validum* quidem est, sed *graviter illicitum* (pag. 106), nisi causa gravis excuset.

Scholion 1. Praesumitur lex TRID. **publicata,** ubicumque usu recepta est. Constat ex S. C. C. (26 Sept. 1602) et PIO VI *in epist. ad Episc. Lucion.* (28 Maii 1793). Confirmatur ex decisione S. U. I. (1 Maii 1887), ubi decreti « *Tametsi* » vis obligatoria ex sola consuetudine adstruitur. Ap. N. R. T. (XXIII, 150 seq.). — Interim requiritur, ut lex publicata et observa fuerit **tanquam lex Conc. Trid.**; quare si proclamata aut observata fuerit tantum *tanquam lex alterius auctoritatis*, v. g. Synodi provincialis aut dioecesanae, impedimentum non subsisteret, ut patet ex BENED. XIV (*de Syn.* lib. XII, c. V, n. 7 seqq.). — Imo contingere potest, quod in aliquibus locis, in quibus fuit tanquam lex Conc. Trid. publicata, deinceps vim irritandi amiserit **per desuetudinem** seu generalem inobservantiam. Unde quoque declarat PIUS VII ad Arch. MOGUNT. (8 Oct. 1803) clandestina matrimonia « *rata et firma consistere in locis in quibus Conc. Trid. decretum vel nunquam publicatum fuit, vel nunquam observatum tanquam ejusdem Concilii decretum; vel si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit.* » Pariter in *Instr.* S. OFF. (5 Mart. 1823) ad Episc. QUEBEC. dicitur : « *Si publicata non est laudata lex, si publicata in desuetudinem abiit, matrimonia sine parocho et testibus valida sunt.* » Cum tamen dubium sit, quodnam temporis spatium ad hoc requiratur et sufficiat, ideo in casibus particularibus S. Sedes consulenda est.

Scholion 2. Auctores passim referunt **loca praecipua** in

quibus lex Tridentina promulgata vel non promulgata perhibetur. Ea reperies praesertim ap. Desjardins (*Questions prat. sur le Mariage*, App. I, pag. 287 seqq.). — Sufficit autem sola auctoritas Ordinarii ad plenum robur promulgationis, si haec fiat in *parochiis proprie dictis;* at controvertitur utrum sufficiat, cum agitur de *quasi-parochiis* vel *missionibus*. Tunc enim aliqui requirunt speciale indultum Romani Pontificis. De hac controversia agit N. R. T. (XIII, 548 seqq.). Quidquid sit, constat ex declaratione S. Off. (5 Dec. 1883) ad episc. S. Hyacinthi in regione Canadensi ap. N. R. T. (XVI, 126 seq.), promulgationem fieri posse: — **1°**) in missionibus proprie dictis *scilicet sine sacerdote residente, sed a missionario ad hoc delegato temporibus tum fixis tum inaequalibus per annum visitatis;* — **2°**) in quasi-parochiis, i. e. territoriis quae *quoad speciem externam plus vel minus accedunt ad similitudinem parochiae, utpote habentia ecclesiam prope quam sacerdos ordinarie vel saltem principaliter residet et limites ab episcopo designatos.*

R. Ad 2^{um}) Introductum fuit ob *duplex* motivum.

Explanatur. Ideo imp. clandestinitatis, prius *impediens*, jam in *dirimens* transmutavit Ecclesia : — tum **1°**) ne conjuges postea impune ad alias nuptias divertere possint; —tum **2°**) ne ad SS.Ordines pergerent et beneficia ecclesiastica retinerent, cui malo mederi nequibant judices, ex defectu probationum.

R. Ad 3^{um}) Obligat, *regulariter* loquendo, fideles : — tum 1°) contrahentes in loco in quo lex Trid. promulgata usuque recepta est, etiamsi habitent ubi non viget; — tum 2°) contrahentes in loco ubi non viget, si *uterque* eo unice venerint *in fraudem*, i. e. solo animo sine parocho et testibus contrahendi, quin illuc suum domicilium seu quasi-domicilium transferant.— Dixi : *regulariter;* ob dicta superius (p.127 seq. et t. I, p. 146).

Resolvitur 1. Si duo catholici incolae Angliae, ubi lex non viget, peregrinentur in Belgio, ubi viget, ibique clandestine contrahant, invalidum est matrimonium.

Resol. 2. Si duo catholici incolae loci, in quo decretum est promulgatum, veniunt ad locum, ubi non est promulgatum, *distinguendum* est.—Vel enim **1°**) eo transferunt suum *domicilium* vel

quasi-domicilium; et tunc, quantumvis id fecerint ex intentione clandestine contrahendi, *valide* nihilominus ibidem contrahunt : quia ratione *domicilii* vel *quasi-domicilii* fiunt incolae loci, ubi decretum non est promulgatum. —Vel **2°**) eo veniunt, non quidem cum intentione domicilii aut quasi-domicilii acquirendi, sed *praecise*, ut contrahant clandestine ; et tunc *invalide* contrahunt (tom. I, p. 151 seq.) : adest enim specialis declaratio Urbani VIII (14 Aug. 1627). —Vel **3°**) eo veniunt ob *alios fines*, puta recreationis causa, vel ob mercaturam aliave negotia, at simul sine intentione domicilii aut quasi-domicilii acquirendi ; et tunc DD. *disputant*. Juxta alios **invalide** (1) juxta alios vero **valide** contrahunt (2). Unde **in praxi** non posset matrimonium in casu haberi pro invalido sine recursu ad Sedem Apost.

Resol. 3. Si unus habitat in loco *exempto*, alter vero in loco *non exempto*, videndum est, in quo loco contrahatur clandestine. Si in loco *exempto* fiat, valet matrimonium. Si contra in loco *non exempto*, non valet. Ratio est : quia pars exempta communicat suum privilegium parti non exemptae propter individuitatem contractus. Constat ex Clem. XIII in Litt. ad Archiep. Mechlin. (15 Maii 1767). — Unde **sequitur** : **1°**) Si vir catholicus et incola Hollandiae, ubi viget lex Trid., clandestine contraheret in Anglia cum muliere catholica et incola istius regionis, contractus *valet*, etiamsi vir nullum domicilium aut quasi-domicilium acquisiverit

(1) Ita S. Lig. (VI, 1080), Scav., Carr., alii, et communius recentiores cum Gasp. (*de Matr.* II, n. 984 seqq.), Rosset (*de Sacr. matr.* n. 2093, Deshayes (*op. cit.* p. 52 seqq.) qui prae ceteris erudite de hac re disputat. Innituntur tum praxi S. Sedis tum declarationi S. Off. (7 Jun. 1867) ubi decretum Urbani VIII (14 Aug. 1627) ita interpretatur : « *Juxta ea quae in hoc decreto sanciuntur, qui domicilium habent et retinent in loco ubi Tridentina lex viget, nequeunt matrimonium inire in loco ubi non viget, nisi ibi nedum habitationem, sed etiam vere domicilium fixerint, quo fraudem, si quae intercesserit, purgare omnino debeant.* » — (2) Ita Gury, De Angel, D'Annib., Baller., alii. Ratio eorum est : quia non faciunt in fraudem, et aliunde peregrini non adstringuntur patriae legibus, quando extra eam vagantur, et praesertim legibus quoad contractus, cum in hisce subjiciantur legibus loci, in quo versantur. **Nec obstat,** quod Trid. inhabilitaverit *personas* ad contrahendum sine praescripta solemnitate : inhabilitatio autem, ut dici solet, personam sequatur, sicut umbra sequitur corpus. Hoc enim procedit dumtaxat, quando persona

in Anglia, et vix celebratis nuptiis cum muliere revertatur in Hollandiam. Si vero idem vir cum eadem muliere contrahat clandestine in Hollandia, contractus *non valet*, quia neuter ibidem exemptus erat. — **Sequitur** : 2°) Quod in Hollandia, ubi *haeretici* ex celebri Declaratione Bened. XIV (4 Nov. 1741) a lege Trid. certo sunt exempti, vir catholicus aut mulier catholica ibidem sine praescripta forma valide contrahant cum persona haeretica, quia haec suam exemptionem communicat parti catholicae. — **Sequitur** : 3°) Vir haereticus ex Hollandia valide sine parocho et testibus contrahit in Anglia cum muliere catholica ex Belgio, licet neuter in Anglia domicilium aut quasi-domicilium acquisiverint. Ratio est : quia exemptus in uno loco, valide contrahit clandestine in alio loco similiter exempto : ergo vir, de quo in casu, valide contrahit clandestine in Anglia et alteri parti suam exemptionem communicat. Constat ex resp. S. U. I. (8 Febr. 1860) ad postulatum officialis Mechl.

R. Ad 4^{um}) *Haereticos*, quippe qui per baptismum facti sunt Ecclesiae subditi, impedimentis *juris ecclesiastici* ligari, generatim loquendo diximus (pag. 124 seq.). Speciatim tamen loquendo de *clandestinitate*, utrum Ecclesia de facto voluerit *haereticos* hoc impedimento ligari, et consequenter an sint valida necne matrimonia clandestina *haereticorum* inter se, vel mixta, ubi viget lex Tridentina, non una est DD. sententia.

Explanatur. Alii universaliter **negant**, valere hujusmodi

inhabilitata fuerit absolute ac simpliciter et in individuo per sententiam judicis : secus vero, si sit generalis ex lege : tunc enim sequitur naturam legis et consequenter, ubi lex non obligat, ibi nec obligat inhabilitatio, nec actus sequitur annulatio. Ita, teste Ballerini, « *communior* » sententia cum Sanc., Reiff., Engel, etc. « Et quidem admodum temperate Cl. Ballerini hanc doctrinam mere dixit *communiorem;* quando ceu absolute *communem* eam tradiderunt et Reiff. (l. 4, tit. 3, n. 123) et Pichler (l. 4, tit. 3, n. 123) et Marcus Struggl. (de Matr. l. 3, n. 180) et Ferraris (V. *Impedim.* art. 2, n. 110); quin et *communissimam* Georgius Gobat (tract. 9, n. 484) eam professus est. Adde quod et Ferraris (l. c.) et Pichler (l. c.) et Lacroix (l. 6, p. 3, n. 712) in hujus doctrinae confirmationem declarationes S. Congr afferant. » Sic in *Appendice* ap. Act. S. Sedis (VII, 557).

matrimonia in ullis locis, ubi publicatum est decretum Trid., nisi intercesserit apostolica exemptio.—Alii iique, teste Pio VII in Litt. ad Dalberg Arch. Mog. (8 Oct. 1803), « *numero plures et auctoritate praestantissimi* » generaliter **affirmant,** ea esse valida. Scilicet existimant, *haereticos* eximi ab hoc impedimento, quia Patres Tridentini, exigendo publicationem sui decreti in singulis parochiis, ut ibi robur obtineret, in animo habuerunt, eximere *haereticos* ab Ecclesia prorsus separatos, quorum conjugia non potuissent universim irritari sine gravissimis incommodis. Immo, Bened. XIV, Const. « *Singulari nobis* » (9 Febr. 1749) disertis verbis significat, ideo valida fuisse declarata *haereticorum* matrimonia in Hollandia, quia lege Tridentina illa matrimonia non comprehenduntur. Quod idem rursus in Litteris ad Antonium Archiep. Goanum inculcat (19 Mart. 1758).

Resolvitur 1. Neutra sententia, sic generaliter prolata, **admitti potest,** cum validitas hujusmodi matrimoniorum omnino pendeat a variis circumstantiis, in quibus haeretici versantur; quarum circumstantiarum judicium sibi reservavit Sedes Apostolica, ut liquet ex constanti ejusdem praxi. **Resol. 2.** Certum est : matrimonia **in Hollandia** inter partes vel *utramque haereticam*, vel *unam catholicam* et *alteram haereticam*, sine praesentia catholici parochi et duorum saltem testium inita vel posthac ineunda, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro *validis* habenda esse, ut constat ex *Decl.* Bened. XIV supra cit. (pag. 181). **Resol. 3.** Idem dicendum foret de matrimoniis *haereticorum* **in aliis locis,** ubi decretum Trid. est promulgatum, **si ibidem eaedem sint circumstantiae ac in Hollandia,** imprimis quod haeretici veluti distinctam et a catholicis separatam constituant societatem cum propriis suis coetibus religiosis. Quia tamen non constat hanc circumstantiam esse unicam et adaequatam, et aliunde difficulter determinatur, quaenam aliae adjungi debeant; hinc, quousque pro aliqua regione a S. Sede *Declaratio* Bened. XIV aut similis decisio applicata non fuerit, *authentice* saltem de validitate matrimoniorum ibi clandestine initorum constare non poterit. Unde **in praxi** sicut valor matrimonii nequit tuto affirmari sine

recursu ad Sedem Apostolicam, sic pariter sine eodem recursu nequit matrimonium tuto haberi pro invalido (1).

Scholion. Quinam sint illi qui veniunt nomine **haereticorum**, cum agatur de locis ubi viget *Declaratio Benedictina*, patet ex rescripto S. U. I. (6 April. 1859). Etenim ad **Dubium** : « *An pro intelligentia celebris* Declarationis Bened. XIV *pro Hollandia comprehendi possint sub nomine haeretici* quinque *sequentes classes* : **1°** *Illi qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in haeresi educantur ac haeresim profitentur.* **2°**) *Qui non tam in haeresi quam ab haereticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta, et cultu non frequentato, licet aliquoties participato.* **3°**) *Qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes haereticae sectae adjunguntur.* **4°**) *Apostatae ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes.* **5°**) *Qui nati et baptizati ab haereticis adoleverunt quin ullam solemnem haereseos professionem emiserint ac veluti nullius religionis, etc.?* » S. U. I. **respondit** : « *Ad effectum matrimonii supranumeratos comprehendi in laudata* Bened. XIV *Declaratione.* »

Q. 137. *Quis* parochus ex Trid. nuptiis assistere debeat?
R. Ad *validam* assistentiam requiritur *parochus proprius.*

(1) **Benedictina Declaratio** successive aut similis decisio ab aliis PP. ad alias quoque regiones applicata fuit, ut a Clem. XIII : ad regionem *Quebecensem* et *Canadiensem;* ad *Wratislaviam*, ad *Malabariam* et ad *Bombaicum;* a Clem. XIV : ad *Culmiam;* a Pio VI : ad *Poloniam russicam*, ad *Hiberniam*, ad ducatum *Cliviensem;* a Pio VII : ad *Silesiam;* a Leon XII : ad *Prov. Foed. Am. Sept.* et speciatim ad dioecesim *Neo-Aurelianensem*, seu ad superiorem et inferiorem *Luisianam* ac *Floridas* ceterasque partes olim Gallorum vel Hispanorum ditioni subjectas; ad Sept. Amer. *insulas* Anglis, Batavis et Danis subjectas; ad civitatem *Mosac-Trajectensem;* ad prov. *Italo-graecas*, ad *Albaniam*, *Bulgariam*, *Bohemiam;* a Pio VIII : ad provinciam *Rheni-Superioris* et ad *Westphaliam;* a Greg. XVI : ad plures Americae partes Angliae subditas, praecipue ad *Novam Scotiam*, ad regnum *Hungariae* et Magnum *Transylvaniae* Ducatum, ad suburbium *S. Petri* prope osae-Trajectum.— Dantur et alia loca, a quibus singulis enumerandis abstineo, quippe facile de suo quisque domicilio ea addiscet. Quod spectat *foederatam Americam septentrionalem*, loca ad quae *Declaratio Benedictina* extensa fuit, reperies ap. N. R. T. (XVIII, 555 seq.).

Explanatur. Nomine **parochi proprii**, de qua quaestione late tractat Bened. XIV (Instit. 33), intelligitur, qui hic et nunc, nempe tempore celebrationis, habet ordinariam jurisdictionem in contrahentes. Talis autem est parochus, non *originis*, sed *habitationis*, i. e. in cujus parochia *alteruter* contrahentium, sive sponsus sive sponsa, *domicilium* vel *quasi-domicilium* nactus est (S. U. I. 2 Maii 1877). Ast **vagorum** parochus est, in cujus parochia actualiter degunt, licet *alteruter* tantum sit vagus.

Resolvitur 1. Si sponsi pertineant ad diversas parochias, sufficit ad valorem *alteruter* parochus : quia contractus matrimonialis est individuus; ut tamen ipse *licite* procedat, debet ab altero parocho habere testimoniales de factis proclamationibus, et quod nullum impedimentum denunciatum sit. In plerisque tamen dioecesibus celebratio matrimonii ex consuetudine spectat ad parochum *sponsae;* et merito quidem : quia decet, juxta S. Ambr., ut quae nubit « *expetita magis videatur a viro quam ipsa virum expetiisse.* » Imo in quibusdam dioecesibus ita fieri praecipitur, ut in Stat. dioec. Mechl. (n. 304). Adhuc tamen valide celebratur coram parocho *sponsi*. Imo quod pertinet ad validitatem, potest matrimonium contrahi in parochia *sponsae* coram parocho *sponsi* vel coram alio sacerdote de ipsius parochi *sponsi* licentia et vice versa. **Resol. 2.** Si quis duobus in locis domicilium, vel in uno domicilium, in alio quasi-domicilium habeat, valide utrolibet contrahit, eo quoque, ubi in praesens non degit. Nec refert, si parochus domicilii aut quasi-domicilii, aut ab ipso delegatus sacerdos extra parochiam vel dioecesim assistat, etiam contradicente parocho loci : quia actus assistendi non est actus jurisdictionis, cum simpliciter assistat ut testis qualificatus, nec proinde ulla sive Ordinis sive jurisdictionis potestate utatur, sed quodam quasi mandato. Ordo tamen postulat, ut matrimonio sui parochiani parochus vel ejus delegatus non assistat in aliena parochia sine licentia parochi illius loci. **Resol. 3.** Si unus contrahentium est **vagus,** valebit matrimonium contractum coram parocho loci in quo versatur, licet alter in vicina parochia domicilium habeat : quia vagus suum privilegium communicat alteri propter individuitatem contractus. Parochi tamen, ex praecepto Trid. (Sess. XXIV, *de ref. matr.*, cap. VII), caveant « *ne vagorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem*

[ad tramites decreti S. U. I. pag. 36] *fecerint, et re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* » Et quoniam agitur de re gravi, ideo, ut advertunt Salm., Sancii., Pont., alii, graviter peccaret parochus qui ejusmodi *vagorum* matrimonio assisteret sine licentia Ordinarii, extra casum urgentis necessitatis. **Resol. 4.** Valide assistit parochus, etsi non sacerdos (S. C. C. 1 Dec. 1593 et 29 Mart. 1653); ast, dicente Trid. : « *praesente parocho vel alio* sacerdote, » si velit alium delegare, debet delegare sacerdotem. **Resol. 5.** Valide assistit et assistendi licentiam dat parochus *suspensus, interdictus, excommunicatus*, etiam *vitandus;* quamvis et episcopus id ei nominatim sub clausula irritante (pag. 107) vetuerit, modo non sit legitime actu depositus : quia censurae non privant per se parochia, et aliunde dare licentiam assistendi non est actus jurisdictionis, sed est designatio quaedam spectatoris qua talis, ut possit testificari de matrimonio facto. Item valide assistit, qui ex *errore communi* cum vel etiam, juxta probabiliorem sententiam, sine titulo colorato habetur ut verus parochus, licet non sit : supplet enim Ecclesia, idque licet contrahentes sciant defectum tituli, quia scientia illa privata non obstat, quominus adhuc sit error communis. Invalidum tamen esse matrimonium coram parocho, qui publicus effectus est *haereticus*, in locis ubi decretum Trid. est publicatum, declaravit S.C.C. (19 Mart. 1572). **Resol. 6.** Valide parochus alium substituit etiam *vitandum*, dummodo is sacerdos aut sit, aut saltem, juxta Suar. et alios, quod tamen non admittimus, ex communi errore ut talis habeatur. **Resol. 7.** Si parochus coadjutorem aut vicarium sibi adsciverit, is quidem valide interest matrimoniis, nisi ille aliud expresserit. De jure enim *communi* sufficit licentia generalis sacramenta administrandi (S. C. C. 10 Jun. 1591 et 16 Mart. 1630). De jure tamen *particulari*, in pluribus locis, vicepastores, qui ab episcopo accipiunt jurisdictionem et universalem licentiam pro ceteris sacramentis in parochia administrandis, non tamen sunt delegati ad matrimonii sacramentum. **Resol. 8.** Delegatus *ad universalitatem causarum*, seu ad cuncta parochialia munia obeunda, ut si parochus ad longum tempus discessurus diceret suo vicario : *Paroeciam tibi commendo, fac omnia ut alter ego*, jure poterit alterum subdelegare ad unum vel ad alterum munus speciale, ideoque etiam ad assistendum alicui

matrimonio. Si vero agitur de delegato *ad munus tantum speciale*, v. g. ad conferendum baptismum, ad assistendum matrimoniis, alium subdelegare non potest ex dispositione juris positivi (Scavini). **Resol. 9.** Perinde est pro validitate sive licentia scripto, verbo aut alio signo detur, modo data sit pro tempore quo matrimonium contrahitur. Non autem sufficit ratihabitio post contractum matrimonium, nec licentia praesumpta, sed ea debet esse significata ex parte delegantis et acceptata a delegato, antequam matrimonium contrahatur. **Resol. 10.** « *Sufficit ad validitatem matrimonii licentia contrahentibus nominatim designatis a parocho concessa in scriptis, ut matrimonio inter se celebrando quemvis sacerdotem eorum arbitrio adhibere possint.* » Ita S. C. C. (13 Jun. 1586). Esset tamen omnino improbanda, nisi forte in casu urgentis necessitatis. **Resol. 11.** Per mortem delegantis non cessat delegatio, si res non est integra, ut si banna jam fuerint incoepta; imo non cessat, re licet integra, si delegatus ante nuptias ignoraverit mortem deputantis. Extra posteriorem hunc casum, num delegatio, re integra, cesset necne, DD. disputant. Alii *affirmant;* alii *negant*, quorum doctrinam posse in praxim deduci opinatur Feye, n. 297.

Scholion. Quod praxim attinet in quibusdam majoribus civitatibus vigentem qua parochi sibi mutuo *generalem delegationem* tribuunt ad vitandam nullitatem matrimonii eorum qui, factis jam proclamationibus, domicilium vel quasi-domicilium, inscio proprio parocho, derelinquunt, et tamen coram hoc proprio parocho dolose matrimonium contrahunt, fingentes se in hujus parochia, in qua proclamationes factae sunt adhuc habitare, haec, inquam, praxis a S. Sede non fuit improbata, ut constat ex S. C. C. (18 Mart. 1893) ap. N. R. T. (XXV, 250). Attamen juxta mentem S. Sedis : « *Ad vitanda incommoda ex enunciata praxi utcumque oritura, opportunum foret in ea servari* [hunc] *modum, videlicet : ut mutua illa generalis delegatio parochis non sit permissa nisi accedente Ordinarii approbatione et delegatione, una cum facultate etiam subdelegandi; insuper ut eadem generalis delegatio limitanda sit ad casum quo res per petitionem proclamationum factam non est jam integra, id est, restringenda ad solos parochos domicilii a sponsis relicti; et quoad durationem, ita determinanda sit, ut exspiret si a die ultimae proclamationis (exclusive) elapsi sint duo menses sive 60 dies completi,*

vel tot dies completi quot juxta dioecesana statuta requiruntur ut denuo fiant proclamationes, si intra illud tempus matrimonium non fuerit celebratum. »

Q. 138. *Quid* 1° sit DOMICILIUM et QUASI-DOMICILIUM; 2°) *quaenam* ad utrumque REQUIRANTUR; 3°) *quomodo* in foro externo CONSTET, requisita *adesse;* 4°) *quandonam* censeatur acquisitum DOMICILIUM vel QUASI-DOMICILIUM relate ad matrimonium valide ac licite contrahendum; 5°) *quomodo* utrumque AMITTATUR?

R. Ad 1^{um}) DOMICILIUM simpliciter dictum (quod et *verum* nuncupant), est actualis habitatio in loco cum animo ibi *perpetuo* manendi, sive haec animi dispositio libera sit, sive necessaria, ut in iis, qui perpetuo mulctantur exilio aut carceribus damnantur ad vitam. — QUASI-DOMICILIUM, seu domicilium *temporale*, est actualis habitatio in loco cum animo ibi non perpetuo, non obiter, sed *per notabile tempus* degendi, i. e. per majorem anni partem, ideoque per integram saltem dimidiam anni partem, quae recepta sententia est contra SCHMALZ. aliosque existimantes minus temporis satis esse.

R. Ad 2^{um}) Itaque ad *utrumque*, tam ad DOMICILIUM verum, quam ad QUASI-DOMICILIUM, duo *copulative* requiruntur : *factum* simul et *animus*; i. e *factum* actualis habitationis in loco, ideoque necesse est, ut quis eo revera devenerit; et *animus* seu voluntas ibi aut *perpetuo* aut *per notabile tempus* manendi. Statim autem ac haec duo simul concurrunt, acquisitum est DOMICILIUM vel QUASI-DOMICILIUM. Secus dicendum, si unum aut alterum deficiat.

Resolvitur 1. Si quis reliquerit suum DOMICILIUM cum animo illud alibi figendi, sed nondum attigerit novum in quo habitare decrevit, in itinere adhuc constitutus pro illo tempore aequiparatur vago, quia deficit *factum* actualis habitationis. **Resol. 2.** Si quis in locum devenerit, sed absque animo ibidem *perpetuo* aut *per notabile tempus* degendi, sive brevem, sive longam moram ibi traxerit, nec DOMICILIUM nec QUASI-DOMICILIUM acquirit : quia cum *facto* habitationis simul non concurrit *animus;* ut si quis venerit aliquo quasi viator, vel litis aut negotii expediendi causa, his ex-

peditis discessurus, quamvis praeter intentionem immorari eo loco vel per annum aut amplius contigerit.

R. Ad 3^{um}) Ad *factum* actualis habitationis in loco, quod attinet, heic nulla probatione opus est, cum illico innotescat. Ad *animum* vero ibidem perpetuo aut per notabile tempus manendi, quod pertinet, cum sit aliquid interni, probatione indiget, quae probatio in foro *externo* diversa est, prout ad *diversa jura* acquirenda DOMICILIUM vel QUASI-DOMICILIUM dirigitur.

Explanatur. Sic ex Const. «*Speculatores*» INNOC. XII, *quoad* **Ordines** *ab episcopo domicilii suscipiendos*, requiritur : ut quis animum perpetuo manendi demonstraverit *decennali* habitatione, translatione suarum rerum ad locum domicilii et etiam juramento suppletorio. Ast *quoad* **matrimonium** *contrahendum*, animus perpetuo aut per notabile tempus in loco manendi *levioribus* argumentis patescit, nempe, tum *declaratione*, tum *facto*, tum *praesumptione*; puta : — **1°**) Per assertionem nupturientium rationabili argumento fulcitam; et ita BENED. XIV *Inst. eccles.* 55, n. 9) citat exemplum matrimonii quod S. C. C. (22 Febr. 1725), cum ipse Secretarii titulum haberet, validum probavit, licet per duos Caesenae incolas contractum, qui ut parentum se molestiis eriperent, illud Forolivii celebrarunt, «*cum puella ante discessum palam fecisset, se domicilium in illa civitate deligere, ubi materna avia vitam ducebat, quam tutricem suique curatricem praedicabat.*» — **2°**) Si quis in loco habitationis novas sibi aedes extruxerit, res suas eo transportaverit, domum vel conclave sibi conduxerit, operas suas ad longum tempus locaverit, etc. — **3°**) Si animus alicubi manendi per notabile tempus argui possit ex causa ipsa propter quam aliquis ad talem locum accessit, puta ad exercenda negotia vel officia quae secum ferre solent moram majoris vel dimidiae saltem partis anni, ut sunt studia, munus judicis, praetoris, medici, professoris. — **4°**) Si per aliquod temporis spatium continuatim in loco habitaverint; et ita, ut constat ex BENED. XIV, Const. «*Paucis abhinc*» (19 Mart. 1758) ex *menstrua* habitatione habetur praesumptio *juris* pro intentione manendi per majorem anni partem, nisi aliunde certo constet, hunc animum defuisse, et ideo dicitur praesumptio *juris*, non vero

praesumptio *juris et de jure*, contra quam probatio non admittitur in contrarium. Itaque praecedens mansio mensilis neque ad constituendum, neque ad probandum QUASI-DOMICILIUM per se necessaria est; sequidem animus diuturno tempore commorandi in loco aliunde probari potest sive ex expressa declaratione, sive ex aliis factis seu circumstantiis quae hunc animum manifestant. Tunc tantum habitatio praevia *unius* mensis completi censetur requiri, si, deficientibus aliis probationibus et conjecturis, ex ea praecise haurienda esset praesumptio.

R. Ad 4[um]) Ut ex dictis liquet, tam DOMICILIUM quam QUASI-DOMICILIUM censetur acquisitum in ordine ad matrimonium coram parocho loci, in quo quis habitare incoepit, valide ac licite contrahendum, *statim ac* FACTUM *habitationis in loco incoepit simulque* ANIMUS *ibidem perpetuo vel per notabile tempus permanendi sufficienter demonstratur.*

Resolvitur 1. «*Quapropter si legitime* **constet**, *vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per majorem anni partem*, EX EO PRIMUM DIE *quo duo haec simul concurrunt, nimirum et hujusmodi animus et actualis habitatio, judicandum est* QUASI DOMICILIUM *acquisitum fuisse, et matrimonium quod proinde contrahatur fuisse* VALIDUM.» Ita *Instr.* S. U. I. (7 Jun. 1867) data ad Episcopos Angliae et Foederatorum Statuum Americae, quaeque dein ex decreto ejusdem S. C. (2 Maii 1877) ap. N. R. T. (XII,578) transmissa fuit ad Episcopos Hiberniae. **Resol. 2.** «*Si de praedicto animo* **non constet**, *ad indicia recurrendum est quae praesto sint, quaeque moralem certitudinem pariant*» *(Idid.)*. **Resol. 3.** «*In re autem occulta et interna difficile est hujusmodi indicia habere, quae judicem securum faciant : inde est quod adhiberi* **maxime** *debet regula a* S. P. BENED. XIV, *Const.* Paucis abhinc *confirmata, ut inspiciatur utrum ante matrimonium spatio saltem* UNIUS MENSIS *vel ambo vel alteruter in matrimonii loco habitaverint. Quod si factum fuisse deprehendatur, censendum est ex* PRAESUMPTIONE *juris intentionem permanendi per majorem anni partem exstitisse et domicilium fuisse acquisitum, proindeque matrimonium esse validum*» *(Ibid.)*. **Resol. 4.** «*At si praesumptio haec juris, quae ex* MENSTRUA *habitatione oritur, contrariis* **elidatur** *probationibus, quibus* CERTO

et LIQUIDO *constet praedictum animum nullo pacto exstitisse, tunc profecto contrarium proferri debere judicium, manifestum est : quia praesumptio cedere debet veritati» (Ibid.).* **Resol. 5.** «*Praeterea manifestum quoque est actualem habitationem ineptam esse ad* QUASI-DOMICILIUM *pariendum, si quis in ea regione more* **vagi** *et* **itinerantis** *commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scilicet ceteri solent, qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent*» *(Ibid.).* **Resol. 6.** Ex dictis quoque patet, expositam doctrinam de QUASI-DOMICILIO hodie ut **regulam juris communis** esse tenendam, quamvis in praxi locum dare possit ambagibus, ea praesertim de causa, quod non semper de animo manendi per majorem anni partem sufficienter constabit. Cum autem Patres Conc. plenarii BALTIM. III ea quoque de causa petiissent, ut S. Sedes pro P. F. A. S. dignaretur decernere, «*eos qui e sua dioecesi ad aliam transeunt, modo in hac per spatium unius saltem mensis commorati sint, eo ipso, nulla facta inquisitione de animo manendi per majorem anni partem, censendos esse acquisivisse* QUASI-DOMICILIUM *quod sufficiat ad matrimonium contrahendum...*», S. C. de P. F. (25 Nov. 1885) reposuit : «*EE. Patres, rem perpendere cupientes, responsionem differendam esse censuerunt.*» Ap. N. R. T. (XVIII,547). Tandem S. U. I. (6 Maii 1886) decrevit : «*Concilio Baltimorensi postulante, supplicandum SS^mo, ut decernere dignetur in* STATIBUS AMERICAE FOEDERATIS *se transferentes e loco ubi viget Caput* Tametsi *in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis, et status sui libertatem uti juris est comprobaverint, censendos esse ibidem habere* QUASI-DOMICILIUM *in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per majorem anni partem.*» Sanctissimus vero (12 Dec. 1889) praedictum EE. PP. decretum suprema sua auctoritate ratum habere et confirmare dignatus est, contrariis quibuscumque non obstantibus. Ap. N. R. T. (XIX,149).

R. Ad 5^um) Ut DOMICILIUM vel QUASI-DOMICILIUM semel acquisitum amittatur, utrumque cessare debet, *factum* nempe habitationis et *animus*.

Explanatur. Ratio est : quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. Atqui tam ad DOMICILIUM

quam ad QUASI-DOMICILIUM duo copulative requiruntur : *factum* simul et *animus*. Ergo (SANCH. III, 23, 2).

Resolvitur 1. Unde, ut amittatur DOMICILIUM, non sufficit discessisse, etiam ad notabile tempus, si animum revertendi habeas : secus nec peregrinus, nec qui alibi quasi-domicilium acquirit, posset antiquum servare domicilium in loco a quo peregrinatur et ad quem intendit reverti ; nec sufficit animus discedendi in perpetuum, quoad revera discesseris **Resol. 2.** Ut *quasi-domicilium* amittatur, non sufficit *breviter* discessisse, si animum habeas revertendi, cum non censeatur abesse a loco, qui discedit mox reversurus. Si tamen *longa* sit cessatio habitationis, quasi-domicilium perit et reacquiritur, quando de novo habitatio incipit cum animo ibi per notabile tempus manendi : quia in quasi-domicilio plus ad factum attenditur.

Q. 139. *Qualis* esse debeat PRAESENTIA : tum *parochi*, tum *testium?*

R. Debet esse : *simultanea*, *physica* simul et *moralis*, ac *formaliter in testimonium adhibita.*

Explanatur. Dicitur : **A) Simultanea**; ita ut parochus et testes *simul* adsint, dum ambo contrahentes consensum exprimunt : quia ex mente TRID. de uno eodemque actu fidem facere debent ; sed hoc non possunt, nisi simul-adsint, cum successive praesentes sint testes singulares, non contestes. — Dicitur : **B) Physica** simul et **moralis**, ita ut non tantum adsint corpore, sed etiam percipiant matrimonium contrahi et de eo testari possint, sive *ex signis*, si forte surdi ; sive *ex verbis*, si forte coeci ; aut *per interpretem*, si forte ignari idiomatis sint. **Hinc 1°)** non sufficit, si horum unus sit amens, ebrius, dormiens, aut quacumque de causa omnino non advertat matrimonium contrahi. **Hinc 2°)** valet matrimonium, etsi v. g. parochus fingat, se non intelligere, dummodo ex actibus antecedentibus et subsequentibus perceperit consensum partium (S. C. C. 6 Mart. 1741) : ut si vocem quidem sponsae vel sponsi minime audierit sed viderit sponsum manu sponsam tenentem, vel ei tradentem annulum. **Hinc 3°)** non valet matrimonium, si parochus (idem dicendum de testibus) revera nihil viderit, nihil audierit, nisi forte nihil viderit, nihil audierit, praesens tamen, quia videre,

audire noluit, cum facile videre et audire potuisset (S.C.C 29 April. 1595). — Dicitur : C) **Formaliter in testimonium adhibita,** ita ut parochus et testes a contrahentibus adhibeantur hunc in finem, ut coram ipsis matrimonium contrahant. Non requiritur tamen, ut antea certiorati fuerint aut vocati, ideoque nihil interest, si forte testes et parochus adsint casu, aut inducti dolo, aut vi coacti; sed sufficit ut, dum contrahentes consensum exprimunt, aliquo signo, sive oculis, sive vocis modulo, sive nutu, etc., moneantur de eo quod contrahentes peragere volunt Cfr. N.R.T. (XVII, 107 seqq.).

Q. 140. *An* POENAM incurrat conjungens *alterius* parochianos?

R. *Affirmative.*

Explanatur. Ex TRID. (Sess. XXIV *de ref. matr* cap. 1) : «*Si quis parochus vel alius* SACERDOS, *sive regularis, sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere* AUSUS FUERIT, *ipso jure tamdiu* SUSPENSUS *maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.*» — Dicitur : 1°) *sacerdos;* ergo diaconus non tenebitur; 2°) *ausus fuerit;* ergo excusat ignorantia etiam crassa seu supina; 3°) *suspensus;* nempe, ut patet ex subjecta materia, ab officio dumtaxat; 4°) *ab Ordinario*, etc.; i. e. ab Ordinario parochi proprii domicilii.—Quod si sponsus et sponsa ex diversa dioecesi fuerint, videtur quod ab hac censura absolvere possit tam episcopus unius quam alterius, siquidem de jure communi tam coram parocho sponsi quam sponsae, contrahi poterat. Putat vero DALLM., illam reservari Ordinario parochi sponsae : quia ex consuetudine coram parocho sponsae contrahendum est.

CAP. 8. De impedimento IMPOTENTIAE.

Q. 141. *Quid* 1°) proprie sit IMPOTENTIA conjugalis; 2°) *quotupliciter* distinguatur; 3°) *qualis* dirimat matrimonium, et *quo jure?*

R. Ad 1^{um}) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 58, a. 1) est : « *impo-*

tentia coeundi, » seu *incapacitas, vel ex parte viri, vel ex parte foeminae, habendi copulam carnalem perfectam*, i. e. de se aptam ad generationem.

Explanatur. Cur «*impotentia coeundi*» carnaliter sit impedimentum matrimonii, **ratio** ex S. Thom. (*ibid.*) est : «*Quod in matrimonio est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum ; unde sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare vel facere ; ita non est conveniens matrimonii contractus, si fiat ab aliquo qui debitum carnale solvere non possit.*» — Dixi : **de se aptam** ; unde, qui copulam perfectam exercere possunt, licet *per accidens*, v. g. ob senectutem aut sterilitatem laborent impotentia generandi, non sunt inhabiles ad contrahendum. « *Et ideo*, ait S. Thom. (*ibid.* ad 3), *conceditur eis matrimonium, secundum quod est* IN REMEDIUM [concupiscentiae], *quamvis non competat eis secundum quod est* IN OFFICIUM NATURAE. — Utrum vero ad potentiam coeundi carnaliter necessario requiratur penetratio in vaginam, inter DD. *disputatur*. — Alii, iique recentiores, **negant**. Et ita « *satis est*, ait D'ANNIBALE post BALLERINI, *si vir semen ad vaginae os seu ingressum effundere possit : constat enim pluribus exemplis hoc ad generationem sufficere.* » — Alii vero **affirmant** cum SANCH., CASTROP., MAZZ., SALM., etc. Ratio eorum est : tum quia *copula perfecta* videtur denotare unionem genitalium membrorum utriusque sexus cum seminatione intra vas foemineum ; tum quia ut dicit SANCH., «*valor matrimonii non potest pendere ex casu raro ac fortuito.*» Atqui, quod ex affusione seminis ad os vaginae sequatur generatio, id non fit per se, cum a natura illius actus alienum sit, sed per accidens evenit. Et huic sententiae, praeter REIFF. et antiquos communiter, favere videtur BILL. inquiens : «*Impotentia de qua hic agitur, est defectus impediens copulam conjugalem, hoc est : seminationem* IN VASE IDONEO *et commixtionem seminum seu eorum quae sunt loco seminum ex parte mulieris.*» Et infra dicit : «*Mulieres, quae ita sunt* ARCTAE, *ut viris suis aptari non possint ad copulam, matrimonium invalide contrahere.*» Interim, gravissimam hanc questionem dirimere, non ad privatos, sed ad S. Sedem pertinet.

Resolvitur. Itaque *duplex* distinguitur IMPOTENTIA conjugalis :

una *ad coitum*, altera *ad generationem*. Prior, quae est proprie dicta, in vulgare sermone *impotentiae* nomen retinet; posterior vulgo *sterilitas* nuncupatur. Prior est *impedimentum;* posterior vero *non*.

R. Ad 2um) Ex S. Thom. (*ibid.* et a. 2) *multiplex* distinguitur.

Explanatur. 1°) Alia est **naturalis,** quae provenit ex vitio *intrinseco*; i. e. ex naturali corporum dispositione, quae ad perficiendam copulam apta non est, v. g. vel ex naturali frigiditate; vel ex nimio calore, quo fit, ut vir semper seminet, antequam ad coitum pervenire valeat; vel ex inaptitudine partium genitalium, etc.; alia **accidentalis**, quae oritur ab *extrinseco*, scilicet : vel ex hominis opera, vel etiam ex maleficio, cujus casum, etsi rarissimum, contingere tamen posse non dubitat S. Thom. (*Suppl.* q. 58, a. 2), nec dubitare possunt qui fidem habent, « *per quam*, ait, *angelos de coelo cecidisse et daemones esse credimus, et ex subtilitate suae naturae multa posse quae nos non possumus.* » Plura citantur exempla, ut si, juxta S. Lig. (VI, 1096) post Bill., Mazz., alios, « *conjuges excitantur ad copulam cum aliis, et inter se frigescunt, vel a coitu abhorrent, esto alias se diligant.* » Interim, ut recte notat Kenrick : « *non facile est credendum, maleficium patratum esse; sed aliae impotentiae causae exquirendae.* » — 2°) Alia est **absoluta,** si est respectu omnium, ita ut vir cum nulla foemina, vel foemina cum nullo viro copulam perficere possit, ut si vel vir careat virga; aut utroque testiculo, uti constat ex Const. Sixti V « *Cum frequenter* » (22 Jun. 1587); vel si mulier vaginam non habeat; non tamen si mulier careat utroque ovario, quidquid olim hac de re disputatum fuerit. Ad **dubium** enim : « *Num mulier, per* utriusque ovarii *excisi defectum sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat et liceat, necne?* » S. U. I. (3 Febr. 1887) **respondit** : « *Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris, de quo in casu, non esse impediendum.* » Et quod de carentia *utriusque ovarii* dictum est, id quoque de carentia *uteri* dicendum est. Ad **dubium** enim : « *Num mulier, cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et* uterus, *admitti possit ad matrim. contrahendum?* » S. U. I. (30 Jul. 1890) **respondit** : « *Matrimonium non esse impediendum.* » Ap. N.R.T. (XXVI, 287). — Alia est **relativa,** si est respectu alicujus, ut si vir non potest quidem cum foemina determinata copulam perficere,

potest tamen cum alia, aut vicissim. — 3°) Alia est **perpetua**, quae neque successu temporis, neque mediis naturalibus et licitis, nec sine gravi corporis periculo tolli potest; alia **temporalis**, quae vel sponte cessabit, vel aliquando mediis naturalibus et licitis non adeo periculosis, adeoque etiam per exorcismos, si certo orta sit ex maleficio, tolli potest; quia effectus exorcismorum, etsi supernaturalis, censetur tamen ordinarius, non stricte miraculosus. — 4°) Alia est **antecedens**, quae ante matrimonium contractum exsistit; qualis est spadonum; alia **consequens**, quae matrimonio jam contracto supervenit, qualis est eorum, qui post conjugium ex hominum malitia ad ulciscendam injuriam exsecti sunt, vel quibus hae venera virilia sunt peresa.

R. Ad 3^{um}) Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 58, a. 1 et 2) Impotentia *antecedens* et *perpetua*, sive absoluta sit, sive respectiva; sive naturalis, sive accidentalis, dirimit matrimonium jure tum *canonico*, tum *naturali*; non vero *consequens* et *temporalis*.

Explanatur. Quod 1°) dirimat *jure* **ecclesiastico**, constat ex SS. CC., imprimis: caus. 33, quaest. I, et ex tit. *De frigidis et maleficiatis*, lib. IV Decretalium. Constat praeterea ex Const. Sixti V «*Cum frequenter*» mox citata. — Quod 2°) dirimat *jure* **naturali**, probatur ex S. Thom. (in 4. d. 34, q. unic. a. 2 ad 1 et *Suppl.* q. 58, a. 1 ad 1) sequenti argumento. Quamvis enim ad matrimonii essentiam minime pertineat, ut illud consummetur (pag. 48), potentia tamen ad ejus consummationem seu ad copulam generationi aptam, ita necessario requiritur, ut sine ea matrimonium consistere nequeat; matrimonialis enim contractus traditionem importat in mutua corpora, et quidem ad eum usum, quo vir et foemina fiunt una caro; quam potestatem cum non habeat impotens, de ea contrahere non potest. — Dixi: 1°) *sive* **absoluta** *sit*, *sive* **respectiva**; matrimonium enim est inter duas personas determinatas, inter quas proinde si sit impotentia, vinculum conjugii subsistere nequit. — Dixi: 2°) *sive* **naturalis** *sit*, *sive* **accidentalis**; nam nihil refert, an a natura ipsa, an a causa accidentali proveniat impotentia; sufficit, quod reipsa exsistat. — Dixi: 3°) *non vero* **consequens** *et* **temporalis**; quae enim

matrimonio valide contracto, etiam rato tantum, **supervenit,** illud non dirimit, sed ejus usum prohibet. Quare, ut ait KENRICK : « *Qui vi exsectus est, vel alias impotens factus, non desinit maritus esse, licet jure conjugii uti nequeat. Tactus et aspectus haud graviter iis vetiti videntur, si periculum pollutionis absit ; sunt enim veri conjuges.* » Impotentia vero **temporalis,** quae processu temporis vel mediis licitis tolli potest, non impedit, quominus matrimonium valide ineatur, siquidem conjux, qui ea laberat ad tempus, radicaliter est potens, quod sufficit ad valorem matrimonii. Unde valide contrahit moribundus licet actu impotens ex morbo. — Excipe impotentiam temporaneam ob **aetatem impuberem,** quae jure positivo ecclesiastico matrimonium dirimit (pag. 169 seq.), quia impuberes *praesumuntur* non posse coire.

Q. 142. *Quid* dicendum in casu IMPOTENTIAE sive 1°) *certae*, sive 2°) *dubiae ?*

R. Ad 1^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel matrimonium **nondum,** vel **jam** contractum est. — Si **primum** : *graviter* peccat et *invalide* contrahit, certo sciens se laborare impotentia perpetua. — Si **secundum** : *caute* procedendum est. **Hinc 1°)** caveat confessarius ne statim conjuges de nullitate matrimonii moneat (tom. III, pag. 556). **2°)** Si conjuges sciant adesse perpetuam et antecedentem impotentiam, abstinere debent ab omni actu solutis illicito. Simul tamen habitare, *ut frater et soror*, poterunt, si id cupiant, nec adsit scandalum aut incontinentiae periculum, de quo prudentis confessarii est judicare. Si vero separari cupiant aut debeant, confessarius nihil propria auctoritate decernat, sed casum referat ad Ordinarium, qui, causa cognita, separationem pronuntiare poterit, et parti potenti permittere, ut ad alias nuptias transeat, postquam matrimonium *per duas sententias conformes* nullum ac irritum declaratum fuerit. Ita ex BENED. XIV: Const. « *Dei miseratione* » (3 Nov. 1741).

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel dubium **antecedit** matrimonium, vel ei **supervenit.** — **A**) Si dubium de impotentia perpetua **antecedit** matrimonium, potest dubitans inire nuptias, si, re diligenter in-

vestigata, probabile videatur, se potentem esse, dummodo alteram partem de hac re certiorem faciat, ne invitae fraudem faciat. Neque tunc fit injuria sacramento, cum ministratur ex probabili opinione valoris, urgente ratione adeo gravi, quod alioquin coelebs mansurus sit perpetuo (S. Lig. VI, 1102). — B) Si dubium **superveniat** matrimonio jam contracto, iterum caute procedendum. Itaque 1°) in foro interno caveat confessarius, ne illico dubium ingerat de valore matrimonii, aut copulam prohibeat. 2°) Inquirat, utrum conjuges matrimonium consummare potuerint : nam si constet inter eos copulam perfectam intercessisse, certum est, impotentiam, si qua nunc exsistat, matrimonio supervenisse, atque adeo de ejus valore non esse dubitandum. 3°) Si vero matrimonium hucusque consummare non potuerint, ac gravis sit ratio timendi ne unquam consummare valeant, habetur dubium prudens de valore matrimonii. Quo casu confessarius nihil quidquam propria auctoritate decernat, sed rem rite examinatam Ordinario deferat. 4°) In dubio, an impotentia sit *antecedens* et *perpetua*, si causa ad forum externum deferatur, lex canonica (cap. *Laudabilem*, 5, et cap. *Litterae vestrae*, 7, *de frigidis*) concedit conjugibus triennium pro experientia; quo elapso, si nullo modo copula haberi potuit, impotentia censetur antecedens et perpetua, et matrimonium invalidum. At hodiedum, omisso triennali experimento, ut conjuges possint divertere, sufficit petitio conjugis impotentiam alterius affirmantis et judicium peritorum et obstetricum, post physicum examen rite peractum (S. C. C. 24 Jan. 1871), et petitur a Papa dispensatio in matrimonio rato non consummato, idque ad cautelam, eo scilicet fine, ut compars potens, si novas contrahat nuptias, in iis permanere possit, etiam in casu in quo pars, quae reputabatur impotens, postea vero potens inveniretur. Dispensationi autem sic concessae addi solet **clausula**, ut pars, cujus impotentia verisimilis est, aliud matrimonium non contrahat, inconsulta S. Congr. Concilii.

Nota. In causa nullitatis matrimonii ob impedimentum impotentiae ad forum externum delata, judex ecclesiasticus prae oculis habeat documenta quae sequuntur : 1°) Const. Bened. XIV « *Dei miseratione* » (3 Nov. 1741). 2°) Instructio S. Cong. Conc. (22 Aug. 1840). 3°) Instructio Supremae Congreg. S. Officii sequenda in

conficiendo processu super viri impotentia, etc. Ap. N. R. T. (XIX, pag. 245). 4°) Instructio S. Cong. de Prop. fide (*ibidem.*).

Q. 143. *Quid* dicendum de HERMAPHRODITIS ?

R. Juxta *veteres*, possunt valide et licite contrahere juxta sexum in iis praevalentem ; si vero sexus sint aequales, possunt contrahere in eo quem elegerint, modo jurent se non usuros alio sexu. — Verum hermaphroditos perfectae utriusque naturae aliquando exstitisse, nullo exemplo comprobatur (tom. III, p. 462 seq.).

Q. 144. *An* ARCTITUDO vasis in muliere possit esse causa *impotentiae perpetuae ?*

R. Id vix contingere poterit.

Explanatur. Ratio est : quia, teste Debreyne, arctitudo per media dilatantia artis medicae saepe tolli potest absque incisione et quin ullum immineat mortis vel gravis mali periculum. Unde omitti possunt quaestiones omnes, quibus antiqui TT. inquirunt : *an mulier aliquando teneatur pati incisionem vaginae?*— Imo arctitudinem vasis muliebris non posse esse causam impotentiae, sequeretur in sententia eorum qui negant ad potentiam coeundi necessario requiri penetrationem in vaginam, hoc ideo contendentes, quia, ut scribit Ballerini : « *receptum nunc communiter penes physiologos medicosque illud est, quod experientia docuit, ad conceptum generationisque effectum nequaquam necessarium esse, ut vir seminalem humorem effundat injiciatque in interiores usque foeminei organi partes; sed satis esse, quod ejusmodi humor ad externam ejusdem organi superficiem seu ad vaginae, ut aiunt, os ingressumque effundatur et applicetur.* »—Verum etsi, uti jam supra (pag. 195) monuimus, ex tali affusione seminis sequi quandoque possit generatio, quod et videtur jam docuisse S. Thom. (*Quodlib. 6*, art. 18), quippe testatur, contingere quandoque foeminam incorruptam concipere ex semine viri circa vas effuso, matrice foeminea illud attrahente, quod et admittit Sanchez (VII, disp. CXIII, n. 10); id tamen non fit *per se* seu juxta modum ordinarium a natura institutum, sed *per accidens*, et ideo juxta alios ad potentiam coeundi penetratio vasis foeminei necessario requiritur.

Q. 145. *Quae* sint CAUSAE praecipuae, ob quas *generatio* non sequitur *per accidens*, et consequenter non adest impedimentum *impotentiae?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur Causae sunt aliae *ex parte* **viri**, aliae *ex parte* **mulieris**. — 1°) Causa praecipua *ex parte* **viri** est : quia semen, quod ejaculat, est languidum seu aegrotum ; idque provenire potest : sive ob viri complexionem debilem : sive propter provectiorem ejus aetatem ; sive ob certos morbos ; sive ob usum immoderatum copulae. In istis enim casibus, ut docet experientia, semen viri foecundandi vim non habet. 2°) *Ex parte* **mulieris** *duplex* causa assignatur.

Prima causa est : quia *claustrum* seu *sigillum virginale* — consistens scilicet : sive in levi pellicula seu membrana, *Hymen* et *Eugenium* nuncupata, qua obtegitur collum matricis ; sive, juxta alios, in quadam compressione seu complicatione partium ipsius orificii vasis foeminei (quod probabilius videtur, cum plures medici apud SANCHEZ, VII, disp. XIV, n. 1 et disp. CXIII, n. 10, fateantur rarissime in puellis reperiri supradictam membranam vixque ab una ex millibus possideri), — nondum *disruptum* seu *dilatatum* fuit per copulam vel per aliam penetrationem libidinosam sicque seminis intromissioni obstaculum constituit. — Hoc autem *claustrum*, ut per transennam dixerim, facile disrumpi seu dilatari potest, sive membro virili per copulationem validiorem, sive mediante digito, aut alio instrumento caute introducto. «*Nec esset hoc contra naturam*, ait S. THOM. (*Suppl.* q. 58, a. 1) : *quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.*» Et si hoc liceat ex D. ANGELICO, quaerere heic mihi liceat : an damnari debeat, quod hodiedum a tempore SPALLANZANI (1779) quandoque practicatur ad **foecunditatem** obtinendam, scilicet ut, facto coitu, semen ope instrumenti introducatur in collum uteri seu matricis, casu quo male haec sit posita, i. e. *reversa*, ita ut ejus apertura cum vagina non correspondeat? — Dixi : *facto coitu ;* quocirca notare juvat **duplicem** a medicis describi methodum ad *foecunditatem artificialem* obtinendam. *Prima* in eo consistit quod natura in sua operatione adjuvatur, quatenus nimirum, praehabita inter conjuges maritali

copula, semen virile ope instrumenti in uteri fundum injicitur. Et huic methodo, si in aliquo casu profutura judicetur, nihil inesse videtur quod legi naturae repugnet. Ita Marc, Eschbach, Lehmk., Ball.-Palm. *Secunda* methodus in eo est, quod praehabita solitaria pollutione seu viri masturbatione, hujus semen, ope instrumenti in foeminea organa introducatur. Quae posterior agendi ratio est *graviter illicita* adeoque omnino reprobanda. Pollutio enim directe voluntaria est intrinsece mala, nec licet facere mala, ut eveniant bona.

Ad **dubium** : « *An adhiberi possit artificialis mulieris foecundatio?* » **respondit** S. U. I. (26 Mart. 1897) : « *Non licere.* » Quocirca, loquendo de *prima* descripta methodo, scribunt Auctores *op. period.* N. R. T. (XXIX, 324) : « Nec istam doctrinam per praesens S. Inquisitionis responsum credimus reprobatam... Licet enim responsum non distinguat, verba videntur in sensu stricto interpretanda, adeoque de altera methodo *mere artificiali* audienda. » Tum addunt : « Quoad priorem tamen addemus cum Ballerini : sensus quidam pudoris non sinit honestos conjuges haec, opera *tertii* adhibita, experiri. »

Secunda causa est : quia, tempore copulationis, mulier laborat quodam fluxu morbido, dicto *fluxu albo;* docet enim experientia, quod semen viri corrumpatur, si in vaginae lateribus vel in uteri aditu obviam habeat simile acre liquidum.

CAP. 9. De impedimento RAPTUS.

Q. 146. *Quid* 1°) sit imp. RAPTUS; 2°) *quae* CONDITIONES requirantur, ut *raptus* sit; 3°) *quo* JURE et QUARE hoc imp. sit *introductum;* 4°) in *quas* POENAS incidant *raptores?*

R. Ad 1^{um}) Raptus, quatenus est impedimentum, est *abductio violenta mulieris matrimonii cum ea contrahendi causa*, dirimens matrimonium ex Trid. (Sess. XXIV *de ref. matr.* cap. 6) : « *inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit* »

Resolvitur. Unde patet : **1°**) impedimentum hoc non esse *perpetuum*, sed solum *temporaneum*, i. e. pro tempore quo foemina in potestate raptoris manserit, etsi haec post raptum plane consenserit; **2°**) hoc impedimentum esse *respectivum* tantum; quare rapta

mulier cum alio viro valide contrahere potest, etiam eo tempore quo sub potestate raptoris subsistat.

R. Ad 2^um^) Ut RAPTUS sit, necesse est : 1°) ut *mulier abducta* fuerit ; 2°) ut *invita* ; 3°) ut fiat *matrimonii cum raptore contrahendi causa*.

Resolvitur 1. Ex **primo** *capite*, RAPTUS *in viro* non intelligitur, ut communiter tradunt DD. cum BILL., SANCH., SMALZ. contra nonnullos quos inter STEYAERT, CLERIC., COLL., CARR. ; ast si *mulier* rapta fuerit, non refert, an *virgo* sit, an *vidua*, an *corrupta*. — Nihilominus DD. *disputant*, an RAPTUS sit, si quis *sponsam* abduxerit. Communius **affirmant** cum SYLV., PONT., SANCH. : tum quia lex non distinguit ; tum quia sponsus, licet habeat jus ad compellendum via juridica sponsam ut perficiat promissum matrimonium, non habet tamen jus vi illam compellendi ad nuptias. Alii **negant** cum LEDES., KUGL., SOGL. : quia sponsa cogi potest ad nuptias ineundas, dicente S. THOM. (2. 2. q. 154, a. 7 ad 4) : « *Sponsus ex ipsa desponsatione habet aliquod jus in sua sponsa ; et ideo quamvis peccet* VIOLENTIAM *inferendo, excusatur tamen a crimine* RAPTUS. » Et hoc probabile putant SALMANT., nisi justam recedendi a sponsalibus causam habeat. — *Abducta* autem mulier censetur, si translata fuerit *de loco in locum*, ut si de domo in domum, quamvis raptor ad locum destinatum eam perducere nequiverit ; non vero, si de cubiculo in cubiculum ; quia non censetur vera abductio, nisi transferatur in locum moraliter diversum, ac deducatur ad locum in quo sit sub potestate raptoris, adeoque extra potestatem parentum vel tutorum. — Utrum vero RAPTUS sit, si mulier *abducta* quidem non fuerit, sed quo *sponte* adeoque sine vi aut dolo accesserat, *detineatur* invita, DD. *disputant*. Alii **affirmant** cum BILL. ; alii, et forte probabilius, **negant** : odiosa enim sunt strictae interpretationis. **Resol. 2**. Ex **secundo** *capite* RAPTUS non habetur, nisi mulier abducta fuerit *violenter* seu *vi illata* : sive *physica*, per violentam manuum injectionem, sive *morali*, per minas, metum gravem aut dolum adhibitum (S. C. C. 25 Jun. 1864). Quare RAPTUS cessat, si mulier abductioni plane consentiat, quamvis compulsa precibus aut blanditiis, et licet invitis his, sub quorum potestate constituitur, fuerit abducta ; quod RAPTUM *seductionis* appellant.

Trid. enim solum intendit consulere perfectae libertati matrimonii, quae minime laeditur, dum foemina consentiens abducitur, invitis licet parentibus. Ita DD. communiter cum Bill., qui hanc sententiam late probat contra H. Tourn. Quod « et hodie, ait Scav., maxime firmatur ex Littera responsiva Pii VII (27 Jun. 1805) ad Napol., I, qui, postulando dissolutionem matrimonii fratris sui Hier., memorabat inter ceteras causas raptum *seductionis* cum parentum dissensu. » **Resol. 3.** Ex **tertio** *capite* non adest raptus, si invitam quidem raptor abstulit, sed vel ut ipse ea frueretur, i. e. *libidinis explendae causae;* vel ut ea nuberet alii. Unde si Titius proprio suo marte rapuit Caiam, ut Donato nuberet, neuter prohibetur, licet in potestate ipsorum sit, eam ducere in uxorem; non Donatus : quia non rapuit; non Titius : quia non rapuit matrimonii cum ea contrahendi causa. — Dixi : *proprio marte;* si enim id fecerit ex mandato Donati, is *raptor* intelligitur. Nihil enimrefert, an quis per se, an vero per alium mulierem rapiat; ille enim, cui abducitur mulier, impedimentum cum ea contrahit.

R. Ad 3^{um}) Imp. raptus introductum vel saltem renovatum fuit a Conc. Trid. (Sess. XXIV *de ref. matr.* c. VI); idque *ideo*, ut eo impedimento libertas nuptiarum in debiliori sexu *efficacius* servari possit quam impedimento vis seu metus.

Explanatur. Impedimentum quippe metus institutum est in gratiam utriusque sexus, atque cessat cessante vi seu metu; in raptu vero mulieris, ad valorem matrimonii non sufficit cessatio violentiae et liber raptae consensus; sed exigitur praevia reparatio violentiae per restitutionem in loco *tuto* et *libero*.

R. Ad 4^{um}) Ex Trd. *raptor*, et qui ei *consilium*, *auxilium* et *favorem* praebent, *excommunicationem* incurrunt, sed nemini reservatam. — De *raptu*, prout est *species luxuriae*, egimus (tom. I, pag. 244).

SECTIO 3^{a}.

DE DISPENSATIONIBUS IN IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

CAP. 1. De potestate dispensandi in imp. dirimentibus.

Q. 147. *Quinam* possint *dispensare* in imp. dirimentibus et *quo jure?*

R. Praeter Concilium oecumenicum, solus R. Pontifex, ut supremum Ecclesiae caput, *jure proprio* dispensare potest in imp. dirimentibus, quae sunt *juris ecclesiastici*, juxta regulam juris : « *Omnis res per quas causas nascitur, per easdem et dissolvitur.* » — Et quidem dispensat *valide* in omni casu; *illicite* tamen, si faciat sine justa causa.

Explanatur. Cum solus R. Pontifex, pro suprema qua gaudet potestate in Ecclesia, possit impedimenta statuere, patet ipsum solum in impedimentis dirimentibus juris ecclesiastici dispensare posse jure proprio, non vero episcopos, ut constat ex Litteris Pii VI ad arch. elect. Trevirens. (2 Febr. 1782) et ex rescripto Pii VII (27 Febr. 1809) ad episc. et vic. gen. Galliarum.—Dixi : 1°) *in imp. dir. juris* **ecclesiastici**; unde nequit dispensare in impedimentis quae sunt certo de jure *naturali* et *divino*. Potest tamen propter urgentissimas causas *declarare* in casu aliquo particulari validum esse matrimonium, non obstante aliquo impedimento de quo dubitatur utrum sit de jure naturali aut divino, prout, teste S. Lig. (VI, 902 et 1119), de facto declararunt Clem. XI et Urb. VIII. — Dixi : 2°) *jure* **proprio**; quia singuli *Episcopi* interdum dispensare possunt *ex delegatione*, sive *expressa*, sive *tacita* seu *praesumpta*.

Resolvitur 1. Ex *delegatione* **expressa** seu vi **specialis indulti,** qualia indulta episcopis dari solent vel ad quinquennium et inde *quinquennalia* vocantur, vel ad beneplacitum Sedis Apostolicae, vel ad tempus quo regimini Ecclesiae suae praefuerit episcopus, dispensare possunt episcopi in pluribus impedimentis, etiam pro utroque foro; et tunc, tum in petenda tum in concedenda dispensatione, observandus est stylus Curiae Romanae, uti constat ex S. Poenit. (1 Jun. 1858) ap. N. R. T. (X, 44 seq.) et Instr. S. C. de P. F. (9 Maii 1877) ap. N. R. T. (X, 24 seqq.). — **Notandae** hic sunt Litterae nuper per S. U. I. (20 Febr. 1888) expeditae, quibus SS. D. N. Leo PP. XIII Ordinariorum facultates in re matrimoniali augere dignatus est, in gratiam eorum **qui in urgente mortis periculo versantes,** quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, jam *civiliter juncti sunt*, aut alias *in concubinatu* vivunt. Nimirum : « *Sanctitas sua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam*

personam sibi benevisam aegrotos in gravissimo **mortis** *periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem super impedimentis quantumvis publicis matrimonium* JURE ECCLESIASTICO *dirimentibus, excepto sacro* **presbyteratus** *Ordine, et* **affinitate lineae rectae ex copula licita** *proveniente.*

» *Mens autem est ejusdem Sanctitatis Suae, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro* **subdiaconatus** *aut* **diaconatus Ordine** *sunt insigniti, vel* **solemnem professionem religiosam** *emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiorem faciant et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur tum inducendo eosdem ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.* »

Porro, ut constat ex declaratione S. OFF. (1 Mart. 1889) Ordinarii hanc facultatem sibi concessam (per Litt. 20 Febr. 1888) « *possunt subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus, in quibus desit tempus ad ipsos ordinarios recurrendi et periculum sit in mora.* » Ap. N. R. T. (XXI, 570 seq.). Nomine autem *parochorum* comprehenduntur : « *Omnes qui actu curam animarum exercent* [adeoque etiam missionnarii qui parochialibus officiis funguntur], *exclusis vice-parochis et capellanis* » ut constat ex decreto S. OFF. (25 Apr. 1890) ap. N. R. T. (XXII, 491 seq.). — Insuper circa eamdem facultatem episcopis concessam, haec *duo* sunt animadvertenda : tum eam adhiberi non posse, nisi in casu quo aegroti matrimonium civile celebraverint vel in concubinatu vivant, ut constat ex S. U. I. (22 Sept. 1890); tum sufficere, ut aegrotet *alteruter*, etiamsi impedimentum alteram partem directe afficiat, ut si aegrotet puella quacum diaconus in concubinatu vivat, ut constat ex S. U. I. (1 Jul. 1891) ap. N. R. T. (XXIV, 47-51). — Denique notandum hic est « *mixtam religionem, uti impedimentum impediens, non comprehendi* » in Litt. S. Officii (20 Febr. 1888).

Ita S. U. I. (18 Mart. 1891), Ap. N. R. T. (XXVI, 284) et (XXXI, 91). Probabile tamen videtur Ordinarium in praefatis circumstantiis etiam ab hoc impedimento dispensare posse, *ex praesumpta S. Pontificis voluntate*. Cui opinioni favet S. U. I. (3 Aug. 1875) ap. N. R. T. (XV, 399 et 520).

Resolvitur 2. Ex *delegatione* **tacita** seu **praesumpta** dispensare possunt episcopi: — **1°** Quoties impedimentum juris ecclesiastici sit **dubium,** nedum *jure*, cum tunc cesset (p. 129); sed et *facto;* idque sive agatur de matrimonio *contrahendo*, sive de jam *contracto*. Ratio est: quia S. Pontifex non videtur sibi reservare nisi casus certos. Et cum semel dispensatum fuerit, si impedimentum postea *certum* apparuerit, dispensatio non retractatur. — **2°** Ubi agitur de matrimonio **contrahendo,** si impedimentum sit *occultum* et vera urgeat *necessitas*, ut si nuptiae differri non possint sine scandalo et oblocutione aut gravi periculo famae aut alterius damni. Imo tunc parochus aut confessarius potest declarare, quod cesset eo casu lex impedimenti, dummodo non sit facilis recursus ad episcopum (pag. 41). **3°** Ubi agitur de matrimonio *jam* **contracto,** sed invalido ob impedimentum juris ecclesiastici, modo adsint sequentes conditiones: **A**) ut matrimonium fuerit contractum *in facie Ecclesiae*, factis proclamationibus vel cum dispensatione in iis, aliisque adhibitis requisitis; **B**) ut contractum sit *bona fide*, i. e. absque scientia impedimenti, saltem ex parte unius contrahentis; **C**) ut subsit *gravis necessitas* dispensandi, ut si conjuges separari nequeant absque gravi scandalo, neque propter locorum distantiam et incontinentiae periculum facilis pateat recursus ad Papam ejusve delegatum; **D**) ut imp. sit *occultum*. Censetur autem **occultum,** licet quatuor aut quinque personis notum sit et forte in judicio probari possit; immo, si agatur de civitate, licet notum sit septem vel octo; debet tamen abesse timor, ne fiat publicum. Quod si imp. *occultum* postea fiat *publicum*, recepta DD. sententia est, in hoc et praecedenti casu novam pro foro externo dispensationem esse petendam. De qua tamen doctrina quidam dubitant, cum nulla subsit ratio, cur dispensatio data ex tacita delegatione R. P. ejusque loco rata esse non debeat quoad forum externum in his impedimentis quae ad forum externum pertinent.

Ad **quaestionem** vero : *Utrum*, si contrahentes sint *duarum* dioecesium, *uterque* episcopus debeat dispensare, *distinguendum est.* — **1°**) Si agatur de impedimentis **absolutis** seu **per se stantibus,** quae scilicet nullam relationem unius jungendorum ad alterum involvunt, qualia sunt vota, sponsalia cum tertia persona, etc. ; si *unus* tantum habeat tale impedimentum v. g. votum, sufficit ut ille a proprio episcopo dispensetur. Si vero *uterque* habeat tale impedimentum, duplex est impedimentum et uterque a suo Episcopo dispensari debet. — **2°**) Si agatur de impedimentis **relativis,** quae scilicet talem relationem habent, certum est ex S. Poen. (4 Sept. 1839 et 15 April. 1853), sufficere dispensationem *alterutrius* episcopi, si hic dispenset vi indulti apostolici, seu ex delegatione *expressa*. Si vero dispenset ex delegatione *praesumpta*, tunc DD. *disputant*. Nonnulli *affirmant :* quia episcopus unius jurisdictionem non habet in subditum alterius, facultas autem dispensandi ad proprios subditos restringitur. « *Sed*, inquit Kenrick, *probabiliter censent alii sufficere dispensationem episcopi in cujus dioecesi celebrantur nuptiae ; nam dispensando suum subditum, eum facit idoneum contractui cum alio.* » Concludit Ballerini : « *Cum probabile sit, non opus esse altera dispensatione, licet sic contrahere ex generali principio, quod Ecclesia supplet, ubi opus fuerit.* »

CAP. 2. De causis dispensationum.

Q. 148. *An* 1°) *requirantur*, et 2°) *quae* sint JUSTAE CAUSAE dispensandi ?

R. Ad 1^{um}) *Affirm.*, cum dispensatio sit juris communis relaxatio. Constat ex Trid. (Sess. XXIV, cap. 4, et Sess XXV, cap. 18, *de reform. matrim.*).

R. Ad 2^{um}) *Generatim* loquendo, *tres* vulgo CAUSAE assignantur : *pietas*, *utilitas*, *necessitas* (tom. I, p. 163). — *In particulari* loquendo de dispensationibus matrimonii, inter varias causas in jure nominatim recensitas, aliae dicuntur *honestae*, aliae *infamantes* seu *famosae*.

Scholion. Ut scite observat S. Thom. (2. 2. q. 63, a. 2 ad 2), « *facilius dispensatur absque peccato* ACCEPTIONIS PERSONARUM » cum

divitibus et nobilibus, quam cum aliis : quia utilitas communis seu salus publica magis a potentibus quam a plebeis dependet, et multum Ecclesiae interest personas excellentes sibi non habere contrarias sed faventes et obligatas.

Q. 149. *Quae* sint CAUSAE, quae vocantur *honestae?*

R. Communiores potioresque sunt sequentes, juxta ordinem indicat. in *Instr.* S.C. de P.F. (9 Maii 1877) ap. N.R.T. (X, 25 seqq.).

Explanatur. 1°) « **Angustia loci,** *sive absoluta, sive relativa, ratione tantum oratricis, cum scilicet in loco originis vel etiam domicilii, cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis* [quoad aetatem, mores, genium, divitias, honorem, religionem, etc.], *cui nubat invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.* » Reputatur autem *angustus* locus, qui non excedit numerum 500 focorum seu *1500 habitantium*, ut constat ex *Litteris* Card. Pro-datarii (30 Aug. 1847); i. e. *catholicorum*, omissis adeoque infidelibus, haereticis et schismaticis, non tamen incredulis et impiis. Et quidem « *angustiam loci non esse desumendam a numero focorum cujusque* PAROCHIAE, *sed a numero focorum cujusque* LOCI *vel etiam* PLURIUM LOCORUM, *si non distent ad invicem ultra milliare* » seu 20 minutas declaravit S. C. C. (16 Dec. 1876) ap. N. R. T. (IX, 32). Ceterum verba : *invenire nequeat*, non ita intelligas, quasi oratrix per se sibi virum quaerere debeat, cum id non patiatur illius pudor et honestas; sed sufficit, quod non adsit vir, qui illam ducere velit. Nec refert, quod forte *in futuro* aequalem invenire poterit : quia non futurus eventus, sed praesens rei status attendi debet. Ob hanc causam, quae tantum allegatur in favorem foeminae, frequenter conceduntur dispensationes, etiam hodie in gradibus propinquioribus; modo oratores sint « *ex honestis familiis,* » i. e. quibus nulla turpitudinis nota adhaeret, etsi forte pauperes et miserabiles exsistant. — **2°) Aetas foeminae superadulta,** *si scilicet 24 aetatis annum jam egressa, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur* VIDUAE, *quae ad alias nuptias convolare cupiat.* » — **3°)** « **Deficientia** *seu* **incompetentia dotis,** *si nempe foemina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque*

consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco in quo commoratur [etsi foris in vicinis locis facile nubere valeret], *Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata exsistat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.*» Ex communi DD. haec ratio dispensandi subsisteret, si tertius foeminam competenter dotare velit, ea conditione, ut consanguineo vel affini nubat. — 4°) «**Lites super successione bonorum jam exortae,** *vel* **earumdem grave** *aut* **imminens periculum.** *Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti* [habito respectu ad facultates oratorum] *substineat, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur.... Huic proxime accedit alia causa, scilicet* : **Dos litibus involuta,** *cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat, Verum hujusmodi causa nonnisi pro remortioribus gradibus sufficit.*» — 5°) «**Paupertas viduae,** *quae numerosa prole sit onerata et vir eam alere polliceatur.*» Item «*quod* **junior** *sit atque in periculo incontinentiae versetur.* » Nihil tamen impedit, quominus simul cum aliis causis etiam pro *viro* adferatur et haec : *quod orator viduus liberis sit gravatus.* — 6°) « **Bonum pacis,** *quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et principes, sed etiam exstinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium,... quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sunt, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur ; vel .. licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.* » Nomine *rixarum* ex communi DD. etiam veniunt *lites* et *processus*, modo non procedant ex causa ejus matrimonii. — 7°) « **Excellentia meritorum,** *cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de religione sit optime meritus.* » — Praeter has, aliae causae a TT. et CC. recensentur : *praerogativa dignitatis regiae ; conservatio illustris familiae ; conservatio bonorum in eadem familia ; similis religionis et pietatis sensus*, seu *difficultas inveniendi alium virum indole, moribus, fide, pietate et christianis virtutibus tam commendabilem.* Imo est causa, quae dici solet : *causa sine causa*, i. e. largior eleemosyna. Haec valet, quando nulla alia subest sufficiens causa ; aut subest quidem,

sed sponsi verentur, ne forte sufficiens sit. In rescripto apostolico exprimitur his verbis : «*Ex certis et rationabilibus causis,*» quae idcirco inquisitioni Ordinarii subtrahuntur, quamvis dicatur in rescripto, ut delegatus «*de narratis diligenter se informet.* »

Q. 150. *Quae* sint CAUSAE, quae vocantur *famosae?*

R. Causae *famosae* seu *infamantes*, quae etiam dicuntur *ob scandala vitanda*, recensentur sequentes, juxta ordinem relatum in *Inst. cit.* S. C. de P. F.

Explanatur. 1°) «**Nimia, suspecta, periculosa familiaritas**; *nec non* **cohabitatio** *sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.*» — 2°) **Copula** *cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita et* **praegnantia**, *ideoque* **legitimatio prolis,...** *dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis, quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda.* » Ast de *sublata* necessitate exprimendi hanc circumstantiam pro copula incestuosa, dicetur infra (p. 216 seq.). — 3°) «**Infamia mulieris,** *ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa.*» — 4°) «**Revalidatio matrimonii**, *quod bona fide* [saltem ex parte unius e contrahentibus] *et publice, servata* TRID. *forma, contractum sit... At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente* C. TRID. *Sess. XXIV, c. 5 de ref. matr.*,» i e. multo difficilius eam obtinebunt. — 5°) «**Periculum matrimonii mixti**, *vel* **coram acatholico ministro celebrandi...** *maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur.*» — 6°) «**Periculum incestuosi concubinatus.** » — 7°) « **Periculum matrimonii civilis.** » — 8°) « **Remotio gravium scandalorum.** » — 9°) « **Cessatio publici concubinatus.** »

Q. 151. *An* VALEAT dispensatio, si *non subsistant* causae, quae ad illam obtinendam fuerunt allegatae?

R. *Distinguendum est* inter causas *finales* et *impulsivas*.

Explanatur. Causa dicitur **finalis** seu **motiva**, sine qua dispensatio aut nullo modo concederetur, aut nonnisi certis sub conditionibus et limitationibus, seu in alia forma. Dicitur vero **impulsiva** tantum, quae quidem allicit superiorem ad facilius

concedendum dispensationem, sed qua sublata, equidem et in eadem forma dispensationem impertiret.—*Hoc posito*, dico : — **1°**) Si UNA tantum causa *finalis* allegata sit et haec sit **falsa**; vel si DUAE causae *finales* allegatae fuerint, quarum una **non sufficiat** et altera sit **falsa**, dispensatio est nulla, etsi orator versetur in bona fide. — **2°**) Si, praeter unam *finalem*, *veram* et **sufficientem**, allegata fuerit alia *falsa*, sive finalis, sive impulsiva, DD. *disputant*. Existimaverim, dispensationem esse nullam, si *mala fide* error fuerit commissus, idque « *in perversitatis poenam*, » ut statuit INNOC. III (cap. *Super litteris*, *20*, *de rescriptis*), adeoque *post sententiam judicis* tantum. — **3°**) In **dubio** : an causa falso allegata, *finalis* sit an *impulsiva* ; vel : an causa finalis sit *vera* an *falsa*, standum est pro valore dispensationis (S. LIG. VI, 1133). — Commendatur interim praxis, qua, nisi habeatur periculum in mora, dispensatio petitur ad cautelam, ne deinceps oriantur conscientiae angores. (Recole dicta tom. I. pag. 163 seq.)

Q. 152. *Quandonam* subsistere debeat CAUSA, quae ad dispensationis *validitatem* reputatur *necessaria?*

R. *Sub distinctione*, pro *variis* momentis quae hic distingui possunt.

Explanatur. 1°) Si nondum exsistat causa, dum **petitur** dispensatio, hoc solum eam non irritat : quia petitio censetur referri ad momentum quo dispensatio conceditur. — **2°**) Si dispensatio concedatur *in forma commissoria*, ut ordinario fit, causa subsistere debet : tum *probabilius* quando pontifex dat mandatum dispensandi, seu, aliis verbis : dum Romae **expeditur** dispensationis rescriptum ; haec enim est sententia in Tribunalibus Romanis recepta, cui favere videtur S. POENIT. (28 Nov. 1851) ; tum *certo certius* quando **fulminatur** a commissario seu delegato, i. e. officiali aut confessario, qui exsequi jubetur dispensationem sub conditione in rescripto ordinarie expressa aut saltem subintellecta : « *si preces veritate nitantur.* » — **3°**) Si vera sit causa, tum quando datur mandatum, tum quando fulminatur, sed **intermedio tempore** cessaverit, valet dispensatio, ut si puella, acceptis a R. P. ad Ordinarium litteris pro dispensatione ob dotis defectum, ante expeditam ab Ordinario dispensationem, thesaurum et repererit et

amiserit (Sanch. VIII, 30, 16). — 4°) Si fulminata dispensatione, causa cesset **ante matrimonii celebrationem,** poterit matrimonium nihilominus contrahi, ut si pro causa allegatum fuerit, quod mulier esset vidua gravata prolibus et, dispensatione fulminata, proles mortuae fuerint. (Recole dicta tom. I, pag. 164 seq.)

CAP. 3. De modo dispensationes a R. P. impetrandi.

Q. 153. *Qua* 1°) via dispensationes matrimoniales a R. P. impetrentur; 2°) quas dispensationes concedat *S. Poenitentiaria*, quas vero *Dataria Apostolica*; 3°) pro *quibusnam* dispensationibus exigatur taxa solvenda; 4°) quae sit dispensatio in forma *ordinaria*, quae vero in forma *pauperum*; 5°) *an* valeat dispensatio petita in forma *pauperum*, si oratores non sint pauperes; 6°) *quinam* ad Tribunalia Romana *recurrere* possint?

R. Ad 1^{um}) Regulariter loquendo, duo sunt Romae diversa dicasteria seu tribunalia, per quae R. P. dispensationes matrimoniales concedit, nempe : S. Poenitentiaria et Dataria apostolica, ad quam pertinent Cancellaria et Praefectura Brevium. (De istis dicasteriis fuse egi in opere : « *De la Cour Romaine* » tom. II).

Explanatur. Dixi : **regulariter**; nam in dioecesibus, quae *S. C. de P. F.* subjiciuntur, per hujus Congregationis organum omnes dispensationes impetrantur, idque sine taxa, licet non semper sine eleemosyna. — Praeterea dispensationes super *disparitate cultus* et *mixta religione* conceduntur per S. U. I.

R. Ad 2^{um}) Regulariter loquendo, S. Poenitentiaria concedit dispensationes *secretas* valituras *pro foro interno tantum*. Unde ad eam recurrendum est, quando impedimenta sunt *occulta*, praesertim si infamiam oratoribus inurant, atque dispensatio petitur sub nominibus fictis.—Contra Dataria apostolica concedit dispensationes *publicas*, valituras *pro utroque foro*. Ad eam igitur recurrendum est, quando impedimenta sunt *publica*, atque dispensatio petitur nomine proprio. *Publica* autem dicuntur ea impedimenta, quae non solum talia

sunt *de facto*, sed etiam quae talia esse solent *natura sua*, ut *consanguinitas*, *affinitas ex copula licita*, *cognatio legalis* et *spiritualis*, *publica honestas*, *ordo* et *votum solemne*, quamvis in praesens de facto ignorentur et lateant.

Explanatur. Dixi : **regulariter**; nam hodie, ex mandato R. Pontificis, S. Poenitentiaria, loco Datariae, dispensat, etiam quoad forum externum in impedimentis consanguinitatis et affinitatis, quando dispensatio *in forma pauperum* postulatur; immo, in casibus extraordinariis et gravibus, etiam pro oratoribus non pauperibus.

R. Ad 3^{um}) Exigitur *taxa*, quae etiam vocatur *compositio* seu *componenda*, Romam mittenda, proportionata fortunae oratorum, pro solis dispensationibus in *consanguinitate* aut *affinitate ex copula licita*.

Explanatur. Porro **taxa** exigitur non quidem in *pretium* dispensationum, quae, ut praecipit Trid. (Sess. XXIV, *de ref. matr.* cap V) gratis conceduntur; sed per modum cujusdam *mulctae*, ut explicat Pius VII (*Brevi* 28 Febr. 1809) : « *ad resarciendum aliqua ratione vulnus quod ex dispensationum matrimonialium concessione ecclesiasticae disciplinae infligitur, et ad matrimonia inter personas consanguinitatis vel affinitatis vinculo invicem conjunctas, rariora ac difficiliora reddenda.* » Ceterum hujusmodi taxa (de qua latius scripsi in opere : « *De la Cour Romaine* » tom. I, p. 210 seq.) partim inservit ad subveniendum ministris Datariae, partim in pias causas impenditur. Itaque taxa non exigitur pro dispensationibus super aliis impedimentis; sed tantum solvendae sunt *expensae* pro posta et pro agente romano, qui supplicam Romae praesentat, quae expensae in dioecesi Mechl. ad summam circiter 10 francorum pertingunt; et insuper aliquando praecipitur *eleemosyma* pauperibus eroganda.

R. Ad 4^{um}) Dispensatio habetur *in forma ordinaria*, quando pro dispensationibus super consanguinitate et affinitate legitima solvenda est *taxa* seu *componenda* praecitata. Dicitur vero *in forma pauperum*, quando dispensatur in iisdem impedimentis cum *pauperibus* absque ulla taxa, vel cum *fere pauperibus* leviori tantum taxa imposita; quae est

saltem trium scutatorum seu circiter 16 francorum. In utroque tamen casu solvendae sunt *expensae* de quibus supra, nisi vere pauperes, ob magnam paupertatem, ab iis quoque eximantur.

Explanatur. Porro **pauperes** dicuntur, ex URBANO VIII et PIO VI (*Rescrip.* an. 1788 ad Archiep. Turon.) : « *qui adeo miserabiles sunt, ut labore manuum et industria tantum vivant* : » i. e. qui, licet bona aliqua possideant, in praesens tamen tot reditus, deductis oneribus, non habent, quibus decenter pro sua conditione vivere possint, sed ad vitam sustentandam labore quoque suo et industria egent. Tales, ex responso DATARIAE an. 1841, reputandi sunt, quorum fortuna valorem circiter 3,000 fr. non excedit. — Ii vero, quorum fortuna valorem circiter 10,000 fr. non excedit, **fere pauperes** dicuntur. Interim notentur heic sequentia : 1°) Cum valor pecuniae non sit aequalis in omni loco et tempore (tom. II, p. 77 seq.), summae assignatae ad classificandos *pauperes* et *fere pauperes* facile variari possunt. 2°) Aequitas postulat, ut in determinatione fortunae ratio habeatur non solum fortunae *in re* seu *in praesens*, sed etiam in *spe certa*, v. g. ex certa successione futura; tum etiam *emolumentorum*, quae quis ex locupleti officio aut industria in dies acquirit et necessariam sustentationem multum excedunt.

R. Ad 5^{um}) *Affirmat* S. LIG. (H. A. XVIII, 87) ex declaratione S. C. C. (9 Sept. 1679), apud MONACELLI.

Explanatur. Idque admittimus, *saltem generatim loquendo*. Ratio est : quia paupertas non est ratio, ob quam conceditur dispensatio, sed ob quam conceditur *gratis*. Quare deficiente causa gratuitatis, non ideo deficit causa dispensationis. Si tamen quid notabile defraudatum est, id conjuges supplere tenentur. Nam ad **quaesitum** : « *An conjuges qui possidebant 10,000 fr. et se pauperes finxerant in supplica, obtenta dispensatione, valide contraxerint?* » S. POENIT. **respondit** (3 Dec. 1852) : *Matrimonium esse validum, sed oratores teneri solvere jura Datariae Apostolicae.* » — Dixi : **saltem generatim loquendo**; de valore enim dispensationis, praesertim a S. POENIT. concessae, **dubitandum est,** si in rescripto habeatur clausula : « *Dummodo exponentes vere pau-*

peres ac miserabiles sint; » aut : « *Dummodo exponentes praeter supradicta bona nihil aliud habeant, neque sperare possint,* » quae aliquando adhibetur, dum in forma pauperum conceditur dispensatio possidentibus ultra 3,000 fr. — Quaestio utique gravis, quam S. C. C. (28 Jun. 1873) noluit definire.

R. Ad 6^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. De **jure** quivis recurrere possunt. — **Hodie** tamen solet supplicatio non ab ipsis partibus, sed a *parocho* vel *confessario* transmitti; a *parocho :* si impedimendum sit publicum; a *confessario :* si sit occultum et ex sola confessione notum. Hi tamen, saltem *ordinarie* loquendo, solent scribere, non ipsi Romam, sed ad *episcopum* aut *officialem*, cui casum cum omnibus suis circumstantiis rite exponunt : tum quia, ubi agitur de dispensationibus impetrandis super impedimentis publicis, exigitur ut veritatem allegatorum episcopus ejusve officialis attestetur, eique deputari soleat dispensationis executio; tum quia, ubi agitur de dispensationibus super impedimentis occultis, in plerisque eorum, vi facultatis extraordinariae, dispensare soleat ipse episcopus. Imo aliquando parochus, nisi agatur de impedimento occulto, partes ipsas remittit ad vicariatum pro pleniori examine et negotii expeditione.

CAP. 4. De proponendis in libello supplici, seu de Stylo Curiae Romanae.

Q. 154. *Quaenam* in LIBELLO supplici necessario sint *exprimenda*, quando petitur dispensatio : 1°) in impedimento *publico;* 2°) in impedimento *occulto?*

R. Ad 1^{um}) Quando dispensatur in impedimento *publico*, sive *directe* ab Apost. Sede, sive ex *expressa pontificia delegatione* (pag. 203 seq.), ex *Instruct.* cit. S. C. de P. F. (9 Maii 1877) « *ea quae*, PRAETER CAUSAS, *in litteris supplicibus pro dispensatione obtinenda, de jure vel consuetudine aut stylo Curiae* EXPRIMENDA *sunt, ita ut, si etiam ignoranter taceatur veritas aut narretur falsitas, dispensatio* NULLA *efficiatur*, » haec sunt *sex* sequentia.

Explanatur. Scilicet : 1°) « **Nomen** *et* **cognomen** *Oratorum, utrumque distincte ac nitide ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum.* » Quod error *nominis* (vulgo praenominis) et *cognominis* possit vitiare dispensationem etiam ex eo deducitur, quod inter facultates, quas R. Pontifex concedere solet episcopis, habetur illa : *Convalidandi litteras dispensationis, quae nullae fuerint ob errorem nominis vel cognominis contrahentium.* Interim juxta plerosque valet dispensatio, si error unius litterae aut syllabae in nomine aut cognomine talis sit, ut nullum esse possit dubium circa identitatem oratorum, ut si, aiunt, *Antoninus* ponatur pro *Antonius*, quod exemplum non admittimus; vel si esset tantum nominum transpositio; imo, si plura imposita fuerint, illud videtur sufficere, quo quis vulgo appellari consuevit. — 2°) « **Dioecesis originis** *vel* **actualis domicilii.** *Quando oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.* » Quod si diversa sit utriusque dioecesis, utraque est exprimenda. — 3°) « **Species** *etiam* **infima impedimenti** : *an sit consanguinitas vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus vel matrimonio rato; in impedimento criminis, utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.* » — 4°) « **Gradus** *consanguinitatis, vel affinitatis aut honestatis ex matrimonio rato; et an sit simplex vel mixtus, non tantum remotior, sed et propinquior* (pag. 141 seq.); *uti et* **linea**, *an sit recta vel transversa; item an Oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis tam ex parte patris, quam ex parte matris.* » 5°) « **Numerus impedimentorum,** *e. g. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas; vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum, sive* DIRIMENS, *sive* IMPEDIENS. » Itaque si quis duplici laboret impedimento, necesse habet proponere utrumque eodem petitionis libello : alias neutrum tollitur. Quod si unum sit *publicum*, alterum *occultum*, ut si v. g. cum consanguinitate concurrat affinitas ex copula illicita, tunc si *adsit consensus oratorum*, una fiat supplica pro impedimento

publico, in qua fiat mentio *occulti*, addendo id fieri de consensu oratorum. Si vero *non adsit consensus oratorum*, vel peti nequeat vel non videatur petendus, eo quod non potest revelari sine infamia vel aliis damnis, tunc *publicum* in supplica publica ad Datariam exponi debet; utrumque vero tam *publicum* quam *secretum* in secreta ad Poenitentiariam, exprimendo super impedimento *publico* obtentam esse aut animum esse petendi dispensationem. Praestat autem in hoc casu, ut primo petatur dispensatio a Poenitentiaria, ne, forte obtenta dispensatione a Dataria, illa negetur in Poenitentiaria, et sic inutiles expensae fiant in Dataria. — 6°] « **Variae circumstantiae,** *scilicet : an matrimonium sit contrahendum vel contractum; si jam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an praemissis denuntiationibus et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.* »

NOTA. Quando dispensatio petitur a Dataria, i. e. in forma honesta, etiam exprimenda est *aetas* utriusque oratoris juxta monitum an. 1858 pluribus officialibus datum, eaque solet in dioec. Mechl. semper exprimi, quando pro foro externo recurritur. Ejusdem tamen indicatio non requiritur ad valorem, nisi quando quis *aetatem* deberet allegare ut causam finalem, et pro hoc casu stricte sufficeret dicere oratricem habere 24 annos completos seu attigisse 25^{um}, licet tunc etiam melius sit exprimere aetatem quam revera oratrix attigit. Error autem eo in casu in aetate admissus tantum vitiaret dispensationem, si oratrix revera annum 25^{um} non attigisset.

Scholion. Inter circumstantias ad valorem dispensationis necessario exprimendas, numerabatur **olim,** ut adhuc habetur in eadem *Instr.* S. C. de P. F. : « **Copula incestuosa** [vel quasi-incestuosa] *habita inter sponsos* ante dispensationis executionem, *sive ante, sive post ejus impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si haec reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis* consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis *et* legalis, *necnon et* publicae honestatis, *declaravit* S. U. I. (*1 Aug. 1866*); » et iterum (1 Febr. 1882). Id ipsum quoque statue-

rat S. Poenit. (20 Jul. 1879).—Ast **hodie** hujusmodi necessitas *incestuosam copulam* exprimendi sublata fuit per Litt. Apost. datas ex cancellaria S. U. I. (25 Jun. 1885), ap. N. R. T. (XVII, 510 seq.), hisce verbis : « *Verum cum plurimi sacrorum antistites sive seorsum singuli, sive conjunctim S. Sedi retulerint, maxima ea de causa oriri incommoda cum ad matrimonialium dispensationum exsecutionem proceditur, et hisce praesertim miseris temporibus in fidelium perniciem non raro vergere quod in eorum salutem sapienter inductum fuerat*, SS. D. N. Leo *divina providentia Papa XIII eorum postulationibus permotus, re diu ac mature perpensa, et suffragio adhaerens EE. S. R. E. Cardinalium in universa christiana republica una mecum inquisitorum generalium, hasce litteras omnibus locorum Ordinariis dandas jussit, quibus eis notum fieret, decretum superius relatum* S. R. *et* U. Inquisitionis *et* S. Poenitentiariae, *et quidquid in eumdem sensum alias declaratum, statutum aut stylo Curiae inductum fuerit a se revocari, abrogari nulliusque roboris imposterum fore decerni ; simulque statui et declarari, dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras : contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.* » Deinde sequens additur **monitum** : « *Dum tamen ob gravissima rationum momenta a pristino rigore hac super re Sanctissimus Pater benigne recedendum ducit, mens Ipsius est, ut nihil de horrore, quod incestus crimen ingerere debet, ex fidelium mentibus detrahatur ; imo vero summo studio excitandos vult animarum curatores, aliosque quibus fovendae inter christifideles morum honestatis cura demandata est, ut prudenter quidem, prout rei natura postulat, efficaciter tamen elaborent huic facinori insectando et fidelibus ab eodem, propositis poenis quibus obnoxii fiunt, deterrendis.* » — Praeterea circa easdem Litteras **notentur** sequentia : **1°**) Nihil impedit quominus *incestus*, casu occurrente, allegetur inter causas ad obtinendam dispensationem. **2°**) Incestus declaratio erit necessaria, tum si ejus causa ab oratoribus contractum fuit *impedimentum*, ut si viduus, comparte adhuc vivente, defloraset suam consanguineam aut affinem sub promissione matrimonii ; tum ad *legitimandam prolem* jam ante sublatum impedimentum natam ex commercio incestuoso, saltem

si hoc formaliter incestuosum fuerit; hujusmodi enim proles subsequenti parentum matrimonio non legitimatur, sed speciali legitimationis indulto indiget a S. Pontifice impetrando.

R. Ad 2^um) Quando dispensatur in impedimento *occulto*, eadem sunt exprimenda sicuti in supplica pro dispensatione publica, una cum causis dispensandi, exceptis tamen *nomine* et *cognomine*, necnon *dioecesis originis* vel *actualis domicilii* oratorum, quae omittenda sunt, ne illorum fama laedatur; sed adhibentur nomina ficta v. g. Titius et Titia, etc.

CAP. 5. De exsecutione dispensationis pontificiae.

Q. 155. *Quisnam*, pro *foro externo*, COMMITTI soleat pro *exsecutione* dispensationis romanae?

R. Super hac re, « *ad pastorale ministerium utilius faciliusque reddendum*, » prodiit nuperrime *nova* legislatio ex Litteris jam supra (pag. 203) citatis quas, de mandato SS. D. N. LEONIS XIII, tradidit S. U. I. (20 Febr. 1888).

Explánatur. Scilicet «SANCTISSIMUS *sanxit* : **1.** *dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel* **Oratorum Ordinario** *vel* **Ordinario loci. 2.** *Appellatione* **Ordinarii,** *venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes jurisdictionem cum territorio separato; eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem.* **3.** *Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes Apostolicas exsequi posse, quae remissae fuerint Episcopo aut Vicario ejus generali vel Officiali nondum exsecutioni mandatas, sive hi illas exsequi coeperint, sive non. Et vicissim sede deinde provisa, posse Episcopum vel ejus Vicarium in spiritualibus generalem seu Officialem exsequi dispensationes quae Vicario Capitulari exsequendae remissae fuerant, seu hic illas exsequi coeperit seu minus.* **4.** *Dispensationes matrimoniales Ordinario oratorum commissas, exsequendas esse ab illo Ordinario, qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad S. Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum;*

etiamsi sponsi quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expediri judicaverit, Ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur. **5.** *Ordinario praedicto fas esse, si ita quoque expedire judicaverit, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, cum praesertim, in cujus dioecesi sponsi acta degunt.*» Cfr. *Explicationes* hujus dispositionis ap. N. R. T. (XX, 128 seqq.).

NOTA. Ut patet ex quaestione proposita, praefata responsio spectat dispensationes matrimoniales in impedimentis publicis seu pro **foro externo.** Dispensationes enim in impedimentis occultis seu pro **foro interno** solent committi confessario, ex approbatis ab Ordinario, per latorem rescripti eligendo.

Q. 156. *An* VERIFICATIO *precum*, quae in rescripto praescribitur, necessaria sit pro *valore* dispensationis?

R. Hodie *negative.*

Explanatur. Dixi : **hodie**; nam **olim** desuper *controversum* fuit. Alii **affirmabant**; alii **negabant**; alii **distinguentes** inter clausulam : «*si ita est, si preces veritate nitantur,*» et clausulam : «*si preces veritate niti repereris,*» dicebant in *primo* casu non requiri verificationem; secus vero in *secundo* : quia tunc causae cognitio induit naturam conditionis. — Ast **hodie,** cum ex mandato LEON. XIII (28 Aug. 1885) clausulae : « *Si preces veritate niti repereris*» nunc substituenda sit haec alia : « *Si vera sint exposita,*» sicque non amplius adhibeantur formulae quae induunt naturam conditionis, jam tertia sententia confunditur cum secunda. Quae secunda sententia hodiedum confirmatur nedum ex mutatione inducta in clausulis rescriptorum apostolicorum, sed etiam ex responso S. POENIT. (27 April. 1886). Ad **quaesitum** enim III : « *Utrum ad* **validitatem** *executionis requiratur nova et canonica verificatio causarum vel Litterarum Apostolicarum instituenda, casu quo Ordinarius de causis dispensationis exactam et per juratos testes habitam informationem ceperit, antequam preces pro obtinenda dispensatione S. Sedi porrexisset?* » **respondit** : « *Negative.* »

In **praxi** verificatio precum, etsi non requiratur ad valorem **dispensationis,** *regulariter* tamen post acceptum rescriptum apos-

tolicum est facienda, antequam ad fulminationem procedatur : tum quia severe in ipsis rescriptis praecipitur, his vel similibus verbis : «*Discretioni tuae, de qua plenam in Domino fiduciam habemus,* COMMITTIMUS *et* MANDAMUS, *quatenus de praemissis te diligenter informes, et si vera sint exposita, super quo* CONSCIENTIAM TUAM ONERAMUS ; » tum quia forte error irrepsit, aut causa cessavit, aut novum impedimentum exortum est ex quo dispensatio certe esset invalida. Dixi : **regulariter**; nam in casu urgentis necessitatis ad eam verificationem faciendam exsecutor non tenetur, praesertim si moraliter certus foret per priorem informationem tum adesse veritatem, tum non cessasse justam dispensationis causam. Officialis tamen in hoc casu monebit parochum, ut summarie in precum veritatem inquirat, et a celebratione matrimonii abstineat, si forte vitium detegat, quo dispensatio nulla reddatur.

Scholion. Matrimonium *ante fulminationem dispensationis* invalide celebrari, certissimum est (1). Quod si tamen aliquando contigisset, posset nihilominus rescriptum apostolicum exsecutioni mandari **absque novo recursu** ad S. Sedem, ut constat ex S. POENIT. (27 Jun. 1885). Ad **dubium** enim : «*Aliquando evenit, ut, litteris apostolicae dispensationis nondum exsecutioni datis, oratores, quorum favore expeditae sunt, ex errore contrahant in forma Tridentini : an Ordinarius, re comperta, possit valide easdem litteras apostolicas nihilominus exsequi, ut partes iterum coram parocho et testibus se sistant et consensum renovent?*» S. POENIT. **respondit** : «*Affirmative, sic benigne annuente* SS^mo^ D. N. LEONE PP. XIII.» Ap. N. R. T. (XIX, 39).

Q. 157. Dic : 1°) *quandonam* praescribatur SEPARATIO oratorum facienda; 2°) *in quo* consistat; 3°) *quanto* TEMPORE

(1) Invalida est *fulminatio*, nec proinde valet dispensatio matrimonialis, si *fulminatio* fieret antequam originale rescriptum fuerit praesentatum delegato exsecutori, etiamsi per litteras, telegraphum, aut aliter certam notitiam obtentae dispensationis obtinuisset, ut constat ex S. POENIT. (15 Jan. 1894) ap. N. R. T. (XXVI. 406); — «*nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio auctoritate S. Sedis.*» Ita S. U. I. (14 Aug. 1892). Quare, extra hunc casum, «*opus esset nova dispensationis executione*». (S. POENIT. 15 Jan. 1894). Accepto tamen originali, posset rescriptum apostolicum exsecutioni mandari absque novo recursu ad S. Sedem. Cfr. R. T. FRANÇ. (III. 640)

durare debeat; et 4°) an sub *poena* NULLITATIS sit ab exsecutore *imponenda* vel ab oratoribus *observanda?*

R. Ad 1^{um}) Semper aut fere semper imponitur SEPARATIO, si inter oratores copula fuerit habita vel illius fundata suspicio orta, aut etiam si oratores scienter contraxerint matrimonium invalidum.

R. Ad 2^{um}) Hodie hoc nomine SEPARATIONIS in utriusque tribunalis rescriptis, tam Poenitentiariae quam Datariae, intelligitur separatio *a thoro* et etiam *ab habitatione*, si possibile sit.

Explanatur. Dixi **hodie**; nam **olim** in S. POENIT. nomine *separationis* intelligebatur non tantum separatio *a thoro* et *ab habitatione*, sed insuper interdictio *ab omni tractu*, i. e. ab omni familiari conversatione, quales sunt visitationes, amica colloquia, etc.

R. Ad 3^{um}) Durare debet toto tempore a Roma vel ab exsecutore determinato, si hujus arbitrio relinquatur.

R. Ad 4^{um}) Ad utrumque *negative.*

Explanatur. Quod 1°) **impositionem** attinet, separatio **olim** erat quidem imponenda ante fulminationem, sub poena nullitatis; ast **hodie**, ut menti dispensantis satisfiat, imponenda quidem est, si fieri potest; ejusdem tamen omissio non reddit dispensationem invalidam, ut constat ex S. POENIT. (27 April. 1886). Cum enim circa clausulam : «*remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem tempore tibi beneviso, si fieri poterit,*» propositum fuisset **dubium** : «*Utrum casu, quo separatio sponsorum fieri possit, ad effectum reparandi scandalum, ad validitatem exsecutionis sufficiat, ut exsecutor aliis mediis efficacibus scandalum reparandum curet?*» **Respondit** S. POENIT. : «*Expedire, ut scandalum removeatur per separationem, sed non prohiberi, quominus alii modi adhibeantur, qui prudenti judicio Ordinarii sufficiant ad illud removendum.*» Idem docet in resp. (12 April. 1889). — Quod vero 2°) **observationem** attinet, separatio est quoque observanda ab oratoribus, ita ut eam transgredientes peccent, sed non sub poena nullitatis, nisi **olim** novum incestum commisissent; ast **hodie**, etiamsi tempore injunctae separationis patraretur incestus,

in eo tamen non amplius post Litt. Apost. expeditas per S. U. I. (25 Jun. 1885) et supra citatas (pag. 217) haberetur causa nullitatis

Q. 158. *Quae* sint praecipuae CLAUSULAE, quae in rescriptis S. POENIT. apponi solent?

R. Sunt *novem* sequentes.

Explanatur. 1°) « **Si ita sit.** » Unde tenetur confessarius intra confessionem interrogare poenitentem circa precum veritatem. Fides autem poenitenti adhibenda est, nisi confessarius certo sciat oppositum ex notitia extra confessionem accepta. — **2°)** « **Audita prius sacramentali confessione.** » Unde de valore requiritur confessio, saltem alicujus peccati, quamvis confessio foret sacrilega. Sed, si poenitens sit indispositus, dispensatio cum absolutione differenda est, nisi urgens necessitas suadeat dispensationem accelerare. Porro post confessionem vel absolutionem adhiberi *poterit* haec vel similis formula : *Et insuper auctoritate apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento*, v. g. primi gradus proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris, *cum qua contraxisti* (aut contrahere intendis), *ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis*, *renovato consensu* (vel ut matrimonium cum illa contrahere possis), *et prolem quam suscepisti* (vel suscipies) *legitimam declaro. In nomine Patris* ✝, *etc.* Interim nulla determinata formula concedendi dispensationem praescribitur, adeoque satis est, ut confessarius dicat se vi rescripti seu auctoritate apostolica, dispensare super tali impedimento; et ideo dixi : *poterit*. — **3°)** « **Sublata occasione.** » Intelligitur occasio proxima, quae, si voluntaria sit, removeri debet; sin minus, satis erit, si orator studeat de proxima remotam efficere. — **4°)** « **Injuncta... gravi poenitentia,** » distincta scilicet a poenitentia sacramentali. Si S. POENIT. eam determinet, haec omnino foret injungenda. Sin autem arbitrio confessarii relinquatur, attendere ille debet tum ad delicti gravitatem, et poenitentis vires, tum ad qualificationem POENITENTIARIAE, an exigat poenitentiam *salutarem* tantum, an *gravem*, *gravissimam*, *longam*, *diuturnam*, *perpetuam*. — **5°)** « **Et aliis injunctis quae de jure fuerint injungenda.** » Quibus verbis monetur confessarius ut imponat poenitenti ceteras obligationes quae ob alia peccata aut quavis de causa ei imponendae

sunt, v. g. ut restituat, scandalum reparet. — 6°) « **Dummodo impedimentum sit occultum,** » i. e. sensu exposito (pag. 205). Si dicatur « *omnino occultum*, » ut solet poni in impedimento criminis ex conjugicidio, tunc non est amplius tale, si posset per duos testes probari. — 7°) « **Ut dispensatio in foro externo nullatenus suffragetur.** » Unde si impedimentum fiat *publicum*, ad scandalum vitandum conjuges separentur, donec pro foro externo a Dataria obtineatur dispensatio; attamen secreto uti conjuges haberi possunt, quia impedimentum est sublatum. Imo, si v. g. fides seu testimonium confessarii (conjugibus ipsis illud petentibus) accedat de dispensatione obtenta, nullus amplius inferendae illis molestiae locus erit. — 8°) « **Praesentibus laceratis.** » Quae laceratio statim est facienda, i. e. *intra triduum*, ab exsecutione dispensationis. Si autem non sit apposita clausula lacerationis, prout non apponitur, quando matrimonium nondum est contractum, dispensatio occulte conservanda est a parocho, vel in libro aliquo notanda, ut, dum opus fuerit, de veritate matrimonii constare possit. — 9°) « **Certiorata parte de nullitate prioris matrimonii.** » Unde v. g. uxor dicat viro : « *quando nupsi, non habui verum consensum; renovemus illum* ». Quod caret mendacio, quia consensus nullus consensus non est. Vel dicat : « *Dixit mihi confessarius matrimonium nostrum nullum esse; renovemus consensum.* » Vel etiam ipse confessarius, habita licentia ante se vocet conjuges eisque dicat : « *Conscientia mihi dictat vestrum matrimonium fuisse nullum; ad eam sedandam, consensum renovate.* » At si metuendum sit, ne alter exinde aliquid suspicetur vel inquirat, consultius erit iterum S. Sedem adire, ut sanet matrimonium *in radice*, seu potius, ut remittat conditionem dispensationi adjectam certiorandi alteram partem de nullitate consensus. Cfr. Bened. XIV (*Inst.* LXXXVII, n. 80. et *de Syn.* XIII, c. 21, n. 7). Ceterum praefata clausula recentius mitigata fuit adjiciendo : « *et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas.* » — Quaenam mutationes jam faciendae sint in Litteris Apostolicis quibus a Dataria Apostolica conceduntur dispensationes matrimoniales, docet S. C. Inq. (28 Aug. 1895) ap. N. R. T. (XXVIII, 80 seq.).

Q. 159. *Quid* agendum, si oratores, conscii impedimenti et complices peccati, *diversos* habeant *confessarios?*

R. Tunc prior confessarius, facta dispensatione, litteras clausas poenitenti tradere debet, transmittendas alteri confessario, non quidem ad dispensandum, sed ad poenitentiam congruam imponendam. Si vero compars non fuerit complex, v. g. in affinitate ex culpa sponsi solius, sufficit, ut illa, quatenus fieri potest, de obtenta dispensatione certioretur. Ita S. POENIT. (15 Nov. 1748).

Q. 160. *Quid* facto opus, si *post fulminatam* dispensationem super uno imp. dirimente, 1°) *detegatur* et aliud ante eam jam exsistens; 2°) *novum* suboriatur; aut 3°) copula *iteretur* ex qua orta fuit affinitas?

R. Ad 1^{um}) Tunc, sive detegatur *ante*, sive *post* matrimonium contractum, debent obtineri litterae aliae in forma *Perinde valere;* pro quarum supplicatione factum *totum*, ut se habet, est exponendum, cum prior dispensatio irrita fuerit. Idem fieri debet, quando ob alium defectum primae litterae sunt irritae, ut si circumstantia de stylo Curiae necessario exprimenda fuerit omissa.

R. Ad 2^{um}) Similiter petenda est dispensatio super hoc novo impedimento, antequam matrimonium possit contrahi; sed tunc necesse non est in hac supplica mentionem facere alterius impedimenti jam legitime sublati.

Resolvitur. Hinc si quis, post fulminatam dispensationem ad ducendam consanguineam, contraheret cum illa affinitatem cognoscendo ejus sororem, satis esset aliam, hujus solius affinitatis mentione facta, dispensationem impetrare. Ita SANCH. (VII, 23, 4).

R. Ad 3^{um}) Non ita liquet, an nova requiratur dispensatio.

Explanatur. Alii **affirmant** cum SANCH. (VIII, 24,8) : « Quia, cum prior affinitas sit omnino per dispensationem ablata, contrahitur nova affinitas per hanc copulam, in qua nulla est dispensandi commissio. » Alii **negant**; tum quia per dispensationem sublatum fuit impedimentum; tum quia « *factum legitimum retractari non debet, etiamsi postea is casus inciderit, a quo initium habere non*

potuisset.» Cui posteriori sententiae favet responsum S. Poenit. (21 Sept. 1752) quod refert S. Lig. (VI, 1140) : «*S. Poenitentiaria ad praemissa respondet, quot si orator alias super eodem primi affinitatis gradus impedimento ad matrimonium contrahendum cum muliere, de praesenti ejus conjuge, fuerit dispensatus, etiamsi ipse post obtentam gratiam atque ante matrimonii celebrationem, denuo cum supradictae mulieris matre relapsus sit, nova dispensatione non indigere.*» Cum ibi dicatur nova dispensatione opus non esse, si contingat ista fornicatio *post obtentam gratiam atque ante matrimonii celebrationem*, videtur etiam comprehendi casus quo contingat post gratiam non tantum Romae concessam sed etiam exsecutioni mandatam.

SECTIO 4ª.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII.

CAP. UNIC.

De officio parochi et confessarii in casu matrimonii invalide contracti, deque modo illud revalidandi.

Q. 161. *Quid* agere debeat parochus vel confessarius, qui *certo novit* matrimonii alicujus *nullitatem?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel impedimentum est **publicum,** vel est **occultum.**—**A**) Si impedimentum sit **publicum,** cogendi sunt conjuges ad separationem faciendam quoad thorum et habitationem.—**B**) Si sit **occultum,** tunc *subdistinguendum est,* et videndum : an vel **utrique,** vel **alterutri,** vel **neutri** si notum. **1°**) Si **utrique** notum est, conjugii usus interdicendus est, et ubi nullum exstat incontinentiae periculum, poterunt simul habitare ad instar sororis et fratris, donec matrimonium rite convalidatum fuerit. Si autem **2°**) impedimentum **alterutri** tantum parti sit notum, tunc moneri debet, ut abstineat tam a redditione debiti, quam a petitione, et ab omni actu venereo, donec revalidationi provisum fuerit. Unde, ubi timendum est, ne compars nullitatis ignara debitum exigat,

conjux, meliori quo possit modo, huic periculo se subtrahere debet, vel alteri manifestando nullitatem, vel si hoc prudenter fieri non possit, praetextum quaerendo, prout fert conditio et vivendi ratio personarum. Si demum 3°) **neutri** sit notum impedimentum, tunc si conjuges sint in **bona fide** et possit impedimentum manifestari, spe moraliter certa fore, ut matrimonium convalidetur, illud debebit manifestari. Plerumque tamen expediet differre monitionem, donec obtenta fuerit dispensatio, ut hac obtenta facilius obsequatur monitis. Quod si nulla sit spes hujusmodi, imo timeantur mala gravia, nec debet, nec potest nullitatem manifestare. Aliquando tamen occulta dispensatio peti poterit per *sanationem in radice*.

Q. 162. *Quomodo* matrimonium irritum *revalidari* possit?
R. *Sub distinctione*.

Explanatur. Matrimonium irritum esse potest : — vel *ob* **solam clandestinitatem**; — vel *ob* **aliud impedimentum**; — vel *ob* **utrumque simul.**

1°) Si *ob* **solam clandestinitatem,** tunc : vel **uterque** consentit redintegrare, vel **unus** tantum, vel **neuter.**—Si **primum** : celebretur matrimonium in forma Trid., publice vel occulte, prout nullitas matrimonii publica vel occulta fuerit, nisi « *Ordinarius ob peculiares circumstantias judicaverit expedire, ut secreto... potius celebretur,... dummodo tamen publicum scandalum alia ratione removeri possit* » (Card. Caprara : *Inst. de matr. irrit. revalid.* 25April.1803).—Si **secundum** : obtinendum est a parte retinente, ut aliquatenus saltem consentiat per procuratorem, litteras; vel recurrendum ad *sanationem in radice*, remoto semper scandalo, quod fieri potest divulgando matrimonii convalidationem.—Si **tertium** : orandum est pro ipsis et laborandum pro eorum conversione.

2°) Si *ob* **aliud impedimentum,** tunc : vel nullitas oritur ex **defectu consensus,** vel ex **alio impedimento,** in quo Ecclesia dispensare potest.—Si **A**) ex **defectu consensus,** tunc vel **neutra** pars consensum sufficientem praebuit, vel **una** tantum. Si **primum** : necesse est, ut utraque eum praestet consensum, qui requiritur ad valide contrahendum, idque in forma Trid., si clandestine fuisset initum in locis ubi Trid. decretum obligat, secreto vel pu-

blice. Si **secundum** : renovandus est ab utroque consensus, si fieri possit, idque post certiorationem de nullitate. Si fieri non possit, eliciatur saltem partis insciae novus consensus, absque certioratione. Si nec hoc fieri possit, detur novus consensus copula utendo cum animo conjugali.—Si **B**) ex **alio impedimento,** tunc 1°) si nullitas sit nota **utrique,** vel sine periculo possit manifestari, obtinenda est dispensatio, qua fulminata, renovandus est consensus, occulte vel publice pro circumstantiis. Sin autem 2°) nullitas **uni** tantum sit nota, nec sine gravi incommodo manifestari possit, *plerumque* non sufficit simplex dispensatio, sed recurrendum est ad *sanationem in radice*, qua obtenta et fulminata, renovetur consensus a parte conscia et fiat matrimonium, virtualiter perseverante consensu alterius. Dixi : *plerumque ;* nam sufficiet simplex dispensatio in casu urgentis necessitatis, nec facile dispensatio in radice obtineri possit.

3°) Si *ob* **utrumque simul,** tunc obtenta et fulminata dispensatione in impedimento alio quod adest, observentur dicta de matrimonio irrito ex clandestinitate.

Q. 163. *Quid* 1°) sit SANATIO IN RADICE ; 2°) *quomodo* ab ORDINARIA dispensatione *differat* ; 3°) *quinam* sint illius EFFECTUS ; 4°) *quisnam* possit dispensare IN RADICE ; et 5°) *quaenam* CONDITIONES ad hoc requirantur?

R. Ad 1^{um}) Est dispensatio in impedimento dirimente juris ecclesiastici, qua matrimonium invalide contractum convalidatur, et conjuges et proles legitimi efficiuntur, absque renovatione consensus, perinde ac si matrimonium a radice, i. e. ab initio validum fuisset.

Explanatur. Aliis verbis : *est abrogatio impedimenti dirimentis juris ecclesiastici cum effectu retroactivo a tempore initi matrimonii*, ita ut consensus olim emissus et nunc virtualiter perseverans, sublato impedimento quo inefficax erat, efficax reddatur, et matrimonium convalidet, non tantum in momento quo datur dispensatio, sed insuper, fictione juris, ab ipso momento contractus.

R. Ad 2^{um}) Ut patet ex dictis, in his *duobus* praecipue differt.

Explanatur. 1°) Quod **ordinaria** effectum suum non habet

nisi *a tempore quo conceditur* seu *ex nunc;* dispensatio vero **a radice** matrimonium convalidat a *tempore matrimonii initi* seu *ex tunc;* i. e. per fictionem juris, ascendendo ad radicem seu originem matrimonii, ponit res in eodem statu, ac si impedimentum nunquam exstitisset. 2°) Quod **ordinaria** impedimentum aufert in ordine ad novum consensum eliciendum; **extraordinaria** vero, absque consensus renovatione.

R. Ad 3um) *Tres* sunt *effectus.*

Explanatur. 1°) **Sanatio** vitii, quo laborabat consensus, qui inefficax reddebatur; 2°) **validitas** matrimonii, vi consensus antea eliciti, et nunc, sublato impedimento, operantis suum effectum; 3°) **legitimitas** conjugum et prolium, quae stante matrimonio natae sunt, non tantum *ex nunc sed etiam ex tunc.*

R. Ad 4um) Sic dispensare potest Ecclesia, i. e. Summus Pontifex; non vero episcopus, nisi ad id specialem facultatem a Papa obtinuerit, quod quandoque accidit. Quod autem potestas sic dispensandi competat Ecclesiae, vel ex ipsa praxi Ecclesiae deducitur, cum sic dispenset a saec. XIV ad haec usque tempora. Aliunde in hoc modo dispensandi nihil reperitur quod supremi legislatoris facultatem superet.

R. Ad 5um) *Conditiones* sunt *quatuor* sequentes.

Explanatur. 1°) Ut conjunctio conjugum extrinsecam speciem habuerit justi matrimonii, neque copula fuerit manifesta fornicaria. 2°) Ut utriusque consensus perseveraverit. 3°) Ut adsit urgens et gravissima causa. 4°) Ut agatur de impedimento juris ecclesiastici tantum (1). Cfr. Bened. XIV *de Syn.* (XIII, 21, n. 7); Const. « *Etsi matrimonialis* » (27 Sept. 1755).

(1) Sanari tamen posset in radice matrimonium quod quidem initum fuisset cum imped. juris *divini* vel *naturalis*, sed postea, jam sublato hoc impedimento, mansisset irritum ob solum imped. *juris ecclesiastici.* Ast in hoc casu effectus sanationis non protenduntur ultra tempus quo prius imped. disparuit. Sic S. Poenit. (25 April. 1890) ap. N. R. T. (XXVII, 221) in radice sanavit matrim. quod mere civiliter contraxerat mulier cath. Parisiensis, vivente adhuc priore conjuge a quo sententiam divortii obtinuerat. Cum autem, perdurante hoc adulterio, prior conjux

PARS QUARTA.

DE USU ET DEBITO CONJUGALI.

CAP. 1. De honestate actus conjugalis.

Q. 164. *An* actus CONJUGALIS sit *licitus* et possit esse *meritorius?*

R. Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 41, a. 3 et 4) *affirmative.*

Explanatur. Actum conjugalem ex se **licitum** esse et **honestum,** constat ex dictis (p. 87); et si debito fine et servatis debitis circumstantiis exerceatur, potest esse **meritorius**; non quidem *ex opere operato*, cum matrimonium, juxta communem DD. sententiam, non sit sacramentum *in facto esse* (p. 47); sed *ex opere operantis*, quatenus, ut explicat S. THOM. (*Suppl.* q. 41, a. 4), est actus virtutis moralis, scilicet: vel justitiae, reddendo debitum, vel religionis, procreando proles ad cultum Dei. « *Ne tamen inde inferas*, addit scite BILLUART, *consulendum esse conjugibus frequentare actus matrimonii : quamvis enim sint boni, non tamen sunt* OPTIMI; *sic bonum est comedere, melius tamen aliquando abstinere.* »

Q. 165. *Quis* 1°) sit debitus FINIS; 2°) *quae* vero debitae CIRCUMSTANTIAE ad actum conjugalem *licite* exercendum?

R. Ad 1^{um}) Ad quos fines licet inire matrimonium (p. 58 seq.), ad eos quoque fines opus conjugii explere omnino licitum est.

Resolvitur 1. Hinc licet actum conjugalem exercere, nedum ad fines matrimonio **intrinsecos,** i. e. ad prolem generandam, ad satisfaciendum suae obligationi, ad evitandam incontinentiam tum in se, tum in comparte; sed etiam, et quidem *principaliter*, ad fines matrimonio **extrinsecos,** sive sint **ex se honesti,** quod omnes admittunt, ut si utaris copula ad amorem conjugalem pro-

e vivis discesserat, sicque imped. *ligam.* disparuerat, jam nullum obstabat impedimentum nisi criminis et clandestinitatis. Hinc cum vir impius contrahere nollet coram parocho et testibus, matrimonium in radice sanatum fuit et legitima declarata est proles sive suscepta, sive suscipienda, non tamen in adulterio concepta.

movendum, ad sanitatem conservandam vel restaurandam; sive sint **tantum indifferentes,** quod probabilius est, ut si copulam exerceas ob voluptatem operi annexam, dummodo *positive* non excludas alios quosvis fines, in quos actio hujusmodi ordinatur (pag.60 seq.). **Resol. 2.** Contra, si finis est malus, actus conjugalis peccatum est vel leve vel grave, prout finis est leviter vel graviter malus. Hinc peccas leviter, copulam exercendo *unice* propter voluptatem; graviter vero, ea utendo mente adultera, ut si accedens ad tuam, tibi aliam repraesentes.

R. Ad 2^{um}) Circumstantiae servandae, ut copula a conjugibus licite exerceatur, respicere possunt *locum*, *tempus*, *modum* et *conditionem*.

Explanatur. A) Locus debet esse *secretus*, ne detur scandalum; et *profanus*, ne contingat violatio loci sacri. Excusantur tamen a sacrilegio, si conjuges in loco sacro ob necessitatem aliquam commorantes sine gravi periculo incontinentiae diutius a copula se continere non possent (tom.I, pag.247). — **B) Tempus** quod attinet, nulla lex invenitur, qua opus congugii ratione temporis **per se** unquam prohibeatur. Unde licet : **1°**) non tantum de nocte, sed etiam de die; **2°**) diebus dominicis et festivis, ac ipsa die communionis, etiamsi *causa voluptatis* exerceretur (tom.III, pag.81 seq.); **3°**) tempore *praegnationis*, *menstruorum*, *purgationis* et *lactationis*. Patres et Canones, qui allegantur in contrarium, debent intelligi, dum est verisimile periculum abortus aut valetudinis, et ideo dixi : *per se;* vel loquuntur de consilio non vero de praecepto; vel opus conjugii tali tempore positum reprehendunt, ut minus perfectum.—**C) Modus** alius est *substantialis*, alius *accidentalis*. Prior praecipit, ut immissio seminis fiat in vase debito. Unde graviter peccant conjuges cocundo in vase innaturali, aut vir semen effundens extra vas. In primo casu committitur *sodomia imperfecta*, in altero *onanismus*. Posterior modus praecipit, sed tantum sub levi, ut servetur situs naturalis in congressu, ita ut mulier sit succuba et vir incubus, cum sit aptior ad effundendum et recipiendum semen. Unde est veniale tantum invertere situm, vel stando vel sedendo, vel praepostere more pecudum, vel a latere, vel viro succubo, modo substantialia actus serventur : immo nullum

erit peccatum, si mutatio fiat ob aliquam rationabilem causam, v. g. aegritudinis, periculi abortus, scandali, difficultatis, etc. — **D) Conditio** requirit immunitatem ab omni impedimento usum matrimonii prohibente. Unde recolenda sunt dicta : **1°** de *voto* (pag. 113 seq.) **2°**) de *dubio* orto post nuptias de impedimento (pag. 130); **3°**) de *cognatione spirituali* (pag. 148) et *affinitate* (pag. 177), quando superveniunt matrimonio jam contracto; **4°**) de *impotentia* (pag. 196).

CAP. 2. De obligatione actus conjugalis.

Q. 166. *Quae* et *quanta* sit OBLIGATIO debiti conjugalis?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de **petendo,** vel de **reddendo.**— Si **primum** : *per se* nunquam est obligatio *petendi* debitum : potest enim quis cedere juri suo. *Per accidens* tamen potest esse obligatio **ex charitate,** praesertim in viro, si v. g. judicet compartem versari in periculo incontinentiae ob verecundiam petendi, aut si petitio necessaria sit ad fovendum vel restaurandum amorem conjugalem. Quilibet enim, quando commode potest, tenetur proximi, adeoque magis conjugis, impedire peccatum.— Si **secundum** : *per se* est obligatio **ex justitia** debitum *reddendi*, et quidem *gravis,* sicut quaelibet alia obligatio justitiae est gravis, quando materia est proportionata. Quam obligationem satis indicat Apost. (1 Cor. VII, 3 seq.) inquiens : *Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* » Dixi : *per se*, quia conjux excusatur a reddendo debitum, quando habet rationabilem causam negandi, sicut debitor excusatur, qui hic et nunc ex rationabili causa non solvit.

Q. 167. *Quandonam* conjux EXCUSETUR a *reddendo* debitum?
R. Quoties petitio non est : *seria, rationabilis, justa* ac *licita* ex parte copulae.

Resolvitur 1. ***Ex*** **primo** *capite*, obiter tantum se insinuanti modeste negare, tergiversari, deprecari, per se loquendo et secluso

alio periculo, non est peccatum. In dubio tamen praesumitur serio peti : quia res gravis est et periculi plena. **Resol. 2.** *Ex* **secundo** *capite*, sine peccato negari potest debitum : 1°) Si petatur in ebrietate, furore, amentia, aut nimis frequenter in eodem quasi tempore, v. g. ex S. Lig. (VI, 940) post Bull., saepius quam ter in eadem nocte; dummodo tamen absit incontinentiae periculum, vel gravium rixarum. 2°) Quando reddenti timetur grave periculum salutis corporalis, sive illud periculum ortum habeat ex parte petentis, utpote infecti morbo contagioso vel inficiente, ita ut illud periculum alio modo caveri non possit; sive ex parte reddentis, utpote laborantis tali morbo, cui valde noceat coitus, aut si mulier per medicorum judicium vel per experientiam antecedentis partus in probabili periculo mortis constituenda sit, si prolem concipere et parere debeat. Non item excusatur, si metuendum sit, ne proles imperfecta nascatur aut mortua : quia melius est utcumque esse, quam omnino non esse. 3°) Ob paupertatem, ne multiplicentur proles, *valet* imprimis pactum nec reddendi, nec petendi debitum, et secluso periculo incontinentiae etiam *licet*. Sed secluso tali pacto, negare debitum petenti titulo paupertatis tantum, vix videtur a mortali excusari posse, nisi in casu rarissimo, quo ob prolis multiplicationem vel parentes ipsi, vel eis vivis liberi in extremam inopiam essent redigendi, dummodo absit incontinentiae periculum. **Resol. 3.** *Ex* **tertio** *capite*, potest negari debitum : 1°) conjugi qui jure petendi debitum privatus est vel per incestum (pag. 177), vel per adulterium (pag. 92) : quia ubi cessat jus petendi, ibi consequenter cessat obligatio reddendi. 2°) Intra primum bimestre (pag. 84 seq.). **Resol. 4.** *Ex* **quarto** *capite*, negari *potest* debitum, imo per se *debet*, quoties petitio mala est ob circumstantiam se tenentem *ex parte actus conjugalis*, ut si petatur loco aut modo indebito (pag. 230) : quia ordinarie non licet cooperari ad peccatum. Dixi : *per se;* nam reddi potest, si justae et proportionatae adsint causae, vi quarum liceat se tenere permissive ad peccatum petentis, modo reddens ostendat se velle actum recte, non vero inordinate, inire. Quod si petitio sit mala ob circumstantiam se tenentem *ex parte solius petentis*, quia v. g. ipse solus obstrictus est voto castitatis, aut petit ad pravum finem, licitum est ei reddere, imo videtur obligatorium : quia non amisit per hoc

jus in corpus alterius; sicut, si quis vovisset non repetere depositum, tenerer repetenti reddere, nec cooperarer peccato, quia pono actum de se et mihi licitum.

Q. 168. *Quomodo* 1°) se geret uxor cum viro ONANISTA; et 2°) *qualiter* peccabit, actioni viri *interius* consentiendo, etsi *exterius* repugnantiam ostendat?

R. Ad 1^{um}) Etsi, in hoc casu, redditio debiti illicita sit *per se*, ac teneatur uxor, saltem *ordinarie*, virum *onanistam* de obligatione recte agendi monere, eumque pro posse a perversa agendi ratione avertere, nihilominus *per accidens* aliquando reddere *poterit*, aliquando reddere *tenebitur*, imo aliquando *petere* poterit.

Explanatur. 1°) Reddere **potest**, si negando exponatur gravi incommodo, v. g. periculo propriae incontinentiae, verberibus, gravibus rixis, blasphemiis a parte viri, etc. Constat ex S. POENIT. (1 Febr. 1823 et 8 Jun. 1842).— 2°) Insuper, instante viro, uxor, modo sufficienter ostendat se retractui non consentire, reddere **tenetur** : quia petens jus habet ad copulam et uxor debitum reddens cooperatur non quidem seminationi extra vas seu peccato *Onan*, sed copulae incoeptae, quae certe est utrique licita. — 3°) Imo, juxta sententiam probabiliorem, a marito se certo retracturo potest debitum quidem **petere**, modo sufficiens adsit causa, scilicet, ex S. LIG. (VI. 947) : «*Si ipsa esset in periculo incontinentiae, vel si deberet alias privari jure suo petendi plusquam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo, an ei sit satis grave incommodum, necne, tunc se continere.*» In tali enim casu utitur jure suo, et ex gravi causa se tenet permissive ad viri peccatum.— Ceterum, ut *secundum* procedat, scilicet ut **teneatur** reddere, requiritur : ut actus exerceatur modo *ordinario*, quamvis vir se retrahat. Unde, quod frequenter miserrimis hisce diebus practicant, si vir uteretur levi involucro, ad obtegendum membrum virile, ne semen ingrediatur in vase muliebri, existimaverim, mulierem nullo modo *teneri*, imo nunquam *posse* reddere debitum : ubi enim cessat jus petendi, ut in casu, ibi quoque cessat omnis obligatio reddendi; in casu praeterea

malitia se tenet *ex parte actus*, et actus *per se* malus est, cui nunquam licet cooperari.

R. Ad 2um) *Sub distinctione.*

Explanatur. Peccat mortaliter, si **opus ipsum malum** interius approbat deque eo, uti tali in se, gaudet.— Secus dicendum, si non de malo opere in se, sed solum **de effectu** inde secuto sibi complacet, scilicet de immunitate ab incommodis periculisque quae gestationem, partum, etc. comitantur, juxta dicta (t. I, p. 215, Q. 59).

Q. 169. *Quale* MEDIUM a confessario insinuari possit iis conjugibus, qui alioquin *onanismo* indulgerent?

R. « *A die 14 post incoepta menstrua, ad sequentem usque menstruorum recursum*, MULIEREM NON CONCIPERE, *hodie nedum probabilissimum est, sed prope certum*, » asserit post alios D'ANNIBALE. Saltem hoc tempore foecundatio raro locum habere *solet*, et ideo illud vocant tempus *generationis*. — Porro « *conjuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam de qua agitur, illis conjugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili* ONANISMI *crimine abducere frustra tentaverit*, » declaravit S. POENIT. (16 Jun. 1880) ap. N. R. T. (XIII, 460).

CAP. 3. De actibus carnalibus conjugum extra debiti exercitium habitis, ubi de peccatis conjugum.

Q. 170. Dic : 1°) *quotupliciter* distingui possint ACTUS CARNALES conjugum *extra copulae exercitium* positi ; et 2°) *quinam* eorum sint LICITI, *quinam* MORTALES, *quinam* VENIALES tantum?

R. Ad 1um) *Triplicis* generis distingui possunt.

Explanatur. Alii sunt **juxta,** alii sunt **contra,** alii sunt **praeter** finem, ob quem matrimonium primario et principaliter ab auctore naturae est institutum, i. e. generationem.

R. Ad 2um) *Sub distinctione.*

Explanatur. A) Actus, qui fiunt **JUXTA**, i. e. in ordine ad generationem seu ad copulam facilius, citius, aut perfectius exercendam, conjugibus sunt **liciti**. Quibus enim licitum est principale, licitum est quoque accessorium, ut medium necessarium vel utile ad illud ordinatum. **Hinc 1°**) culpa vacant turpiloquia, tactus aut aspectus inhonesti in proprio vel compartis corpore, si immediate ad copulam referantur, et necessarii vel utiles sint ad naturam excitandam, cum tunc sint copulae praeparatio et velut inchoatio. **Hinc 2°**) idem probabilius dicendum de tactibus, quibus uxor immediate *post* copulam, in qua vir solus seminavit, seipsam excitat : quia, licet hodie satis certum sit, semen mulieris aliud non esse nisi humorem quemdam ad conceptionem nihil omnino conferentem, non constat tamen illius effusionem inutilem esse ad foecunditatem adjuvandam (S. Lig. VI, 919).

B) Actus qui fiunt **CONTRA**, quales sunt pollutio voluntaria (sub qua venit onanismus) et crimen sodomiae, sunt **mortales**. Imo hujusmodi peccata mortalia contra naturam, ut scite notat Bill. sunt *graviora* inter conjuges, quam inter solutos, « *utpote* quasi adulterium *contra fidem, quae prohibet omnem usum carnis extra limites conjugii, et obligat, ut uterque servet alteri corpus suum.* » **Hinc 1°**) gravissime peccant conjuges coeundo in vase praepostero, estque peccatum sodomiae imperfectum (t. I, p. 250 seq.).— Utrum vero mortale sit copulam inchoare *in ore*, ut dein *in vase naturali* consummetur, DD. *disputant*. Aliqui **negant**, si obiter fiat, et absit periculum pollutionis ; alii communius **affirmant** cum S. Lig. (VI, 935) : « *tum quia in hoc actu ob calorem oris adest proximum periculum pollutionis ; tum quia hoc per se videtur nova species luxuriae contra naturam, dicta ab aliquibus* irrumatio. » Unde quoque de tali actu gravissime pronuntiat Bill. : « *Esse nefandissimum flagitium contra naturam, includens insuper rationem aliquam adulterii, ut dixi, et sodomiae imperfectae.* » —Magis DD. *dubitant* de mera *perfricatione virilium* circa os uxoris, si absque pollutionis periculo obiter fiat, non ex affectu sodomitico, sed in attestationem et conservationem mutui amoris. Audiatur Bill. : « *Simpliciter osculari, lambere obiter,* solum *ore excipere verenda viri, aut ea fricare in superficie vasis posterioris uxoris, excusant a mortali* Filliucius, Jacobus Marchantius, Sanchez, *quos citat et sequitur*

SPORER : *quia sic habentur pro tactibus impudicis.* » Quare, stante gravissimorum DD. controversia, hoc *certo certius* de mortali damnare non auderem. Interim scribit SPORER : « *Possunt hae sententiae servire confessario* POST FACTUM *; sed* ANTE FACTUM *nullo modo consulendae, quin imo graviter reprehendendi sunt talia factitantes.* » Et merito quidem; eo magis « *quia saltem*, ut habet S. LIG. (VI, 916), *talis actus non potest* MORALITER *fieri sine affectu sodomitico.* » **Hinc 2°)** mortales sunt tactus, qui *per se* seu *ex natura sua* ita ad pollutionem tendunt, ut sint quasi pollutio inchoata, et in eo loco exercentur, ubi non est opportunitas statim copulae habendae. *Duplex* **exemplum** dat SANCHEZ (l. IX, disp. XLV, n. 34) : « *Ut si vir a femina petat, ut ejus virilia attrectet moveatque; — aut velit digitos in uxoris vas intromittere ibique persistere, quasi copulam exercendo, utens digitis instar membri virilis.* »

C) Actus qui fiunt **PRAETER,** i. e. qui nec utiles sunt nec nocivi generationi, neque liciti sunt, quia a suo fine deflectuunt; nec graviter illiciti, alias societas matrimonialis praesentissimum aeternae damnationis periculum foret; adeoque sunt **veniales** tantum, et consequenter pro confessione materiam *non necessariam*, sed *liberam* constituunt (t. III, p. 202 seq.). — **Hinc 1°)** oscula, tactus honesti aut etiam minus honesti, si inter conjuges fiant ex sola carnali voluptate, nonnisi culpam venialem constituunt, etiamsi exsurgerent motus pravi aut distillatio. — **Hinc 2°)** contra omni culpa vacant, si fiant in ordine ad copulam, vel ad fovendum amorem conjugalem, vel ad avertendam suspicionem propensionis erga aliam personam, vel saltem ad concupiscentiam sedandam, etiamsi per accidens aliquando sequatur involuntaria pollutio. — **Hinc 3°)** quid sentiendum sit de *actibus imperfectis*, qui inter conjuges exercentur absque congrediendi intentione, hisce verbis tradit DIANA (tom. II, tr. 6, res 205 seq.), quem hoc loco memorat BALLERINI : « *Communiter*, ait, *notant* DD., *cessante in utroque conjuge pollutionis periculo, non peccare maritum* **mortaliter,** SI COEPTAM COPULAM ANTE SEMINATIONEM ABRUMPAT, *ne proles generetur, modo id faciat uxore consentiente aut non rationabiliter invita.* » Nec aliter loquitur BILL., inquiens : « *Si, cessante omni periculo pollutionis in utroque conjuge, mutuo consensu copulam abrumpant,* ANTEQUAM SALTEM FOEMINA SEMINAVERIT, *ne proles generetur, ob inopiam, sive*

ob aliam causam, non peccare **mortaliter** *docent satis communiter DD.* Cajet., Palud., Armilla, Sporer, Basilius, Pontius, *et alii. Quia illa vasis foeminei penetratio, absque seminatione et pollutionis periculo, reputatur instar tactuum pudendorum, qui inter conjuges excusantur saltem a mortali. Dixi :* antequam foemina saltem seminaverit; *quia si foemina jam seminaverit, aut ad id excitata sit, lethale crimen erit abrumpere copulam ante seminationem viri.*» Ulterius quam plerique alii progreditur Diana additque : « *Immo si justa causa adsit impediendi seminationem, v. g. ob paupertatem ac multitudinem prolis et nihilominus concubandi ad sedandam concupiscentiam,* **omnem culpam abesse,** *si mutuus consensus accedat... Unde non erunt damnandi etiam de culpa veniali conjuges infirmi, qui ad sedandam concupiscentiam inciperent copulam et voluntarie illam minime perficerent... Quia non est peccatum dare operam rei licitae et actioni honestae, quamvis praevideatur secutura pollutio, dummodo absit periculum consensus,.. quia tunc pollutio non est in se volita, ut supponitur, neque dici potest volita in causa, quia non teneor illam actionem omittere, ne sequatur pollutio, stante justa causa.* » Quam sententiam Dianae simpliciter refero, minime vero approbare intendo.— **Hinc 4°**) quando conjux non animo copulandi, sed solius voluptatis capiendae gratia, se ipsum tangit libidinose cum commotione venerea spirituum generationi servientium, *distingui* debet : num id fiat *in praesentia* alterius conjugis, ubi statim haberi possit copula ; num vero *in absentia.* Si **1**^{um}) : est peccatum tantum veniale. Si **2**^{um}) : utrum *mortale* sit, DD. *disputant.* Alii **negant,** si absit pollutionis periculum : quia hujusmodi tactus natura sua referuntur ad copulam, esto ea actu non intendatur, vel non sit hic et nunc possibilis, quod est per accidens. Alii **affirmant** : quia tunc hujusmodi tactus ad pollutionem referuntur. Quae sententia ex S. Lig. (VI, 956) est « *probabilior et in praxi omnino suadenda.* » Quibus tamen verbis nequaquam significat, ut recte notat Ballerini, « *poenitentibus ingerendam a confessario esse opinionem de gravi in hisce actibus reatu : nam ipse aperte et vehementer eos increpat ac damnat, qui peccati mortalis,* ubi de re non sunt certissimi, *conscientiam injiciunt.*» — **Hinc 5°**) licet juxta sententiam communem id peccatum veniale sit, probabile tamen censet S. Lig. (V, 25), « *licitum esse conjugibus delectari, etiam*

carnaliter, de copula habita vel futura, semper ac absit periculum pollutionis : quia ipse status matrimonialis haec omnia licita reddit : alias nimiis scrupulis esset obnoxius » (Cfr. tom. I, pag. 217). Cui sententiae favet S. Thom. (*De malo*, q. 15, a. 2 ad 17), ubi docet, talem esse delectationem, quale est objectum; atqui hujus delectationis objectum seu ipsa copula conjugalis conjugibus de se semper est licita, esto hic et nunc per accidens sit impedita. — Quod tamen semper intelligendum est de copula cogitata inter ipsos conjuges : nam *etiam in actu conjugali cum proprio conjuge* imaginari sibi aliam personam *carnaliter* dilectam, peccatum mortale est. Dixi : *carnaliter;* nam si imaginatio seu delectatio versaretur circa aliam personam praecise ut *naturaliter* delectantem ob suam pulchritudinem, idque ob honestum finem se excitandi ad seminationem, vel ut proles formosior concipiatur, per se loquendo nullum saltem mortale agnoscit Sanchez, etsi fateatur, rem esse periculi plenam nec permittendam. — Dissuadendum quoque est, se excitare respiciendo ad imagines *profanas* utriusque sexus; immo *sacras* ad hoc adhibere foret gravis irreverentia.

Q. 171. *An* peccent conjuges qui, ad vitandam prolem, copulam non habent nisi solo tempore *agenesecos*, seu quo foecunditas raro locum habere solet?

R. 1°) *Per se* peccant : quia sic *positive* excludunt finem primarium, ob quem matrimonium est institutum; in quo habetur inordinatio. Sed non peccant *graviter*, dummodo neuter versetur in periculo incontinentiae : quia finis praecepti non cadit sub praecepto. 2°) Itaque a *veniali* non excusabuntur, si justam ita agendi non habeant causam. 3°) Quod si hujusmodi causam habeant, *nullo modo* peccant, ut si ita faciant ob paupertatem ac multitudinem prolis (pag. 236 seq.).

Resolvitur 1. Ex quibus concludimus, confessarium posse hanc agendi rationem poenitentibus caute insinuare, qui alias longe gravioris *onanismi* criminis periculo exponerentur (pag. 234).

Q. 172. Ad *quid* attendere debeat confessarius, dum audit confessiones *conjugum?*

R. Ad *duo* praesertim attendat : — tum ut *sacramenti* sanctitati, — tum ut saluti *poenitentium* prospiciat.

Resolvitur 1. Confessarius non tenetur, nec debet de rebus, ad usum matrimonii spectantibus, sermonem injicere, **nisi urgeat necessitas**. Quod addo : quia aliquando non solum potest conjuges desuper interrogare, sed imo hoc facere tenetur (tom. III, pag. 537). Constat ex prop. damnata : « *Nunquam expedit interrogare de hac materia utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur, ne conjuges, sive vir sive uxor, abutantur matrimonio ;* » quam propositionem S. U. I. (21 Maii 1851) censuit « *prout jacet, esse falsam, nimis laxam et in praxi periculosam.* » Praeterea quod **interrogationes** attinet a confessariis faciendas circa **Onanismum**, sequentia sunt memoranda. Ad **dubium** : « *An suo muneri satisfaciant illi confessarii, qui cum poenitente, onanismi peccatum accusante altum silentium servant, et finita confessione peccatorum, illum verbis generalibus ad contritionem excitant, illique asserenti se detestari omne peccatum lethale, sanctam absolutionem impertiuntur ?* » S. Poenit. (14 Dec. 1874) **respondit** : « *Negative.* » Item ad **dubia** : **1°**) *Quando adest* FUNDATA SUSPICIO, *poenitentem qui de* Onanismo *omnino silet, huic crimini esse addictum, num Confessario* LICEAT A PRUDENTI ET DISCRETA INTERROGATIONE *abstinere eo quod praevideat plures a bona fide exturbandos, multosque sacramenta deserturos esse? Annon potius* TENEATUR CONFESSARIUS PRUDENTER AC DISCRETE INTERROGARE? **2°**) *An confessarius, qui, sive ex spontanea confessione, sive ex prudenti interrogatione cognoscit poenitentem esse Onanistam,* TENEATUR *illum de hujus peccati gravitate aeque ac de aliorum peccatorum mortalium,* MONERE, *eumque, uti ait Rituale Romanum, paterna charitate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet, eumdem dolere de praeterito, et habere propositum non amplius onanistice agendi?* » S. Poenit. (10 Mart. 1886) **respondit** : « *Attento... vitium infandum, de quo in casu, late invaluisse... ad 1um regulariter* NEGATIVE *ad 1am partem,* AFFIRMATIVE *ad 2am ; ad 2um* AFFIRMATIVE, *juxta doctrinas probatorum auctorum.* » **Resol. 3.** Si urgeat necessitas, confessarius **non plus investiget quam opus sit** (t. III, p. 256 et 537), ac insuper utatur iis verborum formis, quae *quam decentissimae* habeantur : tum **1°**) ne scandalum pariat et sibi, et poenitentibus, et etiam aliis, cum non raro poenitentes de dictis confessariorum cum aliis loquantur; tum **2°**) ne forte apud impios

capiatur in sermone, aut etiam penes Ordinarium de crimine sollicitationis denuntietur (tom. III, pag. 345 seqq.), quasi in actu confessionis, ut ait Greg. XV (Const. *Universi dominici gregis*), « *turpes habuerit sermones.* » **Resol. 3.** Si interrogetur a poenitente circa licita vel illicita in usu matrimonii, ipsi significet, praeter inordinationem quae est **contra naturam** (p. 255 seq.), i. e. praeter ea, quae generationi seu fini ob quem matrimonium primario et principaliter est institutum, positive adversantur, vix aliquid inter conjuges reperiri, quod **certo** sit peccatum **mortale,** atque adeo quod sit materia *necessaria* confessionis, licet leves culpae variis de causis intercedere possint. **Resol. 4.** Quod ad **leves** hujusmodi culpas attinet, « *tria sunt*, ut recte scribit Ballerini, *de quibus utiliter poenitens monebitur :* 1°) *ab iis culpis* **excusari** *eum conjugem, qui cum sine alterius offensione quaedam recusare non possit, passive quodammodo se habet, ea scilicet non exigens, sed mere consentiens seu permittens ;* 2°) *ubi excusatio ista non adsit, ac poenitens leves hasce culpas confiteri malit (nam confiteri venialia necessarium non est) utendum in confessione prorsus esse generali formula* alicujus levi culpae in conjugali officio praestando, *nec unquam designandum, cujusmodi illi actus fuerint : sanctitas enim sacramenti et periculum huic materiae insitum exigunt omnino, ut mere quod sufficiens sit, nihil vero superflui exprimatur ;* 3°) *si poenitens forte incidat in confessarium adeo imprudentem, ut quidpiam ulterius investigando sciscitetur, posse eum, imo et debere modeste reponere,* nihil esse quod ea de re addat. »

APPENDIX.

CAP. UNIC. De juris civilis solemniis non omittendis.

Q. 173. An solemnitates *a jure civili* pro matrimonii celebratione praescriptae sint omittendae?

R. *Negat.*, etsi ad valorem matrimonii coram Deo ejusque Ecclesia nullo modo requirantur, ut constat ex dictis (pag. 45, 47, 67);—immo, sine causa eas omittere gravi culpa non vacat.

Explanatur. Ratio horum est : quia, cum in foro civili matrimonium non intelligatur, nisi ex jure civili coitae sint nuptiae ;

omisso actu civili, seu praetermissis juris solemnitatibus, nec vir, nec uxor, nec liberi legitimi jure civili intelliguntur. Ex quo nata sunt sequi damna gravissima : tum **spiritualia**, quia alteri ab altero discedere integrum est et ad alia vota civilia transire; tum **temporalia**, quae contingere possunt sive sacerdoti, cum graves multas subire debeat, si legem hanc transgrediatur; sive uxori, quam vir alere cogi non potest; sive futuris liberis, maxime si parentes eos postea non agnoverint et morientes non scripserint haeredes. Audiatur *Inst.* S. Poenit. *circa contr. quem matr. civile appellant* (15 Jan. 1866) inquiens : « *Quamvis autem verum fidelium matrimonium tum solum contrahatur, quum vir et mulier impedimentorum expertes, mutuum consensum patefaciant coram parocho et testibus.... atque ita contractum matrimonium suum valorem obtineat, nec opus sit, ut a civili potestate ratum habeatur aut confirmetur; attamen* AD VEXATIONES POENASQUE VITANDAS ET OB PROLIS BONUM, *quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam* AD POLIGAMIAE PERICULUM AVERTENDUM, *opportunum et expediens videtur, ut iidem fideles... se sistant actum lege decretum exequuturi, ea tamen intentione* (uti Bened. XIV *docet in Brevi* 17 Sept. 1746, Redditae sunt Nobis) *sistendo se Gubernii officiali nil aliud faciant, quam ut civilem caeremoniam exequantur.* »

Resolvitur. Hinc parochi 1°) necesse habent de damnis hujusmodi sponsos certiores reddere, idque exigit quoad *temporalia* CHARITAS, quoad *spiritualia* PASTORIS OFFICIUM; 2°) curare debent, ut solemnia juris civilis a fidelibus impleantur. « *Hunc tamen actum*, ait S. Poenit. (loc. cit.), *antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Et si qua coactio aut absoluta necessitas* [ut plerumque]... *ejusmodi ordinis invertendi causa esset, tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia quam primum contrahatur, atque interim contrahentes sejuncti consistant.* » Unde *Leo XIII*, in decreto (17 Mart. 1879) supra (pag. 168) citato, loquens de isto actu civili, simpliciter dicit : « *matrimonio jam rite celebrato* VEL *cum animo illud quantocius celebrandi.* »

Q. 174. *Quomodo* in his partibus agendum, si quis coram Ecclesia vel 1°) *inire intendat*, vel 2°) *jam contraxerit*, sed,

in utroque casu, sive *neglecto actu civili*, sive *cum impedimento civili dirimente?*

R. Ad 1^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Si coram Ecclesia contrahere intendat **A) neglecto actu civili,** non est *regulariter* admittendus, nisi prius fuerit civiliter conjunctus, idque ob triplicem causam modo assignatam : **1°**) ad vexationes poenasque vitandas quas leges intentant in sacerdotem secus facientem ; **2°**) ob bonum conjugum et futurae sobolis ; **3°**) ob bonum ipsius religionis, cum secus conjux nequam posset ad libitum compartem deserere et cum alia aliud civile matrimonium inire. — Dixi : **regulariter;** nam dari possunt casus, in quibus ob salutem animae, quis recte jungatur, imo a sacerdote jungendus sit absque actu civili ; idque apud nos innuit ipsa Constitutio belgica (art. 16), inquiens : « *Le mariage devra toujours précéder la bénédiction nuptiale, sauf les exceptions à établir par la loi, s'il y a lieu ;* » quae exceptiones a lege nondum stabilitae sunt. — Si vero contrahere intendat **B) cum impedimento civili,** videndum est, *cujusnam* naturae sit. **1°**) Si sit impedimentum in quo a jure civili dispensari **non solet,** ille regulariter a tali matrimonio est avertendus. **2°**) Si vero tale sit impedimentum in quo dispensari **solet,** et matrimonium praevideatur futurum faustum, ille paterne adjuvandus est, ut dispensationem facilius obtineat.

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Si jam contraxerit **A) neglecto actu civili,** hortandus est ut, nisi obstet causa specialis, actum civilem perficiat, ob rationes modo allatas. Si jam contraxerit **B) cum impedimento civili dirimente,** videndum est, utrum hoc impedimentum inducat nullitatem **perpetuam,** an vero tantum **temporaneam.** — **1°**) Si **perpetuam,** quia v.g. in matrimonio civili omnino defuit consensus, prudenter curandum est, ut nemo vel cogitet vel curet de recursu ad tribunalia habendo et de postulanda in foro civili matrimonii civilis annulatione. **2°**) Si **temporaneam,** i. e. quando nullitas legaliter purgari potest, vel per ratihabitionem, vel per temporis spatium, ut v. g. per cohabitationem sex mensium in casu violentiae gravis, caute curandum est, ut haec nullitas ab

interesse habentibus non invocetur, quamdiu non fuerit legaliter purgata.

Q. 175. *Quomodo* agendum, si quis, *antequam* coram Ecclesia contraxerit, juris civilis solemnia *adimplevisset* cum impedimento *civili dirimente?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel nullitas ex impedimento est **temporanea** tantum, vel est **perpetua**. — Si **primum** : generatim loquendo, curandum est, ut illico quantum fieri possit illa nullitas purgetur, et si praevideatur eam ab interesse habentibus invocandam esse, ad canonicam matrimonii celebrationem tunc tantum procedi debet, quando purgatio fuerit obtenta. At in hoc casu monendus est, ne interea cum comparte sic juncta matrimonialiter vivat, et ut purgata nullitate, sine mora coram Ecclesia matrimonium celebretur. Contra, si praevideatur nullitatem a nemine invocandam esse, eamque certe legaliter brevi purgandam, aliquando satius erit, statim matrimonium in facie Ecclesiae celebrare. — Si **secundum**: ad canonicam celebrationem licet procedere, quando fundate praesumitur, matrimonium civile ob eam nullitatem a nemine unquam impetendum esse, praesertim si concubinatus aliave ejusmodi mala ita sint evitanda; ubi vero fundate praevidetur ob illud impedimentum annulationem esse petendam, patet, in illo casu a canonica matrimonii celebratione generatim esse abstinendum. — Cfr. Van Hemel, *De formis civilibus matr. christ. praemittendis.*

Scholion. Plura eorum quae in Codice civili gallico statuuntur in ordine ad matrimonium civile, nuper in Belgio partim fuerunt modificata, partim etiam abrogata per Legem 8 Maii 1896, cujus principaliores dispositiones sunt sequentes :

La loi du 8 Mai 1896 sur le mariage.

Art. 1. L'article 148 du Code civil est remplacé par la disposition suivante : « *Le fils et la fille qui n'ont pas atteint l'âge de 21 ans accomplis ne peuvent contracter mariage sans le consentement de leur père et mère : en cas de dissentiment, le consentement du père suffit.* » — **Art. 2.** L'art. 149 du Code civil est remplacé par la disposition suivante : « *Si le père ou la mère est mort, si l'un des deux est dans l'impossibilité de*

manifester sa volonté ou s'il est absent, le consentement de l'autre suffit. » — **Art. 3.** L'art. 150 du Code civil est remplacé par la disposition suivante : « *Si le père et la mère sont morts, s'ils sont dans l'impossibilité de manifester leur volonté ou s'ils sont absents, les aïeuls et les aïeules les remplacent.* » — **Art. 4.** Les articles 151, 152 et 153 du Code civil et l'art. 3 de la loi du 16 août 1887 sont remplacés par les dispositions suivantes : « Art. 151. *Les enfants légitimes qui ont atteint la majorité fixée par l'article 148 sont tenus, avant de contracter mariage, de demander par un acte respectueux et formel le conseil de leur père et de leur mère, à moins que ceux-ci ne soient dans l'impossibilité de manifester leur volonté.* » — « Art. 152. *A défaut de consentement sur un acte respectueux, il pourra être passé outre, un mois après, à la célébration du mariage. Toutefois si le fils ou la fille n'a pas atteint l'âge de 25 ans accomplis, le père et, à défaut du père, la mère, peuvent dans les quinze jours de la notification, prendre leur recours contre celle-ci. — Ce recours est formé par assignation à jour fixe devant le tribunal civil de première instance du domicile ou de la résidence de l'enfant. — Le délai de comparution est de huitaine; le jugement n'est pas susceptible d'opposition, mais il peut être frappé d'appel dans la quinzaine du prononcé, s'il est contradictoire, ou de la signification, s'il est par défaut; le délai de comparution devant la cour est de huitaine. — Le tribunal et la cour instruisent la cause d'urgence. — Si les motifs du refus sont reconnus fondés, le juge ordonne de surseoir à la célébration du mariage.* » — « Art. 153 *Le futur époux qui justifie de son indigence peut faire dresser l'acte respectueux par l'officier de l'état civil de son domicile ou de sa résidence. Cet acte doit être notifié dans la huitaine au père ou à la mère, par l'officier de l'état-civil du domicile ou de la résidence de ceux-ci ou par son délégué.* » — **Art. 5.** L'article 155 du Code civil est remplacé par la disposition suivante : « *Il n'est pas nécessaire de produire soit l'acte de décès du père ou de la mère, soit des actes de décès des père et mère, lorsque, dans le premier cas, la mère ou le père et, dans le second cas, les aïeul et aïeule attestent ces décès.* » — **Art 7.** L'article 160 du Code civil est remplacé par la disposition suivante : « *S'il n'y a ni père ni mère, ni aïeuls ni aïeules, s'ils se trouvent dans l'impossibilité de manifester leur volonté ou si l'ascendant dont le consentement est requis est absent, les fils ou filles mineurs de 21 ans ne peuvent contracter mariage sans le consentement du conseil de famille.* »

DE INDULGENTIIS ET JUBILAEO.

PRAEAMBULUM. Ut dictum fuit in Tractatu *de Poenitentia* (tom. III, pag. 191), remissa culpa, semper remittitur poena aeterna, remanet tamen saepe *poena temporalis*, vel in hoc vel in futuro saeculo obeunda. Estque de fide ex TRID. (Sess. XIV de poenit. can. 12) : « *Si quis dixerit totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo..., anathema sit.* » At haec poena temporalis *variis modis* in hac vita redimi potest. Sive I°) EX OPERE OPERATO, scilicet per sacrificium missae et satisfactionem sacramentalem. Sive 2°) EX OPERE OPERANTIS, per propria opera satisfactoria quae, docente CATECH. ROM. (*de poenit.* n. 105), praecipue ad haec tria reducuntur : orationem, jejunium et eleemosynam ; item patienter tolerando varias aerumnas a Deo inflictas. Quo spectat definitio TRID. (Sess. XIV *de poenit.* can. 13) jam supra allata (tom. III, pag. 280). Item propositio damnata in BAIO sub n. 77 : « *Satisfactiones laboriosae justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.* » Sive demum 3°), ut de ceteris mediis taceam, ex APPLICATIONE THESAURI ECCLESIAE, nempe per indulgentias, quibus satisfactiones superabundantes Christi et Sanctorum quae hunc thesaurum constituunt, vi potestatis clavium extra sacramentum, applicantur rite illas lucrantibus. De istis indulgentiis agetur in praesenti tractatu, quem, antiquorum vestigia secuti, inscripsimus : **de indulgentiis et jubilaeo** ; non ideo, quod Jubilaeum ab indulgentia essentialiter differat : est enim species indulgentiae plenariae ; sed quia cum certa solemnitate a R. P. conceditur variaque annexa habet privilegia, quibus ceterae indulgentiae destituuntur. Itaque hujus tractatus **duplex** erit **pars.**

In **prima parte**, sub diversis capitibus, agetur : 1°) de *quidditate* indulgentiarum, *divisione, utilitate et potestate eas concedendi deque earum publicatione* ; 2°) de *viris* quibus applicantur indulgentiae ; 3°) de *defunctis* ; 4°) de *operibus injunctis* pro indulgentiis lucrandis ; 5°) de *tempore* quo incipiant indulgentiae lucrandae, deque *duratione, cessatione et translatione* indulgentiarum ; 6°) de quibusdam indulgentiis in specie : *viae crucis, altaris privilegiati, coronarum, scapularium* ; quibus omnibus addetur **quadruplex Appendix : A**) De *Gregoriano tricenario*, de *altari S. Gregorii in monte Coelio* et de *altaribus Gregorianis ad instar*. **B**) De *confraternitatibus*. **C**) De *Tertio Ordine saccu-*

lavi S. Francisci. **D**) De selectis quibusdam *precibus jaculatoriis* cum indulgentiis *toties quoties*, quae omnes defunctis sunt applicabiles.

In **secunda parte** dicetur : 1°) de *natura* jubilaei, *antiquitate, divisione* et aliarum indulgentiarum tempore jubilaei *suspensione;* 2°) de *operibus* ad lucrandum jubilaeum praemittendis : 3°) de *privilegiis* in jubilaeo concedi solitis.

PARS PRIMA.

DE INDULGENTIIS.

CAP. 1. De quidditate indulgentiarum, divisione, utilitate et potestate eas concedendi deque earum publicatione.

Q. 1. *Quid* sit INDULGENTIA ?

R. Indulgentia *generatim* sumpta est remissio proprii juris in gratiam alterius. — Ex *usu* autem Ecclesiae et TT. INDULGENTIA ad mentem S. TH. (*Sup.* q. 25, 26 et 27) definiri potest : *relaxatio poenae temporalis debitae peccato personali quoad culpam et poenam aeternam remisso, coram Deo, facta ab Ecclesia extra sacramentum virtute clavium, per applicationem satisfactionum Christi et SS.*

Explanatur. Dicitur : **1°) relaxatio poenae temporalis** ; quia per indulgentiam nulla culpa dimittitur, sed poena temporalis dumtaxat, quae etiam post acceptam justificationis gratiam, et culpam una cum reatu poenae aeternae remissam, plerumque restat exsolvenda in hoc vel futuro saeculo. Unde quando dicitur per indulgentiam *peccata remitti*, nomen *peccati* pro poenae temporalis reatu usurpatur. — Dicitur : **2°) debitae peccato personali** ; quia peccatum originale ejusque poena remittitur per baptismum (tom. II, pag. 451). — Dicitur : **3°) quoad culpam et poenam aeternam remisso** ; quia, manente culpae et poenae aeternae reatu, justitiae consentaneum non est, ut remittatur reatus poenae temporalis debitae. — Dicitur: **4°) coram Deo,** i.e. in foro interno; tum ut excludatur error illorum qui volunt, indulgentiam non remittere poenam divinae justitiae debitam, sed tantum relaxare

poenitentiam a confessario impositam aut imponendam juxta antiquos canones poenitentiales; tum ad significandum, quod indulgentia non liberet a poenis quae debentur in foro externo, sive ecclesiastico, sive civili; sed ab iis poenis quas homo justitiae divinae persolvere debet.—Dicitur: 5°) **facta ab Ecclesia extra sacramentum virtute clavium** : quia concessio indulgentiarum non fit virtute alicujus sacramenti aut missae sacrificii; sed est actus jurisdictionis ecclesiasticae in foro externo. — Dicitur: 6°) **per applicationem satisfactionum Christi et SS.**; habet siquidem Ecclesia **thesaurum** *inexhauribilem*, conflatum ex satisfactionibus Christi, quae sunt infiniti valoris, et satisfactionibus superabundantibus SS., quippe qui vel nullum peccatum commiserunt, qualis fuit B. M. V., vel si aliquod commiserunt, uberiora opera satisfactoria peregerunt plusque passi sunt, quam opus fuerit pro remissione poenae temporalis eorum peccatis debitae. « *Quem quidem* **thesaurum**, » ait Clem. VI in Extrav. « *Unigenitus* » (de poenit. et remiss.), « *non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum, coeli clavigerum, ejusque successores suos in terris vicarios*, **commisit fidelibus salubriter dispensandum**; » tum ne alioquin hujusmodi satisfactiones superabundantes, quoad vim *satisfaciendi*, a Deo irremuneratae remaneant; tum ut in corpore mystico Ecclesiae perfecta servetur *Sanctorum communio*, et quod uni ejusdem membro superabundat alteri communicetur, prout in corpore sano fieri assolet. Et quoniam iste **thesaurus** sit mere *spiritualis*, utpote constans ex satisfactionibus Christi et SS., quae sunt quid sprirituale, utique is in *nullo loco materiali* hujus mundi repositus jacet, sed exsistit dumtaxat in *mente Dei*, in quantum jugiter recordatur satisfactionum superabundantium quibus conflatur, ac efficaciter movetur ad misericordiam praestandam iis quibus applicantur ab Ecclesia.—Ceterum satisfactionibus Christi merito junguntur satisfactiones SS. non quidem per modum **supplementi**, cum Christi satisfactiones fuerint sufficientissimae, utpoto valoris infiniti; sed per modum « **cumuli**, » ut loquitur idem Clem. VI. Idque Christo **injuriosum** non est, sed potius ad ejus gloriam confert : non solum quia honos servo exhibitus in dominum redundat, sed etiam quia omne bonum Sanctorum ex Christi meritis promanat.

Resolvitur 1. Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 25, a. 1 in c.) indulgentiae valent non solum **in foro Ecclesiae,** sed etiam **in foro Dei,** i. e. liberant hominem, non solum a poenis ab Ecclesia sive per sacerdotem, sive per canones injunctis, sed etiam a poenis Deo debitis et in Purgatorio luendis. Secus « *Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet Purgatorii, absolvendo a poenitentiis injunctis.* » Sicque verum non esset, quod tamen credere tenemur, scilicet : *indulgentiarum usum populo christiano maxime salutarem esse*, ut docet Trid. (Sess. XXV *de Ind.*). **Resol. 2.** Potest quis per indulgentias liberari a poenis temporalibus divinae justitiae debitis, etiam quando in Bulla indulgentiae expresse conceduntur cum clausula : **de poenitentiis injunctis.** Quia ista particula *de poenitentiis injunctis* non debet censeri restrictiva, sed potius ampliativa, quasi diceretur : *etiam de injunctis.* Quod cum Bull. *triplici* probatur argumento : 1°) Quia juxta regulam juris : *ubi majus conceditur, etiam minus concessum esse videtur*, in eodem scilicet genere. Sic, si cui concedatur facultas absolvendi a reservatis, intelligitur etiam a non reservatis. Atqui majus est remittere poenas a confessario injunctas quam injungendas, cum injunctae non solum jure *divino*, sed etiam *humano* sint debitae. Ergo. 2°) Dum Pontifex concedit indulgentiam plurium dierum vel annorum, nescit an tanta poenitentia sit a confessario injuncta; imo potius scit tantam non esse injunctam, cum juxta hodiernam Ecclesiae praxim tanta non injungatur. Ergo non intelligit tantum de poenitentia a confessario injuncta, sed de ea quae posset injungi, vel per Canones est statuta, quae vero sensu potest dici injuncta, quia per Canonem est praefixa. 3°) Quia alioquin indulgentiae forent hodie exiguae utilitatis : cum, ut dictum est, exiguae soleant nunc injungi poenitentiae. **Resol. 3.** Ex Bull. (*de indulg.*) **thesaurus Ecclesiae** sic recte definitur : « Valor satisfactorius bonorum operum Christi et Sanctorum, qui non fuit eis necessarius pro expiatione propriorum peccatorum, permanens in acceptatione Dei ad utilitatem corporis Ecclesiae, cujus Christus est caput, Sancti et omnes fideles membra et qui proinde applicari potest ejusdem corporis membris quae indigent. Dixi : *valor satisfactorius ;* duplex enim est valor in bono opere : unus *meritorius* ratione

gratiae et charitatis, a quo procedit et respicit praemium obtinendum a praemiante, adeoque bonum merentis, aut illius cui meretur. Alter *satisfactorius* ratione difficultatis, laboris et poenalitatis in opere, et respicit jus alienum reparandum, adeoque directe bonum laesi, non satisfacientis, nisi indirecte, quatenus eum liberat a debito. » **Resol. 4.** Merito damnatae fuerunt sequentes propositiones. — A Mart. V in Conc. Const. haec Joan. Wikleff sub. n. 12 : « *Fatuum est credere indulgentiis Papae et Episcoporum.* » — A Leon. X per Bul. « *Exsurge Domine* » (16 Maii 1520) hac sequentes Lutheri : sub n. 17 « *Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum ;* » sub n. 18 « *Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum ; et sunt de numero eorum, quae licent, et non de numero eorum, quae expediunt ;* » sub n. 19 « *Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam ;* » sub n. 20 « *Seducuntur credentes indulgentias esse salutares et ad fructus spiritus utiles.* » — A S. Pio V Bul. « *Ex omnibus afflictionibus* » (1 Oct. 1567) haec Mich. Bai sub n. 60 : « *Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta ; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.* » — A Pio VI Bul. « *Auctorem fidei* » (28 Aug. 1794) propositiones sequentes Syn. Pist. : sub n. 40 « *Indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti ;* » sub n. 41 « *Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et claraе notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum ;* » sub n. 42 « *Luctuosius adhuc esse quod chimerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos.* »

Q. 2. *Quotuplici* ratione distinguatur INDULGENTIA?
R. *Quadruplici* ratione distinguitur.

Explanatur. 1°) Ratione **objecti,** cui inhaeret, est vel **personalis,** vel **localis** aut **realis,** prout conceditur immediate : — vel *personis*, v.g. confraternitati ; — vel alicui *loco*, v.g. ecclesiae,

altari alicujus sancti aut statuae loco permanenter adhaerenti, etc.; — vel alicui *rei* mobili v. g. coronis, iconibus, numismatibus, etc.

2°) Ratione **effectuum,** quos producit, est **plenaria** vel **partialis**, prout conceditur vel sine limitatione ad integram poenam temporalem remittendam, vel cum limitatione ad partem tantum delendam, ut est indulgentia 100 dierum, 7 annorum, etc., i. e., juxta *communem* sententiam, remissio tantae poenae, quanta olim remittebatur vel remissa fuisset per poenitentiam canonicam ejusdem temporis. Quanti autem valuerint coram Deo poenitentiae canonicae et quanti nunc valeant indulgentiae partiales tot dierum vel annorum, nos omnino latet, cum ignoremus qualem proportionem satisfactiones nostrae habeant cum poena Deo pro peccatis nostris debita. Neque **objicias** contra hanc *communem* sententiam : quandoque fuisse concessas indulgentias **mille,** imo **decem millium** et ultra annorum, quales nunquam impositae fuerunt per veteres Canones. **Respondetur** enim : plures et graves DD. hujusmodi indulgentias rejicere ut fictas a quaestoribus et nunquam ab Ecclesia probatas. Sic Bened. XIV (*de Syn.* l. XIII, cap. XVIII, n. 8) agens de hujusmodi indulgentiis et loquens de Card. Thomasio, de eo dicit : « *Postquam multa eruditione... demonstravit, quanta moderatione usi sint Romani Pontifices in indulgentiis concedendis quas scilicet paucorum plerumque annorum largiri solebant,* sapienter *concludit, incredibiles ac plane improbabiles esse concessiones indulgentiarum millenorum annorum; eoque magis, quod assertae concessiones plerumque ad ea tempora referantur, quibus maxime viguit praememorata moderatio.* » — Verum dato, quasdam hujusmodi indulgentias ab hac regula esse excipiendas et habendas esse ut **authenticas,** uti ostenditur ap. N.R.T.(VI,542 et XXX,646), Marc (II, 1727) et R. T. Fr. (III, 661 seq.), sic posset explicari cum Billuart : « Suppono pro uno peccato mortali, puta blasphemiae, impositam fuisse poenitentiam decem annorum, si quis multiplicet istud peccatum, puta millies blasphemet, obnoxius erit poenitentiae decem millium annorum » (1).

(1) Praetermisso an *veris* sint accensendae vel *apocryphis,* generale decretum prodiit ex S. C. I. (5 Maii 1898) a Leon. XIII (26 Maii) approbatum quo declaratur : « *Omnes indulgentias* MILLE *vel* PLURIUM MILLIUM *annorum, quae hucusque concessae dicuntur aut sunt,* **revocatas** *esse,*

3°) Ratione **temporis**, ad quod extenditur, est vel **temporalis** vel **perpetua**, prout ad tempus determinatum aut sine ullo termino praefixo conceditur.

4°) Ratione **modi**, quo conceditur, alia est **pro vivis**, alia **pro defunctis** : PRIMA enim conceditur per modum *absolutionis*, vi cujus Ecclesia directe delet poenae reatum ; SECUNDA vero non per modum absolutionis (cum defuncti non subsint jurisdictioni Ecclesiae, sed per modum *suffragii*, i. e. per exhibitionem pretii sufficientis ex thesauro Ecclesiae pro debito poenae a defunctis adhuc luendae, Deum deprecando, ut benigne velit illud acceptare et animabus Purgatorii applicare.—**Differentiam** inter utramque indulgentiam exemplo explicat PONTAS : « *Lex*, ait, *vult e carceribus emancipare duos subditos detentos, quorum unus in proprio dominio, alter Byzantii. Quomodo primo libertatem donabit? Hoc fiet ejus propria et suprema auctoritate, pronuntians gratiam* PER MODUM ABSOLUTIONIS, *absque auxilio et concursu potestatis extraneae. Sed pari modo nequit alterum liberare, quia non potest suam jurisdictionem exercere extra limites suae ditionis absque consensu Principis, sub cujus imperio et dominio moratur in carcere. Non potest igitur ultimum in libertatem vindicare,* NISI PER MODUM SUFFRAGII, *intercedendo pro eo apud Sultanum, cujus est captivus vel mancipium, et solvendo ejus redemptionem.* » Quod idem paucioribus tradiderat ABELLY, inquiens : « *Sicut captivum apud turcas detentum rex Galliae non per viam* AUCTORITATIS, *ut in proprio regno, sed tantum per viam* SOLUTIONIS *ac* REDEMPTIONIS *liberare potest.* » Praeterea « *in hoc distinguitur indulgentia* [per modum absolutionis] *a modo juvandi per suffragia, quod hic privata auctoritate fieri possit, non illa,* » subdit SYLVIUS.

Q. 3. *An* INDULGENTIAE sint *utiles*, deturque in Ecclesia *potestas* eas concedendi ?

R. *Affirm.* ad utrumque, estque *de fide catholica* ex TRID. (Sess. XXV, decr. *de indulgentiis*), ubi eos anathemate dam-

et uti revocatas ab omnibus habendas. » Ap. N. R. T. (XXX, 645). Praeterea per decretum S. C. I. (5 Maii 1898) varia proscripta fuerunt foliola eisque adnexae, ut dictitatur, indulgentiae uti falsae et apocryphae damnatae. Ap. R. T. FRANÇ. (IV, 263 seqq.)

nat, « *qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* »

Explanatur. Et quidem 1°) quod **utilitatem** attinet, indulgentiarum usum esse populo « *maxime salutarem,* » ut ait idem Trid. (*loc. cit.*) ex eo liquet, quia nonnisi rite dispositis ac poenitentibus, nec nisi sub certis conditionibus, quae pietatem fovent, conceduntur, sicque non parum conferunt ad finem quem intendit Ecclesia, in eo situm ex Clem. VI in Extrav. « *Unigenitus,* » scilicet : « *ut cunctorum fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementius incalescat.* » — Quod vero 2°) **potestatem** attinet Ecclesiae concessam concedendi indulgentias, tam *pro vivis* quam *pro defunctis*, illa colligitur : — **A**) **ex Scriptura**, scilicet ex verbis Christi (Matth. XVI, 19) : « *Et tibi dabo claves regni coelorum... Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* » Quibus verbis Christus promisit se daturum B. Petro ejusque successoribus potestatem solvendi omne vinculum impediens ingressum in regnum coelorum, adeoque nedum vincula peccatorum, sed multo magis vincula poenarum temporalium ex culpis jam dimissis relictarum : nam regula juris : « *Ubi majus conceditur, etiam minus concessum esse videtur* » valet in iis, quae sunt ejusdem rationis et per se pertinent ad idem privilegium et potestatem. Quod autem promissum fuit Petro, eidem collatum fuit (Joan. XXI, 17) : « *Pasce oves meas.* » — Accedit **B**) perpetuus **Ecclesiae usus.** Et ita S. Paulus (2 *Cor.* II, 10) incestuoso Corinthio poenitenti remisit « *in persona Christi* » i. e. auctoritate a Christo sibi tradita, seu « *ac si Christus donasset,* » ut explicat S. Thom. (*Suppl.* q. 25, a. 1), partem poenarum quas debebat persolvere. Deinde post Apostolorum tempora, usus erat in Ecclesia, ut ad preces martyrum qui detinebantur in carceribus vel alias, quando Episcopi id expedire judicabant, pars poenitentiae lapsis remitteretur, ut constat ex Tertul., S. Cypr., Conc. Nic. I, aliisque antiquitatis monumentis. Sic quoque S. Greg. circa an. 600 indulgentias concessit in diebus stationum, ut praeter alios testatur S. Thom. (in 4. d. 20, q. 1, a. 13, q. 2). Nec negant haeretici indulgentias sequentibus saeculis fuisse in usu.

Resolvitur. Hinc a Sixto IV in Const. « *Licet ea* » (an. 1479)

damnatur « *tanquam manifestam haeresim continens* » propositio Petri Oxomensis asserens sub n. 6 : « *R. Pontificem Purgatorii poenam remittere non posse;* » et in Decret. Leonis X ad Card. Cajetanum, sub poena excommunicationis latae sententiae ab omnibus teneri et praedicari praecipitur : « *R. Pontificem... potestate clavium... posse pro* RATIONABILIBUS *causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui charitate jungente membra sunt Christi, sive* IN HAC VITA *sint, sive in* PURGATORIO, *indulgentiam ex superabundantia meritorum Christi et Sanctorum, et tam pro vivis quam pro defunctis, apostolica auctoritate indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum J. C. et SS. dispensare, et per modum* ABSOLUTIONIS *indulgentiam ipsam conferre vel per modum* SUFFRAGII *illam transferre consuevisse; ac propterea omnes, tam* VIVOS *quam* DEFUNCTOS, *qui veraciter omnes indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali poena, secundum divinam justitiam pro peccatis suis debita, liberari, quanta concessae ac acquisitae indulgentiae aequivalet.* »

Q. 4. *Quis* possit *concedere* INDULGENTIAS?

R. Ex S. Thom. (*Supp.* q. 26, a. 1-4) potest omnis et solus, qui ad hoc habet *ordinariam* vel *delegatam* potestatem

Explanatur. Ratio est : quia indulgentiae sunt bona communia Ecclesiae, quae dispensari nequeunt, nisi ab habente ad hoc jus proprium aut delegatum.

Et quidem **A) potestate ordinaria**, i. e. annexa officio, id possunt **Papa** et **Episcopi sedem habentes**, etsi nondum sint consecrati. Quia vero, ut docet S. Thom. (*Suppl.* q. 26, a. 3) : « *potestas faciendi indulgentias* PLENE *residet in Papa, qui potest facere quod vult causa tamen existente legitima; sed in episcopis est* TAXATA *secundum ordinationem Papae, et ideo possunt facere secundum quod eis taxatum est et non amplius;* » hinc **Papa** universis fidelibus totius orbis indulgentias qualescumque concedere potest, tam plenarias quam partiales, tam pro vivis quam pro defunctis; **Episcopi** vero nonnisi « *suis* SUBDITIS *secundum* LIMITATIONEM *SS. Canonum,* » ut loquitur Mart. V (Const. *Inter cunctas*); quae limitatio in Conc. Later. IV, (cap. *Cum ex eo, 14, De poenit. et remiss.*) ita facta est, ut *unum annum* tantum concedere possint in die dedicationis alicujus ecclesiae, « *sive ab uno, sive a pluribus*

episcopis dedicetur, » et *quadraginta dies* in casibus aliis. Quod idem de **Archiepiscopis** respectu *totius suae provinciae*, etiam *extra tempus visitationis*, intelligitur. Ad **dubium** : « *Utrum* Archiepiscopi *ratione dignitatis impertiri possint fidelibus indulgentiam 80 dierum,... cum Pontificale Romanum 40 tantum dierum indulgentiam praescribat?* » S. C. I. (22 Febr. 1847) **resp.** : « *Servandum esse Pontificale Romanum.* » Quam resolutionem confirmavit in responso ad Archiep. de Guatemala (1 Jul. 1899). — Et has indulgentias solum concedere possunt per modum *absolutionis*, adeoque *pro solis viris*, ut habet Suarez cum communi DD.; quia episcopis, juxta dicta, solum conceditur, ut possint eas « *suis subditis* » elargiri. Nihil tamen impedit, quominus indulgentias ab episcopis concessas *regulares exempti* etiam lucrari valeant, quia exemptio tantum valet in odiosis. Quod si episcopus ultra limites potestatis suae indulgentiam concedat, ea irrita est quoad excessum; at valet usque ad terminum ejus potestatis, quia ex regula juris in 6° : « *utile non debet per inutile vitiari.* » (1) Utrum vero **Capitulo** et **Vicario Capitulari**, Sede vacante, jus competat concedendi indulgentias, DD. *disputant*. Multi **negant** : quamvis enim capitulum succedat episcopo in jurisdictione, non tamen succedit in dignitate, cui jura potestatem indulgentiarum adnectunt et quasi reservasse videntur; quare in praxi ab iis concedendis **abstineat** (tom. II, pag. 315).

At B) **potestate delegata** id potest omnis ille, cui facultas concedendi indulgentias legitime fuit concessa ab habente ordinariam. Sic 1°) ex concessione Pontificis, teste Ferraris, « **Nuntii** *et* **Legati apostolici** *possunt* **subditis** *suae Nunciaturae et Legationis pro quocumque opere concedere 100 aut plurium dierum*

(1) Ad **dubia** : I. « *An indulgentiae quas Episcopus concedit valeant intra limites suae dioeceseos tantum, an vero etiam extra?* » — II. « *An acquiri possint intra limites dioecesis etiam a fidelibus qui non sunt subditi Episcopi concedentis indulgentias?* » — III. « *An subditi Episcopi concedentis indulgentias has lucrari valeant etiam dum extra dioecesim commorantur?* » **Responsum** fuit a S. C. Ind. (5 Maii 1898) : « Ad I. *Affirm. ad 1am partem; neg. ad 2m, nisi agatur de subditis Episcopi concedentis et de indulgentiis personalibus.* — Ad II. *Affirm. dummodo Indulgentiae non sint concessae alicui peculiari coetui personarum.* — Ad III. *Provisum in* I. » Quae resolutio fuit approbata a Leone XIII (26 Maii 1898) ap. N. R. T. (XXX, 511 seq.)

indulgentiam, attamen semper minus quam annum. Pro templo autem seu capella possunt concedere indulgentias 7 annorum et 7 quadragenarum pro illis qui confessi communicaverint et in eo loco de more oraverint ad intentionem Ecclesiae. » Similiter 2°) **Cardinales,** quamvis non sint episcopi vel sacerdotes, in suis titulis possunt concedere indulgentias 100 dierum. Si vero sint Archiepiscopi, idem possunt, ex usu introducto, in sua provincia vel dioecesi. Sic 3°) **Generales ordinum** et **Praelati religiosorum** aliquando concedere possunt indulgentias, etiam plenarias, ex speciali concessione R. Pontificis.

Interim, ut per transennam dixerim, Praelati, quibus privilegio apostolico data est facultas concedendi in quibusdam solemnibus festivitatibus per annum indulgentias plenarias, « *debent hac facultate uti per modum actus toties quoties solemnitas occurrit;* » non vero possunt unica concessione eamdem indulgentiam extendere ad omnes solemnitates periodo annorum recurrentium aut in perpetuum, ut constat ex S. C. I. (12 Jan. 1878). Ap. N. R. T. (X, 507). Praelatus autem concedendo ex indulto apostolico benedictionem papalem cui adnexa et indulgentia plenaria hanc ipse lucrari potest, ut constat ex S. C. I. (20 Maii 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 656). Sic 4°) quamvis **episcopus titularis**, esto foret auxiliarius Ordinarii, non possit dare indulgentias, cum sedem non habeat; id tamen potest ex commissione Ordinarii, ubi v. g. ecclesiam consecraret.

Q. 5. *An* 1°) ad indulgentiarum VALOREM requiratur *justa causa;* et 2°) an *eidem* pietatis *actui* aut *eidem rei*, jam *indulgentiis ditatae*, possint a praelatis R. Pontifice inferioribus, *novae* adnecti indulgentiae?

R. Ad 1^{um}) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 25, a. 2) *affirmative.*

Explanatur. Requiri **justam causam,** ut valeat indulgentia in ordine ad remissionem poenae Deo debitae in hac vel altera vita luendae, hisce verbis edocet S. THOM. (*loc. cit.*), inquiens : « *Dicendum quod indulgentiae simpliciter tantum volent, quantum praedicantur;* DUMMODO *ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte recipientis charitas, et ex parte* CAUSAE *pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem.* » Ratio est : quia Papa et episcopi non sunt *domini*, sed *dispensatores* thesauri Ecclesiae;

jam vero si sine justa causa indulgentias concederent, non essent dispensatores, sed *dissipatores*, contra Domini sui voluntatem. Et in hoc omnes DD. conveniunt.

Utrum vero ad valorem indulgentiae non solum requiratur *justa et rationabilis* causa, sed etiam **proportionata** *quantitati* indulgentiae, ita ut non sufficiat quaecumque causa pia, sed requiratur magna causa pro magna indulgentia, major pro majori, inter DD. *disputatur*. **Negant** plures antiqui, quos inter Duran., Palud., S. Anton., Sylvest., et, ut placet quibusdam, S. Thom. (*loc. cit.*). **Affirmant** communiter recentiores cum Bellarm. et Bill., qui hanc sententiam, pro qua stare quoque Angelicum docet, hisce argumentis comprobat : « 1°) *Secundum omnes requiritur causa* justa *et* rationabilis ; *non est autem* justa *causa, si non sit proportionata ; justum enim dicitur quod est adaequatum aut saltem proportionatum ; neque est* rationabilis : *quia recta ratio non admittit aliquid improportionatum.* 2°) *Ille est* infidelis dispensator, *non solum qui sine causa bona domini dispensat, sed etiam qui pro re levi magnos thesauros effundit.* 3°) *Praelatus non potest* validi *sine causa proportionata dispensare in votis : quia obligatio votorum est* juris divini. *Ergo nec relaxare poenam cujus obligatio est etiam* juris divini. 4°) *Si sufficeret quaelibet causa pia, nullae forent indulgentiae* indiscretae *et* superfluae [quas tamen damnat Con. Later. IV, can. 62], *cum semper adsit causa pia, puta sublevatio poenitentis a debito poenae. Ergo.* » Interim haec quaestio, ut scite observat idem Bill., « *non videtur quantum ad* **praxim** *esse tanti momenti, cum... vix possit dari indulgentia pro causa pia quae non sit proportionata.* » Quo circa notandum est ex Bellarm., ad causam justam, **DUO regulariter** requiri : 1°) Ut indulgentia concedatur ad pium aliquem finem, cujus consecutio aestimetur Deo gloriosior et Ecclesiae utilior, quam poena per indulgentias relaxata ; v. g. ad deprimendos hostes Ecclesiae, ad Dei Sanctorumque cultum promovendum, etc. ; 2°) Ut opus injunctum utile sit ad finem consequendum ; quod opus, etsi quandoque secundum se aut respectu singulorum videatur leve, in ordine tamen ad finem est gravis momenti vel majus evadit respectu communitatis. Sic assistentia populi ad fores basilicae S. Petri, dum Papa solemniter benedicit, etsi secundum se sit aliquid leve nec multum laboriosum,

quatenus tamen ordinatur ad protestationem fidei de Capite Ecclesiae et ad honorem Sedis Apostolicae, qui est finis illius indulgentiae, censetur gravis momenti et omnino sufficiens. Similiter, si indulgentia concedatur omnibus qui in tali solemnitate devote recitaverint quinquies *Pater* et *Ave*, quamvis singulorum preces seorsim sint quid leve, omnium tamen preces simul sunt quid notabile. Idem patet in indulgentia quae conceditur conferentibus certam pecuniae summam ad aedificandam ecclesiam. — Dixi : **regulariter**; nam ut observat Sardagna cum Bill. ex Bellarm., « *aliquando contingere potest, ut* **solus finis** *sufficiat sine aliquo opere injuncto : quando videlicet finis non pendet ab aliquo opere et per se sufficit ad indulgentiam justam efficiendam. Sic in articulo mortis indulgentia hominibus bene de Ecclesia meritis, religiosis, et sodalibus B. M. V. conceditur, pronuntiato nomine Jesu et Mariae, absque alio opere injuncto : quia videtur causa esse satis justa ipsa necessitas extrema, conjuncta cum praecedentibus meritis, ut alii ad bene de Ecclesia merendum, vel ad religiosam vitam aut pia sodalitia, in quibus plurima bona opera exercentur, hoc beneficio adducantur.* » — Ceterum, ut recte notant DD. cum Bellarm., de justitia causae **judicare** ad subditos non pertinet, sed ipsorum est grato animo beneficia, quae a superioribus conferuntur, exosculari. Tanto magis, quod si aliquando non potest totum procedere, poterit in parte : cum indulgentia sit divisibilis. Imo addit Bill. : « *Quod, si prudenter a concedente judicetur causa sufficiens, quae tamen reipsa sit insufficiens, nihilominus, meo saltem et quorumdam aliorum judicio, valeat indulgentia : quia Dominus thesauri non censetur involuntarius, quando secundum regulas prudentiae dispensatur.* »

Resolvitur 1. Indulgentia sine causa pia et rationabili concessa est illicita : quia concedens est in hoc infidelis dispensator. **Resol. 2.** Indulgentia sine justa et rationabili causa concessa, etsi invalida sit quantum ad remissionem poenae temporalis, est tamen valida quantum ad privilegia ei annexa, quae sunt tantum juris ecclesiastici, ut est facultas absolvendi a reservatis : quia Papa potest sine causa valide, licet illicite, dispensare in his quae sunt tantum juris ecclesiastici. **Resol. 3.** Neque in concionibus neque in aliis occasionibus coram populo unquam movere licet dubium circa validitatem indulgentiae ex parte concedentis.

R. Ad 2um) *Negat.*, ut declaravit S. C. I. (12 Jan. 1878), ap. N. R. T. (X, 507) « *nisi novae conditiones adimplendae praescribantur.* »

Resolvitur 1. Quare non pauci DD. hac in re corrigendi sunt : Barbosa, Suarez, Gobat, Castro Palao, Diana, alii, quos et secutus est Taberna, scribens : « *Potest archiepiscopus intra suam provinciam concedere indulgentiam 40 dierum, quamvis loci episcopus ejus suffraganeus pro eadem causa similem concesserit ; quo casu indulgentia duplicatur.* » **Resol. 2.** Itaque non potest episcopus vel alius quicumque praelatus eidem actui pietatis sive eidem pio sodalitio, cui a R. P. jam indulgentiae sive plenariae sive partiales concessae sunt ; aut crucibus, coronis, sacris imaginibus a Papa vel sacerdote legitima facultate munito benedictis, novas adnectere indulgentias, nisi novae conditiones adimplendae praescribantur ; aut eidem rei vel eidem actui pietatis, cui jam antecessor indulgentias adnexuit, novas indulgentias applicare ; aut eumdem actum pietatis in partes dividere, et e. g. pro omni verbo salutationis angelicae quadraginta dies indulgentiarum concedere, ut totidem verbis constat ex S. C. I. (12 Jan. 1878). Quod idem jam satis declaraverat (17 Dec. 1858). **Resol. 3.** Contra ad **dubium** : « *An uni et eidem rei, puta, uni coronae, possint applicari indulgentiae* diversae, *v. g. indulgentiae dictae* apostolicae, *et indulgentiae dictae* S. Birgittae? » **Resp.** S. C. I. (29 Febr. 1820) : « *Affirmative, dummodo ad eas lucrandas* **renoventur** *opera injuncta* **iterabilia.** »

Scholion 1. Ne circumferrentur indulgentiae *apocryphae*, utque inaestimabilis indulgentiarum thesaurus incorrupte sancteque servaretur, varia, variis temporibus, ab Ecclesia statuta sunt tum quoad indulgentiarum **divulgationem.** tum quoad earum **publicationem.** — Quocirca **notandum** est : 1°) Ex recenti Const. Leon. XIII « *Officiorum ac munerum* » (8 Kal. Febr. 1896) *duplex* de indulgentiis servanda est **regula.** — Una : de *non divulgandis* indulgentiis *apocryphis* et a S. Sede *proscriptis* vel *revocatis* ; — altera : ne *scriptum quodcumque*, indulgentiarum concessiones continens, *publicetur* « *absque competentis auctoritatis licentia.* » Constat autem ex S. C. Indic. (7 Aug. 1897) ap. N. R. T. (XXIX, 658) quod *competens auctoritas* hic intelligatur ea auctoritas cujus approbatio ante praesentem Const. requirebatur, nimirum aut *S. Congregatio Indulg.*, aut *Ordinarius loci* pro diversis indulgentiarum

concessionibus. Hinc sine licentia expressa **S. C. Indulgent.** publicari nequeunt: A) Summaria indulgentiarum vel antea collecta, sed nunquam Romae approbata, vel nunc primum ex diversis concessionibus collecta. (S. C. I. 22 Jan. 1858). — B) Elenchus indulgentiarum quas singuli Pontifices adnectere solent rosariis, crucibus, numismatibus, etc. quae Benedictionem Apost. recipiunt. S. C. I. (30 Sept. 1852). — C) Versio in aliud idioma collectionis vulgo *Raccolta*. S. C. I. (30 Sept. 1852). — Ast sufficit licentia **Ordinarii** loci: A) Si agatur de edenda concessione alicujus indulgentiae vel Summarii indulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico vel Rescripto desumendum est, aut de Summario ex auctoritate S. Congregationis jam vulgato, dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio. (S. C. I. 22 Jan. 1858). Item B) ex S. U. I. (8 Jan. 1861) sufficit recognitio Ordinarii loci pro imprimendis indulgentiarum ac privilegiorum elenchis qui confraternitatibus traduntur pro earum aggregatione Archiconfraternitati, etiamsi indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus Brevibus. — Praeterea **notandum** est: 2°) cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones *generales* expediri inscia ipsa S. Congregatione, ex quo multi promanant abusus ac confusiones, hinc ex S. C. I. (28 Jan. 1756 et 14 April. 1856) impetrantes hujusmodi generales concessiones, tenentur sub nullitatis poena exemplar earumdem concessionum ad Secretariam ejusdem S. Congr. deferre.

Scholion 2. Pro **usu legitimo** indultorum vel indulgentiarum **personalium** quas quis a S. Sede vel ab habente facultatem obtinuisset, *per se* non requiritur Ordinarii loci recognitio et licentia.—Dixi: *per se*; nam dantur exceptiones, uti v. g. pro valida erectione S. Viae Crucis; item si ipsa indulta hujusmodi recognitionem vel licentiam expresse memorant. Quo casu, nedum impeditur usus *licitus*, sed etiam *validus*, si nempe **A**) secus nullitas indicetur in ipso indulto; si **B**) indultum postulet consensum Ordinarii, ut constat ex S. C. I. (16 Jul. 1887) ap. N. R. T. (XIX, 583 seqq.); si **C**) verba conditionem exprimant. — Quod si indulta ad certum tempus concessa **renoventur,** eadem recognitio et licentia videntur iterum ad licitum vel etiam validum usum eodem modo ac prima vice requiri. Ita N. R. T. (V, 668 seq.).

CAP. 2. De vivis quibus applicantur indulgentiae.

Q. 6. *Quinam* VIVENTES sint *capaces* indulgentiarum?

R. Omnis et solus baptizatus, non excommunicatus, qui aliquando personaliter peccavit, et subditus est illius qui indulgentiam personalem elargitur, est capax indulgentiarum, prout per modum absolutionis applicantur.

Explanatur. Dicitur : 1°) **baptizatus**; quia Ecclesia veram jurisdictionem non habet in infideles et catechumenos. — Dicitur : 2°) **non excommunicatus**; quia haeretici, apostatae et excommunicati majori excommunicatione privantur communione bonorum Ecclesiae, adeoque etiam indulgentiis. — Dicitur : 3°) **qui aliquando personaliter peccavit**; alias nulla posset ei fieri condonatio et relaxatio poenae. Hinc infantes, perpetuo amentes, non sunt capaces indulgentiarum. — Dicitur : 4°) *et subditus est illius qui indulgentiam* **personalem** *elargitur;* quia concessio indulgentiae *personalis* est actus jurisdictionis, quae non complectitur nisi subditos. Quare si indulgentia non sit *personalis*, sed conceditur visitantibus quemdam locum aut objectum determinatum, v. g. ecclesiam, altare, imaginem, ab ea lucranda non excluduntur peregrini. Nihil autem impedit, quominus Papa vel episcopus, indulgentiam personalem concedentes, eam lucrari valeant : quia, esto nemo in seipsum exercere jurisdictionem coactivam possit, bene tamen voluntariam ; praeterea ipsi sunt partes seu membra communitatis, cui indulgentiae conceduntur : non debent igitur esse deterioris conditionis. Nec obstare, quin etiam religiosi exempti possint frui indulgentiis episcopalibus, supra (pag. 254) jam diximus. — Dicitur : 5°) *per modum* **absolutionis**; nam non pauci censent DD., catechumenos posse percipere indulgentias per modum *suffragii*, cum saltem per fidem et charitatem Christo sint uniti, sicque aliquomodo sint membra Ecclesiae.

Q. 7. *Quaenam* requirantur, ut VIVI, indulgentiarum capaces, eas sibi lucrentur, i. e. earum fructum sibi applicare valeant ?

R. *Tria* requiruntur : — 1°) *Status gratiae*, saltem pro eo instanti, quo ultimum opus praescriptum adimpletur; — 2°) *Intentio* indulgentiam lucrandi ; — 3°) *Impletio operum praescriptorum*.

Explanatur. Ratio **primi asserti** est : quia repugnat poe-

nam temporalem remitti, non remissa culpa mortali et poena aeterna. Porro, ut per transennam dixerim, necessitas status gratiae, in indultis quibus partiales indulgentiae conceduntur, solet exprimi per verba : «*corde saltem contrito.*» Quae clausula significat eum qui non est in statu gratiae debere saltem per perfectam contritionem cum proposito confessionis ad statum gratiae restitui, ut capax fiat indulgentias assequendi ; non autem indicat partem operis injuncti, quasi ad indulgentiam lucrandam etiam ab iis actus contritionis emittendus sit, qui in statu gratiae reperiuntur. Constat ex S. C. I. (17 Dec 1870). — Dixi : **saltem pro eo instanti,** etc. ; quia tunc dumtaxat indulgentia suum sortitur effectum. Itaque, quamvis nonnulli doceant, omnia opera injuncta fieri debere in statu gratiae, id tamen, nisi a concedente specialiter requiratur, necesse non est : tum quia effectus indulgentiae non dependet ex dignitate operis, sed ex Christi ac SS. satisfactionibus, et consequenter sufficit, quod tunc non ponatur obex, quando conferenda est indulgentia ; tum quia id constat ex praxi fidelium : sic in jubilaeis jejunia praescripta et visitationes Ecclesiae plerumque praemittuntur confessioni, ante quam multi tamen non justificantur. *Negari non potest* **communem** *esse sententiam*, teste Bened. XIV, Const. «*Inter praeteritos*» n. 75 (3 Dec. 1749), qui et huic sententiae adhaesit (*ibid.* n. 76), *quod ad lucrandam indulgentiam sufficiant visitationes, etiam factae in statu peccati mortalis, attamen cum intentione Deum honorandi et Sanctos externaque modestia, ut aliquis religionis actus exerceatur, dummodo* ultimum opus, *in quo indulgentia acquiritur, factum fuerit in statu gratiae.* Quod vero dicitur (Joan. IX, 21) : «*peccatores Deus non audit.*» intelligendum est de obstinatis, non de volentibus converti : alias frustra clamarent (Ps. LXXXIV, 5) : «*Converte nos, Deus salutaris noster.*» « Non etiam obstat, addit Bull., quod quandoque in Bullis confessio et communio aliis operibus praemittantur ; non enim ordo verborum semper habetur pro regula adaequata ordinis operum. »

Ratio **secundi asserti** est : quia invito non conceditur beneficium, sed volenti. Quocirca notentur sequentia. — Et quidem 1°) certum est, quod, « quando ad indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato, v. g. pro exstirpatione haeresum etc., non requiratur intentio **explicita,** expressa singulis vicibus. »

S. C. I. (12 Jul. 1847). — 2°) Certum videtur, requiri intentionem **virtualem** saltem *implicitam* et *in confuso* apprehensam lucrandi indulgentiam, quoties haec concedatur cum certa intentione sibi proponenda, v. g. orandi pro felici Ecclesiae statu. Talem intentionem haberet, qui paulo ante statuit, velle orare ad consequendam indulgentiam, et ex tali voluntate processit ad orandum, quamvis in orationis exsecutione non amplius illius voluntatis meminerit, — In *ceteris vero casibus*, an ista **virtualis** intentio requiratur, DD. *disputant*. Plures **affirmant** cum Billuart : nam opus praescriptum dirigi debet in finem ab Ecclesia intentum ; hoc autem fieri non potest ab eo qui ignorat aut obliviscitur huic operi esse annexam indulgentiam, adeoque praestari nequit sine *virtuali* saltem intentione indulgentiam lucrandi. At plures etiam **negant** cum Lugo, Lacroix, Kazenberger, Laym., Palao, aliis ; dicuntque sufficere intentionem *habitualem*, imo *interpretativam*, quam censetur quilibet christianus habere de suae salutis remediis sollicitus, ut probatur ex consuetudine Ecclesiae concedendi indulgentiam sensibus destituto et jam animam agenti. Aliunde si indulgentia concessa est facienti tale opus, si fiat, jam totum positum est quod ponendum erat. Juxta hanc sententiam, licet requiratur intentio *virtualis implicita* lucrandi indulgentiam, ubi quis preces ad intentionem S. P. fundendas recitat, non tamen requiritur in ceteris operibus praescriptis adimplendis, ut in confessione, in communione, etc. *In* **praxi** tamen prima sententia est suadenda, eo magis, quia ita postulat finis Ecclesiae in concedendis indulgentiis, nempe : *pietatis stimulatio* (pag. 252), et aliunde juxta plures, contradicente Baller. cum aliis, in hac materia non valet probabilitatis usus. Quare laudanda est praxis piorum, qui quotidie mane renovant propositum omnes per diem indulgentias lucrandi eumque in finem omnia opera praescripta adimplendi, ac, nisi emiserint votum heroicum (de quo postea), simul determinant, utrum illas velint sibi ipsis applicare, an vero defunctis, casu quo indulgentiae his sunt applicabiles. — De quaestione : *An faciendum sit opus* **principali** *intentione lucrandi indulgentiam ?* dicetur postea.

Ratio **tertii asserti** est : quia, ut ait S. Thom. (*Suppl.* q. 25, a. 2) : « *Indulgentiae tantum valent, quantum praedicantur,* » seu quantum sonant, et dantur pro toto opere indivisibiliter. Sicut igitur aliae

gratiae conditionatae non sortiuntur suum effectum, nisi conditione impleta, ita nec indulgentiae, nisi peractis operibus praescriptis quoad **tempus, modum** et **locum**, sicut exprimitur in decreto concessionis, et quidam **integre** saltem *quod substantiam*, ita ut, qui unum opus injunctum aut notabilem ejus partem omittit etiam inculpabiliter, nihil de indulgentia lucretur, nisi aliud in concessione exprimatur. Non tamen officit, si pars *minima* operis injuncti omittatur : quia adhuc censetur opus *quoad substantiam* perfici. Pars autem minima *respective* ad totum opus sumenda est : sic in Rosario omissio unius *Pater* et *Ave* minima videtur; secus vero si requirantur quinque *Pater* et *Ave* : quia omissio quintae partis operis reputatur notabilis. De his ulterius postea.

Q. 8. *An* peccatum VENIALE, quoad culpam non remissum, possit esse OBEX ad lucrandam indulgentiam *plenariam?*

R. *Negat.*, nisi ad eam *integre* recipiendam.

Explanatur. Ratio **primi asserti** est : tum quia peccatum aliquod veniale non remissum non obstat, quominus poena pro aliis peccatis remissis debita remittatur; tum quia Papa indulgentiam plenariam concedere censetur juxta capacitatem subjecti, ita ut remittatur saltem poena quae remitti potest, nempe poena peccatorum jam remissorum. Secus indulgentiae plenariae plerumque nihil prodessent, cum raro fideles omnem affectum erga quodlibet veniale exuant, ac sufficientem dolorem de omnibus venialibus concipiant; sicque fieret, ut potiores essent indulgentiae partiales quam plenariae, quod sane repugnat. — Ratio **secundi asserti** est : quia, quamdiu remanet culpa alicujus peccati, tamdiu debetur aliqua poena, quae expianda est. Unde nequit indulgentia *integre* percipi, nisi omnis actualis affectus ad peccatum veniale deponatur, sive *directe* per actualem dolorem de omnibus venialibus; sive *indirecte* per actum divini amoris, quando de venialibus cogitatio nulla incidit. Cfr. S. Lig. (VI 534 sub n. 19).

CAP. 3. De defunctis quibus applicantur indulgentiae.

Q. 9. Dic : 1°) *an*, et 2°) *quomodo* indulgentiae possint

concedi et applicari *defunctis;* et 3°) *an* ipsis prosint *infallibiliter?*

R. Ad 1um) Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 71, a. 10) *affirmative*, si sic exprimatur in diplomate concessionis.

Explanatur. Indulgentias posse concedi et applicari animabus **in purgatorio** degentibus, etsi de *fide divina* et *catholica* non sit, cum nusquam expresse definitum reperiatur, ad *doctrinam catholicam* tamen pertinet, dicique potest *fidei proximum* : opposita enim sententia : «*luctuosius adhuc esse, quod chimerica isthaec applicatio transferri solita sit in defunctos*» damnata fuit a Pio VI in prop. 42 Synodi Pist. : «*ut falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in RR. Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem* haereticali *nota in* Petro de osma *confixum* [a Sixto IV], *iterum damnatum in art. 22* Lutheri,» in quo articulo dicebatur : «*Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles : videlicet* mortuis *seu morituris, infirmis, legitime impeditis; his, qui non commiserunt crimina; his, qui crimina commiserunt sed non publica; his qui meliora operantur.*» Qui et alii Lutheri articuli damnati fuerunt a Leon. X per Bull. «*Exsurge Domine*» (16 Maii 1520). Et sane nulla reddi potest ratio, quare cum viventes satisfactiones suas pro animabus purgatorii offerre possint, nequeant offerri pro ipsis Christi ac SS. satisfactiones, quas nobis applicare licet. Audiatur S. Thom. inquiens : «*Non enim est ratio quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiae innituntur, in vivos, et non in mortuos.*»

Resolvitur. Si anima, cui indulgentia applicatur, **damnata** est vel jam **beata,** tunc fructus indulgentiae vel cedit in communem thesaurum Ecclesiae, vel aliis animabus applicatur, juxta judicia Dei nobis incognita, v. g. magis indigentibus, vel iis quae in terris exsistentes id specialiter meruerunt per opera misericordiae tum vivis tum defunctis impensa. — Observant porro aliqui, applicantem recte facturum faciendo secundam applicationem *conditionatam*, si forte prior applicatio effectum sortiri non possit.

R. Ad 2um) Quoniam Papa, etsi jurisdictionem habeat in thesaurum Ecclesiae, jurisdictione tamen caret in defunctos, ideo animabus in purgatorio nequeunt indulgentiae concedi

et applicari per modum *absolutionis*, solutionem ex thesauro Ecclesiae annexam habentis, sicut viventibus ; sed per modum *suffragii* seu simplicis *solutionis*, ut supra dictum fuit (p. 251).

R. Ad 3^um^) *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **affirmant** cum Suarez, Palao, Valentia, Coninck, Kazenberger, Sylvio, Giribaldi, etc. : quia, licet tantum prosint per modum *suffragii*, quo Deum oramus, ut eas defunctis applicari velit, adest sufficiens promissio Dei se eas accepturum esse, per verba (Matth. XVI, 19) : « *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis ;* » quibus verbis nititur potestas concedendi indulgentias tam pro vivis quam pro defunctis, cum utriusque concessio sit exercitium potestatis clavium. Unde, facta jam promissione, tenetur Deus ex fidelitate indulgentiam acceptare tam pro vivis quam pro defunctis, si illa legitime concedatur, ex justa causa seu clave non errante, et si viventes debito modo opera injuncta perfecerint ut oportet. Imo scribit Kilber seu Thol. Wirceburg. : « *Cum summus Pontifex habeat plenitudinem potestatis ad dispensandum Ecclesiae thesaurum etiam non subditis,* infallibiles *indulgentias concedit fidelibus defunctis, sed tantum per modum suffragii et solutionis. Qua de re licet veterum aliqui dubitasse videantur, sententiam suam tamen revocarunt. Nec quisquam* sine nota haereseos *jam contradicere posset post* Sixti IV (pag. 253), Leonis X (ibid.), *aliorum Pontificum editas Bullas.* »

Alii **negant** cum Billuart, Durando, Cano, Abelly, S. Lig. (VI, 554, sub n. 10), etc., qui sustinent effectum harum indulgentiarum pendere ex liberali Dei acceptantis voluntate : tum quia neque ex ullo Scripturae loco, neque ex ulla certa Traditione constat, Deum illas satisfactiones ex Ecclesiae thesauro depromptas et ab eadem sibi oblatas pro defunctorum liberatione se accepturum promisisse ; tum quia Ecclesia servat usum celebrandi sacra in altaribus privilegiatis, i. e. quibus inhaeret privilegium indulgentiae plenariae, multis etiam annis continuis pro iisdem animabus ; quae praxis inanis videretur, si statim in primo sacro illis applicato liberarentur. Cui sententiae suffragari videtur auctoritas S. C. I., quum interrogata ab episcopo S. Flori in Gallia, circa naturam indulgentiae altaris privilegiati, responderit (28 Jul. 1840) : « *Per indulgentiam altaris privilegiati, si spectetur* mens concedentis *et* usus

CLAVIUM POTESTATIS, *intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis. Si vero spectetur* APPLICATIONIS EFFECTUS, *intelligendam esse indulgentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet.* » — Observat autem BILL., potestatem concedendi indulgentiam **vivis** per modum judiciariae absolutionis fundari quidem in citatis verbis : « *Quodcumque solveris super terram,* » etc. ; non vero potestatem concedendi indulgentiam **defunctis** per modum suffragii et simplicis solutionis oblatae ; sed hanc fundari in communione membrorum unius corporis mystici et in usu Ecclesiae.

Resolvitur. Liceat mihi concludere : quod, esto non constet, hujusmodi indulgentias *infallibiliter* prodesse secundum **tōtum** earum valorem, prosunt tamen *infallibiliter* **aliquatenus** seu quoad **aliquam partem** : quia nequit Deus omnino rejicere suffragium Ecclesiae, quippe quae 1°) est sponsa ejus dilectissima, et ad hoc officium praestandum ab ipso est *electa ;* quae insuper 2°) *plus offert quam requiritur ad debitum solvendum*, pretium, inquam, sanguinis Christi et satisfactionum superabundantium SS. ; quae denique 3°) haec peragit pro *animabus Deo dilectissimis.* Secus inutile quid ageret Ecclesia indulgentias defunctis applicando ; quod utique absque impietate asseri non potest. — De industria autem dixi : *pretium* **sanguinis** *Christi ;* propter antea dicta (tom. II, pag. 364).

Q. 10. *Quaenam* CONDITIONES requirantur, ut indulgentiae *prosint* animabus *in purgatorio* detentis ?

R. *Duae* conditiones CERTO requiruntur.

Explanatur. Requiritur : 1°) *Ex parte* **indulgentiae,** concessio Pontificis, ut possint pro defunctis applicari : quia indulgentia tantum valet, quantum Breve sonat, propriaque auctoritate nulla potest fieri applicatio indulgentiae pro alio, sive vivo, sive defuncto. — Requiritur : 2°) *Ex parte* **lucrantis,** intentio expressa seu implicita, saltem habitualis, applicandi eam pro defunctis. — Et quidem si velis *restringere* applicationem tuam, tunc quidem animas quasdam *specialiter* determinare debes, saltem *implicite*, quas v. g. B. M. V. prae aliis a purgatorio liberari cupit. Secus sufficit applicatio *generalis*, facta omnibus animabus in purgatorio

degentibus : quia suffragia sunt divisibilia, et ideo in omnes animas distribui possunt. Praeterea aperte traditur in *Raccolta* applicationem fieri posse uni vel pluribus determinatis animabus vel in genere omnibus animabus Purgatorii : « *On peut d'ailleurs faire cette application à une ou à plusieurs âmes déterminées, ou à toutes en général.* » Ceterum pietas postulat, ut, servato ordine charitatis, plus eorum animae juventur quibus ex quopiam titulo plus debemus ; deinde quae majori auxilio indigent. — Et in haec quidem sat communiter DD. consentiunt, si agatur de indulgentia **partiali** : « indulgentia enim partialis, ait Melata (*de Ind.* p. 179), est numero determinata ac proinde nulla videtur esse difficultas quod distribuatur inter plures defunctos. » — Si vero agatur de indulgentia **plenaria,** quamvis concipi etiam possit eam hoc sensu dividi posse, quatenus Deus certam quamdam mensuram determinaret ac divideret inter plures, utrum tamen haec possit pluribus defunctis distribui, non immerito, ambigitur. « In hoc enim casu, ait Melata omnino determinari debet unica persona, respectu cujus indulgentia dici possit *plenaria* ac proinde nonnisi uni defuncto applicari potest. » Et hanc esse mentem Ecclesiae, videtur posse erui ex decretis S. C. Ind. (19 Jun. 1880 et 18 Dec. 1885) de quibus latius postea. Si enim indulgentia plenaria altaris privilegiati nequit ex iis decretis nisi uni defuncto applicari, conjicere licet eamdem esse mentem S. Sedis quoad alias indulgentias plenarias defunctis applicabiles. — Quapropter, **in praxi,** intendens pro defunctis lucrari indulgentiam *plenariam*, recte aget designando animam cui eam applicare desiderat, superaddendo tamen, si haec capax non fuerit, intentionem conditionatam eam applicandi animae cui lucrans magis obligatur, servato ordine charitatis, ut supra diximus.

Dixi : *duae conditiones* **certo** *requirantur :* nam utrum ex parte lucrantis etiam requiratur 3°) **status gratiae,** inter DD. *controvertitur*. — Alii **affirmant** : quia nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi prius suam fecerit ; suam autem facere nequit ille, qui in statu peccati mortalis versatur. Hanc sententiam defendunt Lugo, Tourn., Wigandt, alii, « *et haec* verior *mihi videtur*, » ait S. Lig. (VI, 554 sub n. 10). — Alii **negant,** nisi forte opus injunctum aliunde exigat statum gratiae, vel status gratiae in conces-

sionis Bulla expresse exigatur. Ita Bellarm., Bill., Suar., Sass., alii, et *rectius* quidem, ut mihi videtur. Ratio juxta plures est : quia opus ponitur tanquam conditio, qua posita, Papa applicat indulgentiam alii in gratia exsistenti. Et quoniam opus illud fit nomine Ecclesiae, quae semper est in gratia, hinc fit, quod fructus ejus non deperditur ex eo, quod in peccato sit qui opus exsequitur; sicut si quis det eleemosynam eamque mittat per manus hominis exsistentis in peccato mortali, non ideo deperditur fructus eleemosynae. Aliunde, applicans indulgentiam defuncto, effectum indulgentiae sive remissionem poenae temporalis non percipit, sed defunctus ipse qui est in statu gratiae. Et haec ultima ratio, quam tradit Bill., est aptior, cum ex S. Thom. (in 4. d. 45, q. 2, a. 3, q. 2) Pontifex non immediate applicat indulgentias defunctis, sed « *applicabiles* » concedit, ut patet ex decretis pontificiis. « *Neque dicas*, scite ait Bill., *ipsum non posse indulgentiam alteri applicare, nisi prius eam faciat suam; facit enim suam, non accipiendo ejus effectum, sed potestatem eam alteri applicandi, ad quod non requiritur status gratiae, sicut nec in concedente indulgentiam.* »

Resolvitur 1. Itaque **dubium manet,** num requiratur *status gratiae*, necne. Interrogata fuit hac super re S. C. I., quae (20 Aug. 1822) respondit : « *Dilata.* » Et iterum interrogata, respondit (22 Febr. 1847) : « *Consulat* [orator] *probatos auctores.* » **Resol. 2.** Utique prima sententia est *tutior.* **Caveas** tamen, ne, illam urgendo, animae suffragiis plurimorum priventur.

Q. 11. *An* magis sit meritorium indulgentias liberas potius *defunctis* quam *sibi* applicare?

R. Ex S. Thom. (lib. III *cont. Gent*) *affirm.*, juxta communiorem DD. sententiam.

Explanatur. Rationes sunt : **1°**) Quia ubi major est charitas, ibi etiam est majus meritum : atqui major est charitas dare bona sua proximo qui patitur, ut liberetur ab illa poena, quam sibi illa reservare; ergo majus bonum est lucrari indulgentias defunctis, ut liberentur a poenis, quam sibi illas applicare. — **2°**) Nunquam aliquis plus meretur, quam dum alterum juvando seipsum exponit periculo patiendi. Sic Paulus (Philipp. I, 23) ardenter desiderabat regnum coelorum, ex cujus dilatione multum certo patiebatur;

amabat tamen pro salute fratrum hic permanere. Deinde non magna virtus est dare pauperibus ex superfluo status, sed major est dare ex necessariis status. — 3°) Accedit auctoritas S. Thom. (*loc. cit.*) ubi dicit : *Affectio in eo qui pro amico patitur, facit* magis *satisfactionem acceptam Deo, quam si pro se pateretur : hoc enim est promptae charitatis, illud autem necessitatis.* »

Q. 12. *Quid* 1°) sit actus charitatis *erga defunctos*, quem vulgo vocant votum heroicum ; et 2°) *utrum* a S. Sede sit *commendatus ?*

R. Ad 1um) Est oblatio, per quam christifideles omnia *propria satisfactoria* opera, dum *in terris morantur*, ac singula quae pro ipsis fient suffragia, cum *ex hac vita decesserint*, defunctis fidelibus singulari pietate offerunt atque in eorum cedunt utilitatem, ea videlicet in manibus B. M. V. quodammodo deponendo, ut ab ipsa pro libitu suo animabus purgantibus dispensentur.

Explanatur. Quod itaque offertur, non est **fructus** *meriti*, qui nequit alteri applicari ; sed est tantum **fructus** *specialis* ac *personalis*, qui nobis provenit ex hujusmodi *satisfactionibus* atque *suffragiis*, ut adeo praesens donatio neminem impediat, quominus pro seipso oret, pro parentibus, aliaque pietatis opera adimpleat ; nec sacerdotem prohibet, quominus sacrificium celebret ad intentionem eorum, a quibus stipendium accepit. Ceterum illud *votum* sub peccato non obligat ; nec requiritur, ut speciali formula emittatur ; sed, ad lucranda privilegia et indulgentias ipsi annexas, sufficit, ut corde seu mente fiat.

R. Ad 2um) *Affirmative.*

Explanatur. Nam *Venerabilis* Bened. XIII ex inclyto Ord. Praed., qui Romae (21 Febr. 1730), doctrina et meritis clarus, in odore sanctitatis obiit, per decretum (23 Aug. 1728) omnibus hanc oblationem emittentibus peculiares elargitus est indulgentias, quas rursus Pius VI (12 Dec. 1788) sua auctoritate confirmavit, et Pius IX non modo iterum confirmavit, verum etiam voluit (30 Sept. 1852 et 20 Nov. 1854) declarare :— « 1°) *Quod sacerdotes ipsam oblationem*

profitentes indulto **altaris privilegiati** *personalis gaudere possint singulis anni diebus.* — 2°) *Quod omnes christifideles, qui idem votum seu oblationem emittunt,* **indulgentiam plenariam** *fidelibus tantum defunctis applicabilem lucrari queant, quocumque die ad S. Communionem accesserint, et qualibet anni feria secunda sacrum missae sacrificium in suffragium eorumdem defunctorum fidelium audierint, dummodo in utroque casu aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint.* — 3°) *Quod ipsis christifidelibus omnes et singulas indulgentias quocumque modo concessas, vel in posterum concedendas, quas lucrari possunt, animabus pariter defunctorum* **applicare liceat.** — 4°) *Quod ut magis animabus piacularibus flammis addictis perenne tribuatur auxilium, ad universi orbis christifideles, dictam oblationem exsolventes, quatenus opus sit, hoc indultum* **extensum** *habeatur.* — *Praeterea* 5°) *eadem Sanctitas Sua, prae oculis habens tum adolescentes nondum ad S. Communionem accedentes, tum vero infirmos, senes, villicos, in carceribus detentos ceterosque fideles, qui aut ad S. Synaxim accedere, aut in feria secunda sacrum missae sacrificium audire nequeunt, clementer indulsit, ut omnibus et singulis christifidelibus qui legitimo impedimento nequeunt sacrum audire in feria secunda, pro acquisitione supra enuntiatae indulgentiae, in qualibet secunda feria ut supra concessae, suffragetur missa quam* **die dominico** *ex praecepto audire teneantur; pro omnibus et singulis vero fidelibus, qui aut nondum S. Eucharistiae sumendae capaces aut legitima alia ratione hoc sacramentum sumere nequeunt, benigne remisit facultatem arbitrio respectivi pro tempore Ordinarii locorum, subdelegandi confessarios ex approbatis pro opportuna communionis in aliis piis operibus* **commutatione.** »

Resolvitur. Quae insignium favorum collatio si serio prae oculis habeatur, quis, quaeso, inveniri poterit, qui votum istud tantopere ab Ecclesia commendatum, tamque defunctis quam sibimet proficuum, emittere recusaret?

Scholion. Actus heroicus charitatis erga animas in purgatorio detentas, quem vulgo, ut diximus, *votum heroicum* nuncupant, **auctorem** seu suasorem habet beatae memoriae Gasparem Oliden ex Ord. CC. RR. Theatinorum. Cum vero de hujus voti seu obla-

tionis objecto, deque ejusdem actus essentialibus conditionibus et de indulgentiis ac privilegiis eidem adnexis **dubia** quaedam nuperrime oborta sint, placeat ex **responsionibus** quas, approbante LEONE XIII, tradidit S. C. I. (19 Dec. 1885, sequentia adnotare. — 1°) *Inter opera satisfactoria* quae in actu heroico offeruntur pro animabus purgatorii, **comprehenduntur** *etiam indulgentiae* quae declaratae fuerunt a SS. PP. applicabiles christifidelibus defunctis. — 2°) Actui heroico **non satisfaciunt**, *qui sibi reservari velint indulgentias quae pro visis conceduntur*, sed debent eas applicare defunctis. — 3°) Ad actum heroicum et privilegiorum participationem **requiritur** quidem, *ut propriae satisfactiones omnes atque indulgentiae pro purgatorii animabus* **offerantur**; non vero, *ut B^mae Virgini, prout ipsi placuerit, distribuenda relinquantur. Unde haec in Virginis manus velut consignatio habenda est dumtaxat* PIA *actus* ACCESSORIA *devotio, Christifidelibus* COMMENDANDA. — 4°) Plenariae indulgentiae quas hunc actum emittentes lucrantur, tum ob sacram communionem, tum ob missae feria II auditionem, **non debent** applicari *animabus quas* B. V. MARIA *prae aliis a purgatorio liberari cupit*, sed possunt applicari **cuilibet** *purgatorii animae*. — 5°) Quod attinet indulgentiam plenariam *altaris privilegiati personalis*, haec a sacerdote qui actum heroicum emisit **debet** *applicari animae pro qua missam celebrat; hoc enim modo privilegium altaris conceditur a S. Pontifice.* Cfr. N. R. T. (XVIII. 173 seqq.).

CAP. 4. De operibus injunctis pro indulgentiis lucrandis.

Q. 13. *An* et *quomodo* injuncta opera sint ADIMPLENDA ad indulgentias *lucrandas?*

R. *Affirm.*, per se; et quidem quoad *tempus*, *modum* et *locum*, necnon *integre*, saltem quoad *substantiam*, juxta dicta (pag. 262 seq.).

Dixi in RESP. : **per se**; nam secus dicendum, si aliter in concessione fuerit expressum. — Sic **A**) aliquando, praesertim in jubilaeis, Papa potestatem facit confessario opera injuncta **commutandi** in alia facultati poenitentium proportionata. — Sic **B**) PIUS IX

per S. C. I. (15 Mart. 1852) in favorem **Surdorum mutorum** statuit : « 1°) *Quodsi inter opera pro lucranda indulgentia praescripta sit visitatio alicujus ecclesiae, surdo-muti ecclesiam ipsam devote visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent et pios affectus.* 2°) *Quodsi inter opera sint publicae preces, surdo-muti possint lucrari indulgentias iis adnexas corpore quidem conjuncti ceteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata et piis cordis affectibus.* 3°) *Quodsi agatur tandem de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint.* »— Similiter C) Pius IX per S. C. I. (18 Sept. 1862) indulsit, ut fideles **habitualiter infirmi**, chronici, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes, dummodo **in communitate non morentur,** « *acquirere possent omnes et singulas indulgentias plenarias jam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit S. Communio et visitatio alicujus ecclesiae vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes, confessi ac ceteris omnibus absolutis conditionibus, si quae injunctae fuerint, loco sacrae communionis et visitationis alia pia opera a respectivo confessario injungenda, fideliter adimpleant.* » Imo, ex nova concessione facta a Leon. XIII (16 Jan. 1886) ap. N. R. T. (XVIII, 539 seqq.) *infirmi* aut *senio confecti* **in communitate et sub regula viventes,** qui ecclesias aut oratoria visitare aliave pro indulgentiis praescripta exsequi non possunt, indulgentias nihilominus lucrari valent, adimplendo alia pia opera confessarii arbitrio praescribenda. — Tandem D) Pius IX per S. C. I. (6 Oct. 1870) decrevit : « *tum confessionem dumtaxat, tum confessionem et communionem peragi posse* **die, qui immediate praecedit sequentem,** *pro quo concessa fuerit indulgentia quaelibet, non solum ratione festivitatis occurrentis* [incipientis a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei festi] *juxta ullata decreta* (19 Maii 1759 et 12 Jun. 1822), *verum etiam quacumque alia ex causa, vel devotionis, vel pii exercitii, aut solemnitatis.... licet tempus ad eam acquirendum ab initio diei naturalis, et non a primis vesperis sit computandum, servata tamen in adim-*

plendis aliis operibus injunctis regula generali circa modum et tempus in concessionibus praescriptum » (1).

Resolvitur 1. Fideles **Confraternitatibus** adscripti non privantur indulgentiis, quae talibus sodalitatibus concessae sunt, si earum **statuta non observent,** « *dummodo sodalitates sint* CANONICE *erectae, et sodales* **adimpleant opera injuncta** *a SS. PP. pro lucrandis indulgentiis suae respectivae confraternitati adnexis, ipsique sodales* LEGITIME *adscripti fuerint in confraternitatem.* » Ratio est : « *ex eo quod* STATUTA *sunt potius ad* REGIMEN *et ad rectam sodalitatis* ADMINISTRATIONEM *data, minime vero* TANQUAM INJUNCTA OPERA *ad indulgentias acquirendas.* » Ita ex S. C. I. (25 Jan. 1842). **Resol. 2.** Licet concedi possint indulgentiae sine injunctione operis, ut communiter tradunt DD. cum BILL. et SUAR., quando tamen injungitur, censetur injunctum, ut suo modo concurrat ad finem intentum. Unde nullum opus ex praescriptis sufficit, si sit **mortaliter malum,** ut est sacrilega confessio, communio, aut visitatio Ecclesiae facta, ut habet BENED. XIV Const. « *Inter praeteritos* » (3 Dec. 1749), « *animo, exempli gratia, alios ad peccatum inducendi.* » Ratio patet : quia non cederet in honorem Dei nec esset utile ad finem intentum a concedente. — An vero debeat esse opus **bonum undequaque,** non solum secundum *substantiam*, sed etiam secundum *omnes circumstantias*, inter DD. *disputatur.* Quidam **affirmant** : nam opus aliqua circumstantia venialiter mala vitiatum displicet Deo, est insufficiens ad applicanda merita Christi, et non conducit ad consecutionem finis intenti. Ita SYLVIUS, RODRIG. etc. Alii **distinguunt** dicuntque id esse verum, si per illud opus veniali infectum nequeat obtineri finis a concedente indulgentiam intentus; secus vero, si adhuc possit obtineri. Ita BELLARM., BILL., LAYM., alii. « *Unde*, ait BILL., *si concedatur indulgentia eis qui dabunt nummum pro* EXPEDITIONE

(1) **Nota.** Si quis, utendo praefato privilegio, confessionem et communionem pridie ejus diei peragit, cui affixa est indulgentia, reliqua opera praescripta peragere ideoque indulgentiam pridie lucrari minime potest ex S. C. I. (12 Jan. 1878 sub n. 434); nisi expresse in indultis habeatur clausula : *a primis vesperis, usque ad occasum solis ipsius diei festi* indulgentiam lucrifieri posse. Quo casu opera praescripta praestari valent intra idem tempus. S. C. I. (29 Maii 1841).

BELLIGA, *vel* CONSTRUCTIONE ECCLESIAE, *videtur sufficere, si det nummum, etsi ex vana gloria. Si vero injungantur preces, jejunia, eleemosynae ad* PLACANDUM DEUM, *ad* OBTINENDAM CONVERSIONEM INFIDELIUM, *etc., non videtur satisfacere qui jejunat, orat, dat eleemosynam ex vana gloria.* » — **Probabilior,** ait GIRIBALDI, *est sententia docens satis esse opus bonum secundum substantiam et ex objecto, quamvis sit vitiatum aliqua circumstantia mala,* **si fiat cum intentione lucrandi indulgentiam** : *quia tale opus leviter vitiatum est sufficiens ad implendum praeceptum divinum et humanum, ut communiter tradunt DD. ; ergo etiam est sufficiens ad lucrandum indulgentiam, cum non sit verisimile plus requiri a Pontifice pro consecutione indulgentiae, quam quod requiratur ab Ecclesia pro implendis praeceptis, cum tam praeceptum quam indulgentia sit ordinatum ad causam piam et ad honorem Dei... Dixi :* **si opus fiat cum intentione lucrandi indulgentiam** ; *si enim* ADAEQUATE *fieret ob malum finem, puta ob vanam gloriam, non sufficeret : quia non esset opus pium, nec cederet in gloriam Dei, prout requiritur ; bene tamen si cum fine malo conjungatur finis bonus, et satis est finis lucrandi indulgentiam ; nam in isto fine virtualiter includitur gloria Dei, quae manifestatur in parcendo, et adest saltem virtualiter voluntas faciendi tale opus secundum intentionem Papae, qua ratione opus evadit moraliter bonum.* » Ita quoque LUG., PALAO, DIAN., KENRICK (XVIII, 251). Tum addit GIRIBALDI : « *Quamvis autem circumstantia venialiter mala, cum qua perficitur ultimum opus, non impediat* LUCRUM INDULGENTIAE, *impedit tamen quoad* REMISSIONEM POENAE *debitae eidem culpae, de qua est complacentia : quia non remittit poenam nisi remissa culpa,* » ut supra (p. 263) dictum fuit. **Resol. 3.** Ex dictis liquet, quid judicandum sit de quaestione : *An faciendum sit opus* **principali intentione** *lucrandi indulgentiam?* (p. 262). Nonnulli quidem **affirmarunt** cum RODRIG., CORDUB., etc. : quia opus factum *principaliter* ob finem diversum, etiam indifferentem, non est opus pium cedens in gloriam Dei, ac proinde insufficiens ad lucrandam indulgentiam ; et inde qui visitaret ecclesiam principaliter ob recreationem, vel Romam pergeret in Anno Sancto principaliter propter curiositatem videndi illam, vel ad videndos amicos seu consequendum temporale beneficium, non lucraretur indulgentiam, quamvis faciendo

opus haberet etiam intentionem lucrandi indulgentiam. Ast *probabilius* **negant** alii cum Suar., Boss., Diana, Mazz., Liand., Girib., Bouv., docentque sufficere intentionem etiam *minus principalem* lucrandi indulgentiam, licet alius finis aeque simultanee, aut etiam *magis principaliter* intendatur : quia cum tali intentione, quamvis *minus principali*, opus remanet bonum quoad substantiam, et adimpletur conditio posita in concessione indulgentiae, in qua non dicitur, ut injuncta opera effici debent *principaliter* aut *exclusive* ad lucrandam indulgentiam. Unde probabilius potest eam lucrari qui ponit opera injuncta v. g. communionem aliudve opus ad indulgentiam requisitum cum *simultanea* intentione tum obtinendae alicujus gratiae pro alia persona, tum lucrandae indulgentiae sive pro se, sive pro defunctis. Pro **praxi** addimus cum *Bouvier :* tutius esse primario intendere acquisitionem indulgentiae et huic intentioni secundario adjicere fines speciales quos aliquis obtinere voluerit. **Resol. 4.** Opus indulgentiale nequit poni **per alium** : quia facere ut alius jejunet vel preces fundat, non est jejunare vel precari. Sufficit tamen, ut per alium fiat eleemosyna : quia hanc vere dat, qui de suo pauperi benefacit ; unde sicut indulgentiae expers est qui pecuniam male partam tribuit manu propria, sic et ejus particeps efficitur, qui suam largitur per famulum. **Resol. 5.** Ad lucrandam indulgentiam, praeter adimpletionem operum, *non requiritur* **propositum et sollicitudo** propriis actibus satisfaciendi, ut quidam cum Cajet. docuerunt. Ratio : quia nullibi Pontifices hanc singularem conditionem requirunt. Unde deciperentur fideles, si ista conditio, de qua nunquam monentur, requireretur. Nec **dicas** : indulgentiae conceduntur vere poenitentibus; atqui ille non est vere poenitens, qui non vult facere dignos fructus poenitentiae. **Resp.** enim : ille est vere poenitens qui est vere contritus cum animo satisfaciendi, nisi aliunde pro eo satisfiat. **Resol. 7.** Quoniam ad indulgentias plenarias consequandas inter opera injuncta numerari solent **confessio, communio, preces** ad intentionem S. Pontificis, et saepe **visitatio** ecclesiae, patet ea opera, veluti totidem conditiones, adimpleri debere in *loco*, *tempore* et *modo* praescriptis a superiori, ac *integre*, saltem quoad substantiam esse observanda. De singulis operibus dicemus, praesertim ubi de jubilaeis.

Q. 14. *An*, ad LUCRANDAM indulgentiam, requirantur : 1°) opera *alias indebita*; 2°) *confessio?*

R. Ad 1um) *Affirm.*, per se.

Explanatur. Audiatur BENED. XIV Const. «*Inter praeteritos*» (3 Dec. 1749) n. 53 inquiens : « *Illa* VERIOR *opinio esse videtur, quod acquiri nequeat indulgentia per opus ad quod praestandum* EX ALIO TITULO *quis obligatur, nisi, qui indulgentiam concedit,* NOMINATIM DICAT, *quod per praedictum opus acquiri possit.* » Ratio est : quia opus injunctum ad indulgentiam habet rationem oneris; atqui pacto oneroso non satisfit per solutionem rei alias debitae. Hinc non valent opera alias praecepta, v. g. jejunium quadragesimale, officium ecclesiasticum, etc. Constat ex S.C.I. (29 Maii 1841), ubi ad **dubium** : *An possit per preces jam obligatorias, v. g. per horas canonicas satisfieri precibus a S. Pontifice praescriptis ob lucrandam indulgentiam plenariam?* » **Resp.** : « *Negative.* » Nec valent opera ad quae praestanda *ex voto* aut *alio titulo* quis obligatur. Et hinc dicendum est quod, ubi particulares indulgentiae annexae sunt precibus quas quis recitat ad aliam indulgentiam lucrandam, simul et illas lucrari nequeat. — Dixi : **per se**; i. e. nisi aliud **constet** de mente concedentis. Et ita confessionem peragentes et SS. Eucharistiam suscipientes tempore paschali possunt per hanc confessionem et S. Communionem lucrari indulgentiam plenariam ad quam lucrandam inter cetera praescribitur confessio et communio, « *dummodo indulgentia lucrifacienda non sit in forma* **jubilaei**, *pro qua* TANTUM *requiritur peculiaris confessio et communio*». Constat ex S. C. I. (19 Mart. 1841 et 10 Maii 1844). Praeterea ad **dubium** : « *An sacerdos in honorem B. M. V. missam celebrans* PRO ACCEPTA ELEEMOSYNA *possit per sacram communionem in missae sacrificio peractam lucrari indulgentiam, vel sibi vel defunctis applicandam, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra communio?* » (10 Mart. 1844) **respondit** : «*Affirmative.*»

R. Ad 2um) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel in Brevi **nulla** fit mentio confessionis sacramentalis aut confessio **disjunctive** exprimitur, hoc modo : *contritis* AUT *confessis* ; — vel **praescribitur** confessio, ut si dica-

tur : *contritis* ET *confessis*, quemadmodum fit in plerisque indulgentiis plenariis et signanter in jubilaeo.—Si **primum** : confessio non est necessaria, et sufficit contritio perfecta in his, qui habent peccatum mortale, nisi Eucharistia sit recipienda.—Si **secundum** : confessio sacramentalis necessaria est ut conditio sine qua non, et peragi debet, ut constat ex S. C. I. (19 Maii 1759), « *etiam ab iis qui sibi lethalis peccati conscii non sunt.* » Non requiritur tamen, ut poenitentibus etiam detur **absolutio,** ut declaravit eadem S. C. I. (15 Dec. 1841), et confirmatum fuit ex decreto S. C. I. a PIO IX reformato (6 Maii 1852). » Ad **dubium** enim : « *Si christifidelis culpae certae immemor est ex ultima absolutione, teneturne ad* ABSOLUTIONEM *recipiendam, ut lucrari possit indulgentias pro quibus confessio sacramentalis praescribitur?* » S. C. I. (16 Febr. 1852) **responderat** quidem : « *Affirmative.* » Ast PIUS IX (6 Maii 1852). ita jussit rescribi : « *Affirmative quoad* CONFESSIONEM. *Negative quoad* ABSOLUTIONEM, *servato decreto S. C. I. diei 9 Dec. 1763 a. s. m.* CLEM. XIII *approbato.* »

Q. 15. In casibus ubi requiritur CONFESSIO, *quandonam* haec institui *debeat?*

R. Confessio per se instituenda est eo tempore et singula vice, qua praescribitur, nisi constet de contrario.

Explanatur. Dixi : **nisi constet de contrario.** — Sic **constat** : **1°**) Quod confessionem instituere liceat *in vigilia* diei, pro qua concessa est indulgentia. Ita ex decreto S. C. I. a CLEM. XIII approbato (19 Maii 1759); quod item de communione licitum est, ex concessione PII IX (6 Oct. 1870) ut supra dictum fuit (p. 272). Imo, per extensionem hujus facultatis, « *in locis, in quibus ob inopiam confessariorum nequeunt fideles frequenter confessione sacramentali expiari,* » ex decreto S. C. I. (12 Junii 1822) sufficit ad obtinendam indulgentiam confessio peracta « *infra hebdomadam ante festivitatem.* » Interim illud decretum non suffragatur nisi christifidelibus dioecesium ad quas extensum est, ut patet ex resolutione S. C. I. (28 Sept. 1838). — **Constat** : **2°**) Quod ex decreto S. C. I. (14 Jul. 1894) ap. N. R. T. (XXVI, 489) confessio sacramentalis peracta etiam die 30 Julii, nimirum die immediate praecedenti pervigilium diei quo a primis vesperis datur perfrui indul-

gentia de *Portiuncula* suffragari valeat in posterum ad memoratam indulgentiam acquirendam pro universis christifidelibus. — Imo in locis ubi indulgentia de Portiuncula *transfertur* ad insequentem dominicam, confessio peragi poterit etiam feria V ante praefatam dominicam. Ita ex S. C. I. (20 Jul. 1896) ap, N. R. T. (XXIX,88.)—**Constat** : 3°) Quod ex decreto S. C. I. (9 Dec. 1763), per indultum speciale in perpetuum concessum, Clem. XIII permiserit « *omnibus christifidelibus, qui frequenti peccatorum confessione animum studentes expiare,* SEMEL SALTEM IN HEBDOMADA *ad sacramentum poenitentiae accedere,* NISI LEGITIME IMPEDIANTUR, *consueverunt, et nullius lethalis culpae a se post praedictam ultimam confessionem commissae sibi conscii sunt, ut omnes et quascumque indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione, quae ceteroquin... ad eas lucrandas necessaria esset.* » Imo plures episcopi a S. Sede extensionem hujus privilegii, *certo tempore* renovandi, ad alteram hebdomadam obtinuerunt; quemadmodum *ab biennium* indulsit Pius IX (31 Aug. 1874) episcopo Leodiensi in Belgio, ita « *ut qui* INFRA UNAM VEL DUAS UNIUSCUJUSQUE MENSIS HEBDOMADAS *sacramentalem confessionem peragere* SOLEANT, *omnes et singulas plenarias indulgentias cuilibet ecclesiae sive publico oratorio istius Leodiensis dioecesis eo temporis intervallo concessas absque praefata sacramentali confessione lucrari libere ac licite possint et valeant, dummodo tamen reliqua, quae ad eas consequendas injuncta sunt, rite praestiterint.* » Ap. N. R. T. (VII, 572). Idem privilegium concessit Pius IX (14 Jan. 1877) presbyteris et ceteris fidelibus Archid. Friburgensis. — Ut autem constat ex decisione S. C. I. (15 Nov. 1878) ap. N. R. T. (XI, 31 seq.), quam die 23 seqenti Leo PP. XIII approbavit, confessio praescripta « *per singulas hebdomadas* » peragi debet infra septem dies, i. e. « *quolibet decurrente septem dierum spatio;* » non vero infra octo dies. Similiter verba : « *infra duas hebdomadas* » stricte interpretanda sunt, ita ut confessio peragi debeat infra quatuordecim dies, i. e. « *decurrente quatuordecim dierum spatio,* » ita ut non sufficiat bina confessio in mense, ut non pauci docuerunt. Unde quoque ad **dubia** : « I. *Utrum Christifidelis, qui singulis hebdomadis et stato die ex. gr. sabbato, confessionem peragere solet, satisfaciat oneri praescriptae confessionis?* II. *Utrum oneri praescriptae confessionis*

satisfaciat Christifidelis, qui in iis locis, pro quibus viget Indultum, alternis hebdomadis et stato die, ex gr. sabbato, confessionem peragere solet? » S. C. I. (25 Febr. 1886) **respondit** : « *Ad 1um Affirmative. Ad 2um Affirmative.* » Ap. N. R. T. (XVIII, 257).—Utrum vero data decisio etiam applicari debet decreto S.C.I. (12 Jun. 1822) supra allato (pag. 277), DD. *disputant.* Alii **affirmant**; alii **negant**, et forte non sine fundamento. Nam ad **dubium** propositum : « *An verba :* INFRA HEBDOMADAM, *significent* OCTO DIES TANTUM, *quae festivitatem immediate praecedunt, an vero* HEBDOMADAM ILLAM TOTAM ET INTEGRAM QUAE ANTE FESTUM DECURRIT, *ita ut e. g. confessio facta die dominica suffragetur ad lucrandam indulgentiam die sabbati hebdomadae sequentis, in quam diem festum incideret, tametsi tunc tresdecim dies inter confessionem et festivitatem intercessissent?* » S. C. I. (15 Dec. 1841) **respondit** : « AFFIRMATIVE, *quod primam partem;* NEGATIVE, *quoad secundam.* » Ap. N. R. T. (XI, 35) (1).

Q. 16. *An*, ad lucrandam indulgentiam *plenariam*, requiratur *communio?*

R. Bullae *ordinarie* eam requirunt vel supponunt. *Quandoque* tamen eam non exigunt, ut v. g. pro indulgentia plenaria in articulo mortis, dum Viaticum recipi non potest (t. III, p. 417); item pro indulgentia *Viae Crucis*, et aliis nonnullis.

Q. 17. *An* possimus *eadem die* lucrari *pluries* indulgentiam EAMDEM?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de indulgentia **plenaria,** — vel de indulgentia **partiali.**

Si **primum** : *Negative*, nisi indultum *clare et expresse* eam PLURIES lucrandam concedat. Quam regulam probant communiter **DD.** ex decreto « *Delatae saepius* » S. C. I., approbato ab INNOC. XI (7 Mart. 1678) ubi dicitur : « SEMEL *autem dumtaxat in die plena-*

(1) Quaedam concessiones speciales quoad *confessionem* factae sunt favore : tum quarumdam Missionum in regionibus *Sinarum, Tonking,* etc., tum Missionum *Franciscalium in Sinis,* quas vide ap. MOCCHEGIANI, *O. M.* (nn. 168 sq. et 1497 sq.) in op. « *Collectio ind.* », cujus major pars jam prodierat ap. « *Acta Ordinis Minorum.* »

riam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri. Item ex declaratione S. C. I. (14 Dec. 1717), quae ad **dubium** : *An illi, qui saepius eodem die Viam Captivitatis Christi nuncupatam peregerint, necnon praefata sacella visitaverint, non unam sed plures indulgentias plenarias eodem die lucrari valeant?* » ita **respondit** : « *Illos, qui praefata peregerint, unicam dumtaxat in die indulgentiam plenariam lucrari posse.* » Unde quoque in decreto S. C. I. (15 Mart. 1852) sub n. 356, Pius IX « *indulgentiam plenariam quotidianam perpetuam vel ad tempus concessam visitantibus aliquam ecclesiam seu publicum oratorium, ita semper intelligendam esse mandavit, ut* SEMEL IN ANNO *tantum ab unoquoque fideli acquiri possit : excepto solummodo casu, quo in Decreto, Rescripto, Brevi, etc., concessionis favore alicujus ecclesiae seu publici oratorii,* **clare et explicite** *expressum sit, indulgentiam plenariam reapse* QUOTIDIE *ab unoquoque Christifideli rite disposito acquiri posse.* » — Dixi : *nisi indultum* CLARE ET EXPRESSE *eam* **pluries** *lucrandam concedat;* et sic : — **1°**) « *Visitantes* ECCLESIAS ORD. S. FRANCISCI, *die 2 Augusti, lucrantur indulgentiam plenariam* TOTIES QUOTIES *in eas ingrediuntur et parumper ibi orant* (1); *nec requiritur ut communio fiat in eadem ecclesia,* ut declaravit S. C. I. (12 Jul. 1847). Quam celebrem indulgentiam, **de Portiuncula** nuncupatam, antea ex concessione Pii PP. IX (6 Aug. 1863), cujus exemplar ad secretariam S. C. I. (17 Febr. 1879) delatum fuit, omnes Christifideles lucrari poterant in qualibet ecclesia, ubi canonice erecta est TERTII ORDINIS FRANCISCANI Congregatio. Ast illud privilegium abrogatum fuit per Const. LEON. XIII « *Misericors Dei Filius,* » ut constat ex S. C. I. (12 Dec. 1888) ap. N. R. T. (XXI, 51). — **2°**) Pari privilegio gaudent confratres **SS. Rosarii,** quoties a primis vesperis usque ad occasum solis diei festi SS. ROSARII visitent cappellam Rosarii, sive ex S. C. I. (25 Jan. 1866) simulacrum B. M. V. Rosarii extra dictam capellam publicae venerationi in ecclesia expositum. Quae indulgentia est communis omnibus Christifidelibus. — Praeterea

(1) Concessit autem LEO XIII per Breve « *Ad Augendam* » (22 Jul. 1890) singulis utriusque religiosis ex Ordine Carmelitarum Discalceatorum, ut indulgentias Portiunculae valeant lucrari visitando proprias suas ecclesias seu capellas. Ap. N. R. T. (XXIII, 348).

3°) Leo XIII (27 Jan. 1888) simile privilegium concessit ecclesiis **Servorum Mariae** necnon aliis ubi exsistit confraternitas B.M.V. **Sept. Dolor.** *in Dominica III Septembris.* Ap. N. R. T. (XXI, 476 seqq.). Cum autem regula sit, ut indulgentiae lucrandae incipiant *a media nocte* et durent *ad mediam noctem*, nisi aliud expresse habeatur in indultis (S. C. I. 15 Jan. 1878), inde videtur concludendum hanc ultimam indulgentiam tantum in die naturali et non a primis vesperis lucrifieri posse, nisi accedat ulterior declaratio id concedens. Ap. N. R. T. (XXI, 478). — Item 4°) Leo XIII per Breve (16 Jan. 1892) ap. *Chroniques du Carmel* (4me an. n. 3, pag. 77 seq.), «*omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui quamlibet ex Ecclesiis vel quodlibet ex publicis Oratoriis sive Fratrum sive Monialium universi* Ordinis Karmelitidis *tum Calceatorum tum Excalceatorum ubique locorum exsistentibus die 16 mensis Julii cujusque anni qua festivitas* **Deiparae Virginis de Monte Carmelo** *celebratur a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exsaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, toties Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint,*» misericorditer in Domino concessit (1).

Si **secundum** : utrum quis unam eamdemque indulgentiam

(1) Circa indulgentiam plenariam *toties quoties* per Breve Leon. XIII (16 Maii 1892) concessam pro die 16 Julii, in festo B. M. V. *de* **Monte Carmelo**, sequentia dubia prodierunt quae solvit S. C. I. (21 Aug. 1892), Ap. N. R. T. (XXVI, 150 seq.).

1°) Utrum gratia nuper a S. V. benigne concessa per Breve diei 16 Maii 1892, qua videlicet: Indulgentia pro die 16 Julii concessa lucrari possit *toties quoties*, valeat etiam pro illis locis ubi Commemoratio B.M.V. de Monte Carmelo in Dominica sequenti, vel alia Dominica mensis Julii, juxta concessiones Pontificias, celebrari solet, ita ut in illis locis Christifideles, die 16 Julii, sed aut Dominica sequenti aut respective alia Dominica mensis, juxta locorum consuetudinem, Indulgentiam plenariam, *toties quoties*, lucrari valeant?

2°) In Breve S.V. die 16 Maii 1892, conceditur gratia lucrandi Indul-

partialem, repetendo pluries opera praescripta, pluries *eadem die* lucrari possit, eruendum est ex litteris concessionis. Constat enim pro quibusdam indulgentiis partialibus id fieri posse, ut si dicitur *qualibet vice*, vel *toties quoties*, vel *quotiescumque*;—pro aliis vero non, ut si dicitur *semel in die*. — Quod si litterae nihil determinant, standum est interpretationi et praxi communi Ecclesiae. Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 25, a. 2 ad 4) sequens a nonnullis traditur regula : Si determinata est indulgentia *ad certum tempus*, v. g. a primis vesperis ad vesperam sequentem non nisi semel eam quis eo temporis intervallo consequi potest; si vero indulgentia sit *perpetua*, ut si bulla dicat indefinite : visitantes talem ecclesiam, vel tale opus facientes, lucrabuntur indulgentias centum dierum, tunc quoties quis praescriptum opus ponit, toties indulgentiam consequitur.

Q. 18. *An* possimus *eadem die* lucrari *plures* indulgentias DIVERSAS?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel loquimur de indulgentiis **plenariis**, — vel de indulgentiis **partialibus**.

Si **primum** : *Affirm.*, in duobus casibus sequentibus : 1°) Si illae diversae indulgentiae annexae sint operibus **diversis**, ut patet; vel operibus *iisdem*, quae **iterari** possint eadam die; tunc que opera illa, ad indulgentias lucrandas, eadem die sunt repe-

gentiam plenariam *toties quoties*, pro Ecclesiis Fratrum et Monialium Ordinis B. M.V. de Monte Carmelo, ast de Tertiariis nostris utriusque sexus mentio non fit; quaeritur an eorum Ecclesiae, si publicae sint, censeantur comprehensae?

3°) An Prior Generalis, vel eo absente, ejus Vicarius Generalis gratiam lucrandi Indulgentiam plenariam *toties quoties*, die 16 Julii, aut respective Dominica sequenti aut alia Dominica Julii, secundum locorum consuetudinem, communicare valeant Ecclesiis in quibus, servatis servandis, Confraternitatem B. M.V. de Monte Carmelo canonice erigunt?

S. C. I. die 21 Aug. 1892, respondendum censuit :

Ad 1um) *Affirmative* tantum quoad translationem festi B.M.V. de Monte Carmelo in Dominicam immediate sequentem diem 16 Julii, juxta privilegium a f. r. Paulo V tributum Ecclesiis universis Ordinis Carmelitani.

Ad 2um) *Negative.*

Ad 3um) *Negative.*

tenda. 2°) Si opus aliquod eadem die sit **initerabile**, ut v. g. duae communiones, duo jejunia, etiam tunc lucrari possumus varias indulgentias uno eodemque opere, si variae illae indulgentiae plenariae tali diei affixae sint ex **titulis diversis**, puta, si duae indulgentiae plenariae tali dominicae afficiantur, una v. g. *Rosarii*, et altera *SS. Nominis Jesu*. Constat ex decreto S. C. I. (29 Maii 1841), ubi ad **dubium** : « *An eodem die lucrari possint plures indulgentiae plenariae, quando pro unaquaque praescripta est perceptio divinae Eucharistiae?* » **respondit** : « *Affirm., servatis tamen respective aliis appositis conditionibus.* » Item ex S. C. I. (12 Jan. 1878) ubi ad **dubium** : « *Utrum, si eidem pio operi, quod a fidelibus* ITERARI NON POTEST, *variis titulis indulgentiae adnexae sunt, possint omnes lucrifieri?* » **Resp.** : « *Affirmative, dummodo opera injuncta* VERE ITERARI NEQUEANT VEL NON SOLEANT, *sicuti confessio, nisi sit aliunde necessaria.* » Unde quoque ad **dubium** : « *An sacerdos, qui missam celebrat e. g. pro defuncto eidemque applicat indulgentiam plenariam altaris privilegiati, possit* EODEM DIE *vi sacrae communionis in missae sacrificio peractae lucrari* ALIAM INDULGENTIAM PLENARIAM *vel sibi vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandum praescribitur sacra communio?* » S. C. I. (10 Maii 1844) **respondit** : « *Affirm.* » — Et quidem potest quis *plures* indulgentias plenarias *eadem die* lucrari, solutis scilicet conditionibus, sive indulgentiae in una die occurrant **propter festivitatem**, sive quis **ob suam devotionem** tali diei hebdomadae vel mensis eas affixerit. Verum tenetur quis Ecclesiam vel publicum oratorium visitare, quando nempe requiritur talis visitatio, *totidem vicibus*, quot sunt indulgentiae lucrifaciendae. Neque vero sufficit, ut in una eademque ecclesia tot preces seu visitationes repetantur, quot sunt indulgentiae lucrandae, quin de ecclesia post quamlibet visitationem quis egrediatur et denuo in eam ingrediatur, ut totidem verbis constat ex S. C. I. (29 Febr. 1864). Interim, quod probe **notandum est**, quamvis aliquando plures indulgentiae plenariae eadem die lucrifieri possint vel eamdem plenariam pluries in die lucrari valeamus, nemo tamen potest lucrari secundam indulgentiam plenariam eodem tempore pro seipso, si post primam nulla poena luenda amplius remaneat. Secus vero dicendum, si commisso aliquo novo peccato, iterum adimpleantur conditiones requisitae. Praeterea nihil

impedit quominus quis unam indulgentiam plenariam sibi applicet, et eodem tempore alias lucretur pro defunctis, si nempe indulgentiae his sint applicabiles.

Si **secundum** : potest quis eadem die lucrari tot indulgentias **partiales** diversas, quot in eam diem concessae fuerunt, modo pro singulis adimpleat opera ad eas lucrandas praescripta. Unde, quamvis uni eidemque coronae possint applicari diversae indulgentiae v. g. Ros., S. Birg., Crucig., etc.; tamen qui diversas illas indulgentias lucrari vult, debet renovare opera praescripta iterabilia, ac proinde recitationem. Constat ex S.C.I. (29 Febr. 1820).

Q. 19. *An* COMMUTATIO *operum*, si concedatur, necessario facienda sit *in confessione?*

R. *Controvertitur.*

Resolvitur. Interim teneantur sequentia :—**1°**) Ex BENED. XIV Const. « *Inter praeteritos* » (3 Dec. 1749) **regula** est, ut hujusmodi commutationes in sola confessione sint faciendae. — **2°**) Hinc S. C. I. (15 Mart. 1852) ad **dubium** : «*An scilicet in jubilaeo tum ordinario, tum extraordinario, servandae sint omnes regulae a. s. m.* BENED. XIV *traditae, quibus non adversatur Bulla jubilaei?* » **respondit** : «*Affirmative.*»—**3°**) Cum pro jubilaeo 1865 **petitum** fuerit : « *An, eveniente justa causa commutandi opera injuncta praescripta in Breve praesentis jubilaei, ejusmodi commutatio fieri possit* EXTRA *actum sacramentalis confessionis?*» S. POENIT. (16 Mart. 1865) **rescripsit** : « *Ex declaratione facta a* SS. D. P. PIO IX, *affirmative.*» — **4°**) Utrum praesens declaratio, veluti principium, applicabilis sit omnibus jubilaeis in posterum futuris, an vero dumtaxat ad jubilaeum 1865 sit restringenda, DD. *disputant.* Probabilius est, praefatam declarationem habendam esse non veluti novam regulam, sed ut peculiarem exceptionem factam regulae a BENED. XIV traditae. Quod confirmatur ex eo quod ad **supplicationem** ut confessarius opera pro jubilaeo 1886 injuncta commutare et super communione cum pueris dispensare valeat *etiam extra actum sacramentalis confessionis*, S. POEN. (30 Jan. 1886) **responderit** : «*non expedire.*»

CAP. 5. De tempore quo incipiant indulgentiae lucrandae deque duratione, cessatione et translatione indulgentiarum.

Q. 20. Dic : 1°) quo *tempore* incipiant indulgentiae, et 2°) *quousque* DURET seu *permaneat* earum concessio?

R. Ad 1^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Nisi **aliud expresse habeatur in indultis,** indulgentiae lucrandae incipiunt *a media nocte ad mediam noctem*, ut constet ex S. C. I. (12 Jan. 1878). Idque ita stricte intelligendum est, ut non incipiant nisi *a media nocte ad mediam noctem*, etiam illae indulgentiae lucrandae in festis, si in earum concessionibus non addatur clausula : *a primis vesperis*. S.C.I. (16 Jul. 1887). Quando vero **expresse** indulgentia concessa est « *a primis vesperis usque ad occasum solis sequentis diei*, » incipit tunc a primis vesperis currítque usque ad solis occasum ipsius diei festi cui annexa est indulgentia, id est, ex BENED. XIV Bull. « *Peregrinantur a Domino* » (5 Maii 1749, § 6) : « *usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum.* » — Sed **a qua hora** primae vespere praecise incipiant, quaestio est inter DD. *disputata*, quam dirimere ad me non pertinet (1). De qua controversia tractat N. R. T. (VII, 172 seqq. et VIII, 273 seq.).

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. A) Si **ad tempus** concedantur, prout juxta hodiernum R. Curiae stylum solent indulgentiae *pro festivitatibus* concedi *ad septennium*, certum est eo elapso tempore praefixo, indulgentiam cessare. Et licet indulgentiarum Brevia nonnisi a die publicationis suum sortiantur effectum, attamen initium temporis praefixi seu septennii « *non a die publicationis, sed a die Datae Brevis septennii tempus incipere*, » declaravit S. C. I. (20 Maii 1711). Datur tamen **exceptio** : scilicet : « Tempus in Brevibus Apostolicis positum pro confirmatione privilegii ALTARIS in regionibus re-

(1) « Recte sumi potest tempus decurrens ab hora diei praecedentis qua solent vesperae in publico recitari (apud nos ab hora 2 1/2 pomeridiana). » Ita DE SCHREVEL « *Florilegium* » Brug. 1892, pag. XVII.

motis, non a die Datae, sed a die praesentationis Brevis Ordinario esse computandum, » declaravit S.C.I. (4 Dec. 1736). — **B**) Si vero **indefinite, in perpetuum,** seu **pro tali die cujuslibet anni futuri** concedantur, durant perpetuo ; « *ideoque non oportere gratias ab ipsa Apostolica Sede in perpetuum concessas, post 20 et amplius annorum spatium renovare*, » declaravit S. C. I. (14 Febr. 1842) et pridem jam edixerat (22 Jan. 1753).

Q. 21. *Quomodo* CESSENT indulgentiae?

R. 1°) Certum est, indulgentias non cessare per mortem concedentis, nisi hic expresse vel interpretative terminum mortis suae illis praefixerit, v. g dicendo : *usque ad beneplacitum nostrum ;* hoc enim ultra mortem ejus durare non potest. Aliud est, si dicat : *usque ad beneplacitum Sedis apostolicae ;* haec enim non moritur.

R. 2°) Cessant autem non solum quando *elapsum est tempus* pro quo concessae fuerunt, sed etiam in *quatuor* sequentibus casibus, scilicet : per *revocationem*, per rerum *destructionem*, per earum *translationem* quoad dominium, denique *commodando* eas ad *lucrandas indulgentias.*

Explanatur. Cessant : —**1°**) Per *expressam* concedentis aut successoris **revocationem.** —**2°**) Per *physicam* vel *moralem* **destructionem rerum,** quibus annexae erant indulgentiae, ut si ex granis rosarii plura perdas quam retineas. Non tamen amittuntur, si res per successivas reparationes totaliter renovaretur, siquidem moraliter remaneret, aut si rumpatur coronarum filum : sive voluntarie ut catenis nectantur, sive involuntarie et fortuito id acciderit; aut si globoli quatuor vel quinque deperdantur, quos tamen aliis novis globolis supplere juvat. Nec amittit indulgentias crucifixus, si frangitur crux sed imago crucifixi permanet. Quando enim crucifixus benedicitur, indulgentia concessa cadit solum in Christum ex aere, ligno vel ex alia quaque materia non fragili confectum, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri absque periculo amittendi indulgentiam ipsi collatam, ut declaravit S. C. I. (11 April. 1840). Nec cessat indulgentia alicui *ecclesiae* addicta, si destructa ecclesia *sub eodem titulo* reaedificetur et *fere in loco* ubi vetus exsistebat. Ex S. C. I. (9 Aug. 1843). Quae verba : *fere in loco*, ita accipienda

sunt, ut intelligantur de parva distantia a loco, puta quantum est jactus lapidis vel spatium 20 sive 30 passuum, ut declaravit S. C. I. (29 Mart. 1886). Ap. N. R. T. (XVIII, 606). Quod si indulgentia *altari* fuerit affixa, haec quoque manet altari reaedificato, dummodo sub eodem titulo in eadem ecclesia reaedificatum fuerit, licet *in alio* ecclesiae *loco*. Ita ex S. C. I. (16 Sept. 1723 et 24 April. 1843).—**3°**) Si rei mobilis, cui adnexae sunt, **dominium** in alium **transferatur,** ut si ea vendatur, aut post usum donetur. Constat ex S. C. I. (12 Jul. 1847, sub n. 544. Unde quoquo ad **dubium** : « *An* 1° *res indulgentiis ditatae tradi debeant fidelibus omnino gratis; ita ut* 2° *si aliquid quocumque titulo, sive pretii, sive permutationis, sive muneris, sive eleemosynae requiratur vel accipiatur, indulgentiae ex hoc amittantur?* » S. C. I. (16 Jul. 1887) **respondit** : « *Affirm. ad utramque partem.* » Ap. N. R. T. (XIX, 580). Quod tamen applicandum non est casui, quo, praevio mandato accepto, quis emeret pro alio objectum benedicendum, cujus pretium tantummodo perciperet post benedictionem cum applicatione indulgentiarum; mandans enim in casu ab initio est proprietarius, et ille qui rem alteri tradit tanquam mandatarius dici nequit rem vendens. Ita N. R. T. (XIV, 201). Hinc quoque ad **dubium** : « *An amittant indulgentias cruces, coronae, etc., si quis eas emens, ipsi venditori earum benedictionem nomine suo curandam committat, soluturus pretium expensasque transmissionis, in ipso actu quo res illae jam benedictae sibi tradentur?* » S. C. Ind. (10 Jul. 1896) **respondit.** « *Neg.* » (N. R. T. XXIX, 89). E contra ad **dubium** : « *An amittant indulgentias cruces, coronae, etc., si quis praevidens eas jam benedictas postulatum iri certa occasione, puta magni concursus fidelium, in antecessum benedicendas curet pro iis qui eas, restituto pretio expenso, petituri sint?* » S. C. I. sub eodem die (10 Jul. 1896) **respondit** : « *Affirm.* » N. R. T. (XXIX, 89). Similiter res benedictae postquam quis eas ad proprium suum usum acceperit, nequeunt tradi alteri, quin amittantur indulgentiae. Secus vero dicendum, si quis ante omnem usum alteri traderet hujusmodi res benedictas quas habet cum facultate eas distribuendi; et hinc ad **dubium** : « *An amittunt indulgentias cruces, coronae, rosaria, statuae, etc., quae ante omnem usum, ab una, dein in aliam, tertiam et quartam quoque manum transierint?* » S. C. I. (16 Jul. 1887)

respondit : « *Neg.* » Ap. N. R. T. (XIX, 580). — Imo 4°) cessat indulgentia, si res benedicta amico **commodetur** *ad lucrandas indulgentias;* secus si commodetur tantum ad coronam simpliciter recitandam, ut declaravit S. C. I. (13 Feb. 1745). Ad **dubium** enim : « *An vi decreti de non commodandis coronis, indulgentiae concessae coronis S. Birg. nuncupatis,* ADHUC DURENT, *si dictae coronae commodentur dumtaxat ad* ENUMERANDOS CALCULOS *seu* AD RECITATIONEM ORATIONUM? » **Resp.** « *Affirm.* »

Q. 22. *Quid* dicendum circa TRANSLATIONEM indulgentiarum?
R. De hac re *certa* sunt sequentia.

Explanatur. Et quidem ex decreto S. C. I. (12 Jan. 1878) — 1°) **certum** est : Quod translato tantum festo per accidens, i. e. *quoad officium et missam* infra annum, non transfertur indulgentia festivitati annexa, ut constat ex decreto S. R. C. (16 Sept. 1741) per responsum : « *translato festo unice quoad officium, non transfertur indulgentia tali festo concessa;* » idque recentius confirmatum fuit per decretum S. C. I. (9 Aug. 1852) (1). — 2°) **Certum** est : quod cum transfertur festum *quoad solemnitatem et exteriorem publicam celebrationem*, transfertur et indulgentia eidem festo concessa, etiamsi non transferatur officium cum missa, ut patet ex praed. decret. (9 Aug. 1852) (2). — 3°) **Certum** est : quod translato festo *in perpetuum et perpetuo* in aliam diem, simul transfertur indulgentia eidem festo concessa, licet festum celebretur sine solemnitate et publica functione, ut constat ex eadem S. C. I. (12 Jan. 1878) (3). — **Certum** est : 4°) quod sive festum in perpe-

(1) Et hinc indulgentia acquirenda in Dominica III Septembris, in qua celebratur festum VII Dolorum, manet annexa huic Dominicae, etsi festum per accidens transferatur. — (2) Hinc indul. annexae festis Epiph., Corp. Christi, SS. AA. Petr. et Paul., Patroni loci, in Gall. et Belg. translatae sunt in Dom. seq., in quam vi concord. an. 1801 transfertur solemnitas. Idem dicendum de festo S. Joseph, si ex decr. S. R. C. (15 Aug. 1892) transferatur; et de festo SS. Cordis Jesu, si ex decr. S. R. C. (28 Jan. 1889) in die sequente reponatur. (Ap. N. R. T. XXIV, 627 et XXI, 400). — E contra non transfertur indulg. annexa festo Purificat. B. M. V. (2 Febr.) etsi hoc venerit in Dom. Septuag., Sexag. vel Quinq., cum in eo casu tantum transferatur officium cum Missa. (Ap. N. R. T. XXV, 215 seq.) — (3) Hinc ind. plenaria Tertiariis saecularibus lucrifacienda in festo Stigm. S. Franc. (17 Sept.) in dioec. Mechl. transfertur, cum ibi perpetuo festum transferatur. Ap. N. R. T. (XXIV, 217).

tuum transferatur pro toto Ordine, sive pro sola Ordinis provincia, etiam indulgentiae festo concessae transferuntur, ex S.C.I. (12 Jan. 1878). — **Certum** est : 5°) « *Indulgentiam acquiri a* CHRISTIFIDELIBUS *die fixa et rite constituta in sua dioecesi; a* REGULARIBUS *Ordinibus die rite constituta in suo kalendario; ab hominibus, qui* SODALITATI *nomen dederint, quae ad* REGULAREM ORDINEM *attineat, indulgentiam acquiri die rite constituta in kalendario dioecesis, vel in kalendario Ordinis, si istiusmodi privilegio gaudeant, non tamen in utraque die,* » ut declaravit S. C. I. (29 Aug. 1864).

Scholion. Pro coronide dictorum, juvat circa **interpretationem** indulgentiarum sequentia adnotare ex S. C. I. (18 Sept. 1862 sub n. 392): 1°) Quoties in concessione indulgentiae plenariae inveniuntur verba *in festis*, vel *in omnibus festis*, vel *in omnibus et singulis festis* DOMINI, aut etiam *in festis*, vel *in omnibus festis*, vel *in omnibus et singulis festis* D. N J.C., semper intelliguntur tantum festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Paschalis Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Christi. — 2°) Pariter, quoties in concessione indulgentiae plenariae inveniuntur verba *in festis*, vel *in omnibus festis*, vel *in omnibus et singulis festis* B. M. V., semper intelliguntur dumtaxat festa Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis. — 3°) Quando invenitur concessa indulgentia partialis *in reliquis omnibus* DOMINI *festivitatibus*, vel *in reliquis omnibus festis* B. M. V., hoc intelligendum est de omnibus festis Domini vel B. M. V. quae celebrantur ab Universa Ecclesia. — 4°) Quando invenitur concessa indulgentia plenaria vel partialis *in omnibus et singulis festis* APOSTOLORUM, intelligenda sunt festa Natalis uniuscujusque Apostoli, non vero festa secundaria.

CAP. 6. De quibusdam indulgentiis in specie : Viae Crucis, Altaris Privilegiati, Coronarum, Scapularium.

ART. I. De S. Via Crucis.

Q. 23. Dic : 1°) *quales* sint indulg. adnexae exercitio **Viae Crucis**; et 2°) *quaenam* REQUIRANTUR ad illas lucrandas?

R. Ad 1^um^) Exercitio **Viae Crucis** fideles consequi possunt easdem indulgentias, quas consequerentur, si personaliter

visitarent stationes Viae Crucis in Jerusalem. Hujusmodi indulgentiae animabus in Purgatorio degentibus applicari possunt ex BENED. XIII, Const. «*Inter plurima*» (3 Mart. 1726). Quare applicatio fieri debet, ut advertit S. LEONARD. a P. M. *initio* exercitii vel saltem *ante finem* ejusdem. Certus tamen et determinatus indulgentiarum lucrandarum numerus neque ex pulpitis neque alia forma publicari potest; multo minus scribi in aediculis sive stationibus. Ita S. C. I. sub CLEM. XII (3 April. 1731).

Resolvitur. Quoniam « *ex documentis* **non constat** *indulgentias pro pio exercitio* VIAE CRUCIS *concessas*, TOTIES *lucrari* QUOTIES *praefatum pium exercitium* ITERATUR, » uti declaravit S. C. I. (10 Sept. 1883); nequit, ut patet, **cum certitudine** affirmari, eas indulgentias, quatenus sunt *plenariae* saepius in die lucrifieri posse; non possumus enim indulgentias annuntiare ut *certas*, de quarum exsistentia *dubitatur*. Cfr. N. R. T. XV, 475 seqq. et XXIII, 227). **Caveas** tamen, ne christifideles retrahas a tam salutari exercitio saepius in die repetendo, cujus efficaciam RR. PP. tantopere extollunt, signanter BENED. XIV in Brevi « *Cum tanta* » (30 Aug. 1741 ; tanto magis quod saltem indulgentiae *partiales* toties lucrifieri valeant, quoties opus praescriptum iteratur, juxta dicta (p. 282). — Imo, juxta MINDERER ORD. S. FRANC. (*De indulg. in specie* n. 327 seq), cui cum aliis non paucis omnino assentior, « **probabile est,** etiam Viam Crucis saepius obiri posse cum fructu acquirendarum indulgentiarum **pro defunctis.** » **Nec obstat** decretum S. C. I. supra (p. 279 seq.) memoratum « *Delatae saepius* » et ab INNOC. XI approbatum. **Respondetur** enim cum MINDERER : « Quod autem ex indulgentiis Viae Crucis non nisi unam indulgentiam plenariam sibi applicare possit, reliquas vero defunctis per modum suffragii transcribere debeat, deducitur ex Decreto S. Congr. per INNOC. XI approbato, ad cujus finem dicitur : *Declarat* (S. Congr.) *semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.* Id, quod solum intelligendum venit et verificari debet de indulgentiis, quae plenariae sunt, et *pro vivis* concessae. » Quae assertio MINDERER plane confirmatur ex authentico SUMMARIO sub

n. 57 ap. Rescripta auth. pag. 577 ubi in nota dicitur : « *Juxta memoratum decretum indulgentia plenaria* pro vivis *concessa in diem certum, ecclesiam locumve visitantibus, non acquiritur nisi semel in die.* » — Quod magis est, auctor « *Synopsis indulgentiarum* » ap. Acta Ordinis Minorum absque ulla distinctione scribere non dubitat : « Adhaerendum est sententiae antiquiori et communiori : indulgentias Viae Crucis tam partiales quam plenarias pluries in die lucrifieri posse (1). » Quam sententiam tam validis illustrat argumentis, ut in eam non abire vix possibile quis arbitretur. — Ex quibus omnibus concludimus fideles potius **hortandos** esse ut pluries in die S. Viam Crucis obeant, etiam cum intentione lucrandi indulgentias. Cfr. *Instructio S. Viae Crucis*, edit. 1888, p. 68. Item Cl. Labis in egregio opusculo : « *Le chemin de la Croix.* »

R. Ad 2^{um}) Alia requiruntur ex parte *ipsius Viae Crucis* ; alia ex parte *ipsius indulgentias lucrantis.*

Explanatur. A) Ex **primo capite**, requiritur : 1°) **Erectio canonica,** quae plura postulat 2 :—**A**)Ut ab eo fiat qui hac **facultate** praeditus es. Est autem potestas *ordinaria*, licet Apost. Sedi subordinata, erigendi stationes Viae Crucis penes Ordinem Fratrum Minorum, tam de Observantia quam Reformatorum, qui eas ubique erigere valent, ea lege, ut erigens sit superior loci praedicti Ordinis, vel ex ejus commissione alius religiosus ejusdem Ordinis, dummodo sit concionnator aut saltem confessarius approbatus (S.C.I.3 April. 1731), et dummodo sit subditus superioris delegantis (S. C. I. 26 Sept. 1892) ap. N. R. T. (XXV, 51 seqq.). Si extranei ab hoc Ordine illam facultatem obtineant, debent illam exhibere Ordinario, etiamsi hujus exhibitionis nulla mentio facta sit in conces-

(1) Auctor istius « *Synopsis ind.* » scilicet R. P. *Mocchegiani*, varios articulos qui successive prodierunt in *Act. Ord. Min.* in unum collegit in op. « *Collectio indulgentiarum.* » (Quaracchi 1897). — Eamdem sententiam defendit in opusculo : « *Directorium S. Viae Crucis.* » — (2) Cum in erectione Stationum Viae S. Crucis non semper observata fuerint quae a S. Sede pro valore requiruntur, obtenta speciali facultate a Leone XIII, S. C. I. (7 April. 1894) ap. N. R. T. (XXVI, 270) generalem concessit convalidationem, vi cujus *defectus omnes* usque ad illam diem in erectione commissos *benigne sanavit.*

sionis rescripto. Ita S. C. I. (5 Febr. 1841). — **B**) Ut fiat, saltem pro locis ab Ordinariorum jurisdictione non exemptis, de **licentia**, seu **consensu** : Tum **a**) **Ordinarii**, qui consensus ex S. C. I. (21 Jun. 1879) «IN SCRIPTIS *requiritur sub poena nullitatis* IN SINGULIS CASIBUS *pro unaquaque stationum erectione; nec sufficit, ut sit* GENERICE *praestitus pro erigendis stationibus in certo numero ecclesiarum vel oratoriorum, sine specifica designatione loci.*» Et confirmatur ex S.C.I. (21 Oct. 1885). Tum **b**) **parochi** necnon **superiorum** ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi hujusmodi erectio fieri contigerit, et quidem *in scriptis*, sub poena nullitatis. Ex S. C. I. (3 Aug. 1748; 28 Aug. 1752). Imo invalida foret erectio, si parochus vel superior consensum quidem ante erectionem praestiterit, non tamen *in scriptis* nisi post erectionem. Constat ex S. C. I. (26 Sep. 1892) ap. N. R. T. (XXV, 51 seqq.). Itaque in ecclesia parochiali requiritur, praeter consensum Ordinarii, solius parochi consensus, quia ibidem solus erit superior; in aliis vero ecclesiis, monasteriis, hospitalibus piisque locis opus erit parochi et aliorum respective superiorum consensu in scriptis. Nihilominus ex S. C. I. (21 Jun. 1879) « *validae sunt erectiones stationum Viae Crucis sine consensu in scriptis parochi factae in hospitalibus, ecclesiis, capellis ac domibus Congregationum Sororum, de jure haud exemptis a parochiali jurisdictione, sed de facto (juxta morem in Gallia vigentem) administratis independenter a parocho per capellanum nominatum ab episcopo.* » Quia tamen contingit aliquando ut non satis certo constet quinam sit Superior qui consensum praestare debet pro Viae Crucis erectione in aliqua ecclesia, monasterio, conservatorio, hospitali etc.; non semper enim et ubique habetur Capellanus ab Ordinario nominatus, sed modo unus, modo alter sacerdos a parocho vel a superiore alicujus conventus mittitur ad aliquem ex praedictis locis, ut ibi praecipue pro inhabitantibus, puta, pro sororibus, pro infirmis, etc., missam celebret aliaque ecclesiastica munia peragat, hinc ad **dubium** : « *Utrum in hujusmodi casibus sufficiat ut solus parochus consensum praestet pro erectione Viae Crucis vel requiritur etiam consensus in scriptis Superioris vel Superiorissae localis Fratrum sive Sororum?* » S. C. I. (26 Sept. 1892) **respondit** : « *Si agatur de erigenda Via Crucis in ecclesia vel publico Oratorio, praeter consensum Supe-*

rioris vel Superiorissae ecclesiae, monasterii, conservatorii, hospitalis, requiritur etiam consensus Parochi : minime si agatur de Via Crucis erigenda in sacello privato seu decenti loco infra septa monasterii, quod a jurisdictione Parochi sit omnino exemptum. » Ap. N. R T. (XXV, 52 seqq.). — Dixi : *saltem pro locis* **ab Ordinariorum jurisdictione non exemptis.** Regulares enim qui a S. Sede privilegium consecuti sunt erigendi cum consensu proprii superioris Vias Crucis *in propriis* ecclesiis et domibus non indigent Ordinarii licentia pro hac erectione, multo minus Parochi. Confirmatur ex S. C. I. (26 Sept. 1892). — *Methodum* autem pro erigendis stationibus viae crucis et *Formulam* actus erectionis exhibet *Appendix* ad Rit. Rom. Et quidem « *praescribitur insertio testimonii erectionis in actis episcopalibus et in codicibus paroeciae seu loci, etc., sed non sub poena nullitatis.* » Ita S. C. I. (6 Aug. 1890) ap. N. R. T. (XXII, 472).

Requiritur **2°**) ut *cruces* sint **ligneae**; nec id sufficit, si adstantibus *invisibiles* sint, quia v. g. ab earum parte anteriori appositae sint cruces *ferreae*, ut constat ex S. C. I. (23 Nov. 1878). Hujusmodi autem cruces, saltem ex usu universali non debent habere imaginem divini Redemptoris.

Requiritur **3°**) ut *cruces* sint numero **quatuordecim** ex S. C. I. (5 April. 1731) et adsit « *aliqualis* **distantia** *inter unam et aliam stationem* » ex S. C. I. (28 Aug. 1752), quae non est determinata.

Requiritur **4°**) Ut *cruces* sint **benedictae.** Ad *validitatem* tamen benedictionis crucium, « non requiritur *ut benedictio detur* ante *ipsarum affixionem, sed* sufficit, *ut* post *affixionem impertiatur*, » ex S. C. I. (21 Jun. 1879). Nec, qui cruces benedixit, tenetur ipsemet eas collocare et stationes percurrere; sed « *alter quicumque* » eas collocare potest etiam « *privatim sine caeremoniis et etiam alio tempore*, » ut declaravit S. C. I. (22 Aug. 1842). Et ideo si Via Crucis est erigenda in monasterio monialium, « *non est opus erigentem ingredi monasterium*, » sed cruces benedicuntur « *ad crates* » et in locis suis ponuntur a monialibus, ut monet S. C. I. (3 April. 1731). Minime tamen sufficeret, ut *cruces privatim domi benedicantur*, ac sic benedictae parocho vel alteri sacerdoti in designato loco affigendae committantur, sed omnino requiritur, ut sacerdos deputatus sit *saltem moraliter praesens* in loco, ubi S. Via Crucis constitui debet.

Quod deducitur ex Brevi « *Cum tanta* » Bened. XIV, in quo Pontifex, dum indulget parochis facultatem erigendi in suis ecclesiis Viam Crucis, addit « *sub directione* cujuslibet Fratris Ordinis minorum, » nempe sub directione sacerdotis, quicumque is sit, ad praedictam erectionem legitime deputati. Ex quo tamen non sequitur, sacerdotem erigentem debere assistere affixioni crucium, vel esse debere moraliter praesentem in loco quousque stationes non fuerint affixae. Sed, facta in loco ubi stationes erigendae sunt benedictione tabularum et crucium, potest sacerdos erigens domum suam illico repetere. Constat ex S. C. I. (26 Sept. 1892) ap. N. R. T. (XXV, 51 seqq.). — Nec refert utrum Via Crucis a cornu *Evangelii* incipiat, an vero a cornu *Epistolae*. — Cfr. N. R. T. (XIII, 665 seqq.). In celebri ecclesia SS. Salvatoris in Hierusalem stationes incipiunt a cornu Evangelii.

B) *Ex* **secundo capite,** praeter *statum gratiae* et *intentionem* saltem generalem indulgentias lucrandi, **tres conditiones** necessario requiruntur. — Scilicet requiritur : 1°) aliquis **corporis motus,** nempe procedendo ab una statione ad aliam, in quantum multitudo fidelium vel loci capacitas id permittunt. Ita S. C. I. (26 Febr. 1841). Qui motus corporis seu transitus de una statione ad aliam, absque speciali indulto, semper requiritur in exercitio *privato;* item in *publico*, nisi *perturbatio* excitari possit; quo casu observetur **methodus** a S. Leos. a P. M. proposita, ut videlicet, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat ac sistens in qualibet statione ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus. Ita S. C. I. (6 Aug. 1757). « Animadvertimus autem cum cit. *Instructione*, in hoc casu saltem *suadendum* videri, ut populus vertat se ad singulas stationes, uti addit idem S. Leos. necnon ad easdem genuflectat ac erigat se cum sacerdote ceterisque circumeuntibus. Possunt etiam, si ob ecclesiae amplitudinem aut alia loci adjuncta vix aut ne vix quidem audiri queat, *recitari preces a sacerdote in suggestu, unde ab omnibus audiatur, dummodo alius sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat et in qualibet statione sistat.* Ita S. C. de P. F. (1 Mart. 1884). » Ap. cit. *Instr.* edit. 1888.

Requiritur 2°) **Meditatio Dominicae Passionis** in quolibet exercitio, tam *publico*, quam *privato*. At in *publico* ex S. C. I.

(6 Aug. 1757) insuper requiritur ut sacerdos ad quamlibet stationem recitet *peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus*. In privato vero exercitio nullae determinatae preces sunt necessariae; « *sed sufficit* **meditari,** QUANTUMVIS BREVITER, PASSIONEM DOMINI, *quod est opus injunctum ad lucrandas sacras indulgentias.* » Ita S. C. I. (3 April. 1751) in declaratione cui titulus : « *Monita necessaria ad recte ordinandum devotum exercitium Viae Crucis* » sub n. 6. Unde, non est necesse « *actum contritionis elicere* » (ibid)., et « *recitatio orationis dominicae et angelicae salutationis tam pro unaquaque* Viae Crucis *statione, quam sexies easdem preces iterare post absolutas omnes stationes est tantum* LAUDABILIS CONSUETUDO *a nonnullis inducta,* MINIME *vero* NECESSARIA *conditio ad lucrifaciendas indulgentias.* » Constat ex S. C. I. (20 Jun. 1836 et 2 Jun. 1838). — Utrum vero **meditatio** de passione Christi quae in quolibet exercitio tam publico quam privato requiritur, debeat **cuique stationi respondere,** non ita certo constat. — Alii *affirmant*, quibus favet decretum S. C. I. (16 Febr. 1839) ap. PRINZIVALLI. — Alii *negant*, dicuntque sufficere meditationem *in genere*, seu quamlibet meditationem de quavis phasi Dominicae passionis : quia in praefatis « *Monitis* » nulla fit mentio de obligatione contemplandi singularum stationum mysteria, et aliunde in nova collectione authentica non reperitur decretum (16 Febr. 1839) in favorem prioris sententiae adductum. Unde non videtur ipsi tribuendus valor authenticus certus. Concludit cit. *Instructio de stationibus S. Viae Crucis* : « Hinc practice tutam judicamus S. LEON. A P. M. doctrinam (VIA SACRA SPIANATA, *Dichiarazione di alcuni dubbi*, XVI et XVII), ex qua ad lucrandas indulgentias non requiritur, ut de singulis stationum mysteriis specialis instituatur meditatio; sed sufficit, ut qui pium exercitium peragunt singulas stationes uno tractu visitantes contemplentur unum vel plura ex mysteriis repraesentatis vel etiam passionem Domini in genere. Confirmatur ex cit. *Raccolta*, in qua ad lucrandas indulgentias exigitur, ut qui peragit exercitium Viae Crucis *meditetur secundum suam capacitatem passionem divini Redemptoris Jesu Christi.* » Hucusque cit. *Instructio*. Cui concinit « *Directorium S. Viae Crucis* » auct. P. MOCCHEGIANI. Nihilominus, si mihi quoque concludere liceat, in praxi consultius imo tutius arbitror a prima sententia non recedere, eo magis quod

in cit. « *Monitis* » sub n. 5, ubi agitur de exercitio *publico* dicatur: « *Ad singulas stationes aliquis clericus vel sacerdos alta voce legat considerationem mysterio seu stationi respondentem.* » Unde non immerito licet concludere, quod illa verba « *sufficit meditari* » quae referuntur sub n. 6 pro exercitio privato etiam debeant intelligi de meditatione seu consideratione singulo mysterio seu stationi respondente. Ceterum S. Leon. loquens *de iis qui* **nesciunt** *meditari* seu contemplari distincte singula stationum mysteria, asserit eos lucrari indulgentias, modo sciant cruces et imagines quas visitant, repraesentare loca illa sanctissima, ubi Filius Dei ex amore nostri gravissima sustinuit tormenta, et elaborent, ut hac cogitatione in se excitent compassionis affectum erga patientem Redemptorem.

Requiritur 3°) ut visitatio 14 stationum **moraliter non interrumpatur**. Et ideo qui eas uno eodemque die, vero non uno tractu, sed interposito majori vel minori intervallo visitat, non lucratur indulgentias. S. C. I. (22 Jan. 1858). Qui tamen exercitium *Viae Crucis* ad modicum tempus interrumpunt, puta ad audiendum sacrum, ad sumendam Euch., ad confess. peragendam, si illud prosequantur, lucrantur indulgentias, « *dummodo notabiliter et moraliter exercitium non interrumpant, et ideo non oportet in his casibus illud ab initio reassumere.* » S. C. I. (16 Dec. 1760).

Q. 24. *Quae* REQUIRANTUR ad indulgentias **Viae Crucis** *privatim* lucrandas cum CRUCIFIXO ?

R. Ex decreto S. C. I. (8 Aug. 1859) requiruntur sequentia

Explanatur. Requiritur 1°) **Impossibilitas** physica vel moralis stationes canonice erectas visitandi. 2°) Ut *crucifixus* (adeoque sola crux non sufficit) *non sit ex* **materia fragili.** 3°) Ut sit **benedictus** ab habente ad hoc potestatem. 4°) Ut **manu teneatur,** dum preces recitantur. 5°) Ut **recitentur** corde saltem contrito ac devote, idque uno tractu seu sine notabili ac morali interruptione, *20 Pater*, *Ave* et *Gloria Patri*, nimirum : 1 pro singula statione ; 5 in memoriam 5 vulnerum D. N. J. C., et 1 ad intentionem S. Pontificis. — Ex concessione quidem Pii IX (18 Dec. 1877) in favorem christifidelium, « *qui gravi morbo ita afficiuntur, ut prae-*

fata pietatis opera ad consequendas indulgentias VIAE CRUCIS *praestare nequeant,* » illa opera commutata fuerant a Ministro Generali Fratrum Minorum in actum *contritionis* VEL in versum : « *Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* » Ast **hodie** ex Rescripto LEON. XIII (9 Sept. 1890) requiritur, ut « *ipsi ore recitent actum contritionis* ET *invocationem :* Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni quos pretioso sanguine redemisti, ET *mente saltem sequantur recitationem ab alio adstante factam trium* Pater, Ave, Gloria. » Ap. N. R. T. (XXIII, 14 seq. et XXV, 452).

Nota. Quando fideles exercitium *S. Viae Crucis* peragere legitimo impedimento **prohibentur,** ad CRUCIFIXOS *Viae crucis* vulgo nuncupatos extensum fuit indultum a PIO IX in ordine ad ROSARIUM (22 Jan. 1858) concessum, de quo infra ; ita ut omnes utriusque sexus christifideles, praescripta viginti *Pater*, *Ave* et *Gloria* in communi recitantes, lucrari valeant indulgentias *Viae Crucis* exercitio adnexas, **licet manu non teneant** crucifixum benedictum; ac sufficiat, ut una tantum persona, quaecumque ea sit ex communitate, illum manu teneat, ceterique omnes, *ceteris curis semotis* (1), se componant pro oratione facienda, una cum persona, quae tenet crucifixum. Ita ex S. C. I. (19 Jan. 1884).

Q. 25. *An* TABULAE vel IMAGINES sint necessariae pro **Via Crucis?**

R. *Negat.*, sed solae cruces necessario requiruntur, cum ipsis tantum indulgentiae sint adnexae ; « *proinde si ob vetustatis causam ipsae tabulae removeantur, ac in earum locum, etiam absque pontificia facultate, novae tabulae substituantur, indulgentiarum concessio perseverat.* » Ita S. C. I. (13 Nov. 1837).

Q. 26. *An* PEREANT indulgentiae **viae crucis** : : 1°) si cruces stationum *partim* aut *integre* e loco suo *removeantur ad tempus*, ut denuo eidem loco restituantur ; 2°) si *in*

(1) Quoad sensum istorum verborum, declaravit S. C. I. (13 Nov. 1893) ap. N. R. T. (XXVI, 147 seq.) : « *fidelibus ab iis tantum occupationibus exterioribus esse abstinendum, quae* INTERNAM *attentionem impediunt ad devotam Rosarii recitationem pro lucrandis indulgentiis praescriptam.* » A pari pro recitatione 20 *Pater, Ave* et *Gloria.*

minori quantitate ob vetustatem *renoventur*; 3°) si *commutarentur quoad locum*; 4°) si a vetustis tabulis ad novas *transferantur?*

R. Ad 1^{um}) *Negat.*, ut constat ex S. C. I. (20 Sept, 1839). « *Sed si simul omnes cruces removeantur, ut postea iterum ponantur..., fideles eo tempore lucrari nequeunt indulgentias, si in aliam ecclesiam vel oratorium translatae sint cruces sine apostolica facultate.* » Ita S. C. I. (20 Jun. 1836).

R. Ad 2^{um}) *Negat.*; uti constat ex S. C. I. (13 Nov. 1837). Quod si ob crucium vetustatem vel ob aliam justam causam renovari debeant Stationes in eadem ecclesia vel oratorio, ubi rite cum omnibus documentis praescriptis erectae reperiuntur, sufficit novarum crucium benedictio facta a sacerdote ad id legitime deputato, dummodo praesumi possit perseverare consensum eorum ad quos pertinet. Ita ex S. C. I. (11 Jan. 1896).

R. Ad 3^{um}) *Negat.*, dummodo tamen hoc fiat in *eadem ecclesia*, et cruces vel *omnes* vel *in majori numero* perseverent. Ita S. C. I. (20 Aug. 1844).

Resolvitur. Hinc amittuntur indulgentiae, si cruces ex una ecclesia in aliam, vel ex una domo in aliam diversam transferantur. Imo idem dicendum est, si ex una cella seu oratorio domus in aliud distinctum ejusdem domus transferatur, ut constat ex S. C. I. (26 Sept. 1892) ad dub. IV; et tunc *de novo* requiritur consensus Ordinarii necnon domini domus, ut constat ex eadem decis. ad dub VII. Ap. N. R. T. (XXV, 51 seqq.).

R. Ad 4^{um}) *Negat.*, etiamsi cruces cum tabulis in unum corpus non coalescerent, sed totaliter ab illis sejungerentur, ita ut nequidem tangerentur, cum vetustis tabulis et imaginibus novae substituuntur. Constat ex S. C. I. (15 Nov. 1845).

ART. 2. De Altari privilegiato.

Q. 27. *Quid* 1°) sit indulgentia **Altaris privilegiati**; 2°) *quotuplex* sit *altaris* PRIVILEGIUM, et quaenam circa *singulum* veniant *notanda?*

R. Ad 1^{um}) Juxta dicta (p. 265 seq.) S. C. I. (28 Jul. 1810) declaravit : « *Per indulgentiam altaris privilegiati, si spectetur* **mens concedentis** *et* **usus clavium potestatis,** *intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae* ANIMAM *statim liberet ab omnibus purgatorii poenis. Si vero spectetur* **applicationis effectus,** *intelligendam esse indulgentiam cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet.* »

R. Ad 2^{um}) *Duplex* distinguitur *altaris* PRIVILEGIUM : unum *proprie dictum,* alterum *personale.*

Explanatur. *Primum*, quod vocant **locale** seu **reale**, requirit, ut altare cui conceditur sit *fixum*. Altare autem *fixum*, ex S.C.I. (20 Mart. 1846) *hoc loco* intelligitur : «*quod a loco dimoveri non possit, sed non tamen cujus superior pars sive mensa sit ex integro lapide, vel adeo calce conjuncta ut lapis consecratus amoveri non possit; secus enim diruto altari quod privilegiatum concessum erat ob alicujus sancti imaginem post novam constructionem novo indigeret privilegio.*» Unde quoque altare *portatile* seu *viaticum* ex mente S. C. I. (*ibid.*) est illud : «*quod constat tantum ex unico lapide integro tantae magnitudinis, ut calicis pedem cum patena, saltem quoad majorem partem capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur.*» Itaque indulgentia seu privilegium altaris ex S. C. I. non est datum lapidi consecrato, plerumque portatili, sed *altari determinato* et in honorem alicujus sancti specialiter dicato (27 Sept. 1845). Manet tamen non obstante quod altare *sub eadem invocatione* de novo aedificatum fuerit, in alio quidem loco, sed *in eadem ecclesia* (16 Sept. 1723); aut etiamsi altare *alii vel aliis sanctis* simul deinceps dedicetur (3 Oct. 1744). Ast perit, si ecclesia destructa *sub alio titulo* reaedificetur (18 Jul. 1712). Nequit altaribus *portatilibus* adnecti (27 Nov. 1764); et ideo altare, quod declaratum fuit privilegiatum, caret privilegio, si sit portatile, et neque in libello supplici, neque in rescripto mentio facta fuerit de hac qualitate (15 Dec. 1841). — Conceditur autem *ad septennium*, et obtinet pro singulis diebus totius anni (30 Jan. 1760). Septennio autem exspirato, supplicandum est pro renovatione privilegii ad aliud septennium (19 Maii 1759). Cfr. p. 285 seq.

Secundum seu **personale** adhaeret personis, ubivis celebrantibus. Qui autem illud obtinuit a S. Sede, non debet ex S. C. I. dictum privilegium exhibere Ordinario, nisi aliter disponatur in concessione (5 Febr. 1840); si accipit stipendium pro missa celebranda in altari privilegiato, utendo privilegio suo personali satisfacit oneri suscepto, quamvis celebret in altari non privilegiato (15 Mart. 1852; et si aggregatus sit alicui Congregationi quae etiam dicto privilegio gaudet, potest adhuc frui hoc alio privilegio, cum aliunde jam habeat per tres aut quatuor vices in hebdomada tale privilegium, dummodo in indulto aliter expresse non disponatur (27 Mart. 1839). Hinc **collectores** pii operis *Propagationis fidei*, qui privilegium personale quod Romae pro tribus in hebdomada diebus etiam obtinuerunt, possunt sex in qualibet hebdomada diebus privilegio altaris frui, tribus vicibus ut collectores et tribus aliis ut indultarii privilegii personalis a Curia Romana concessi. Constat ex S. C. I. (3 Dec. 1892) ap. N. R. T. (XXV, 264). Secus dicendum de sacerdotibus ex Ordine Tertiariorum, ut constat ex Const. Leon. XIII « *Misericors Dei filius* », necnon sacerdotibus designatis in Brevi « *Humani generis* », quod nuper (3 Febr. 1893) concessit Leo XIII in favorem piae Societatis *a Sacra Christi Infantia* nuncupata. Cfr. N. R. T. (XXV, 266 et 392 seq.).

Q. 28. *An* **privilegium altaris** valeat applicari *pluribus* defunctorum animabus in *eadem missa ?*

R. *Privilegium altaris*, sive *proprie dictum*, sive *personale*, non potest ex S. C. I. applicari *pluribus* defunctorum animabus in cujuscumque diei missa (29 Febr. 1864 ; 19 Dec. 1885) ap. N.R.T. (XVIII, 262 seq.). — Quae resolutio intelligenda est *practice* et *de facto*, juxta mentem concedentis de more Ecclesiae, non autem etiam *theoretice* et *absolute* ex limitatione potestatis, quasi ea indulgentia concedi non possit pluribus. Uni enim eidemque operi indulgentiam plenariam concedi posse validam *pro pluribus*, colligitur ex S. Thom. (IV *Sent.* dist. 45, Q. 2, a. 3, quaest. 2).

Resolvitur. Quare apud Trappenses in missa, quae quotidie celebratur pro *pluribus*, fratribus scilicit, propinquis et benefactoribus, indulgentia altaris **ad unum** ex iis limitatur. Constat ex

S. C. I. (19 Jun. 1880). Ex eo tamen quod uni ex iis determinatae animae non consueverit applicari, privilegium inutile non evasit, ut declaravit S. C. I. (19 Jun. 1880) : agitur enim, non de actione quadam a sacerdote facienda circa determinatam materiam, v. g. de consecratione determinatae hostiae ex pluribus; sed de oblatione indulgentiae quae pendet ex mente concedentis et ex divina acceptatione; adeoque sufficit intentio celebrantis lucrandi indulgentiam *quam potest* ad altare privilegiatum juxta mentem concedentis et divinam acceptionem, nedum *explicita*, sed immo *implicita*, quae semper supponitur, cum ad **dubium** : « *Utrum missa celebrata ad altare privilegiatum sit per se privilegiata, vel necesse sit, ut vel offerens eleemosynam vel sacerdos intendat applicare privilegium?* » **responderit** S. C. I. (12 Mart. 1853) : « Affirmative *ad primam partem;* Negative *ad secundam.* »—Nonnulli quidem existimant ab hac regula generali singularem adesse exceptionem in favorem animarum **die 2 Novembris,** qua die, ex decreto Clem. XIII per S. C. I. (19 Mart. 1761), omnia altaria sunt privilegiata. Ita inter alios, docent Maurel et Konings, qui et scribit : « *Extra diem commemorationis OO. Defunctorum neutrum* [privilegium locale et personale] *applicari potest pluribus defunctorum animabus.* » **At** revera privilegium illius diei non est in hoc, quod in una eademque missa applicari possit indulgentia *pro pluribus*, imo *omnibus*, ac si mens esset Ecclesiae in singulis missis purgatorium ea die, ut ita dicam, quantum est ex parte concedentis, evacuare; sed in eo est privilegium, quod sacerdotes *omnes* ea die, in *quocumque* altari celebrantes, lucrari possint de more eamdem indulgentiam, *ac si ad altare privilegiatum celebrarent.* Hoc tantum sensu privilegium postulatum fuit, hoc sensu ex voto, quod adhuc exstat, consultoris propositum fuit S. Congregationi, et hoc sensu concessum fuit a Clem. XIII, qui benigne concessit : « *ut missa die praedicta Commemorationis Defunctorum a quocumque sacerdote saeculari vel cujuslibet Ordinis et Instituti Regularis celebranda,* GAUDEAT PRIVILEGIO, AC SI ESSET IN ALTARI PRIVILEGIATO CELEBRATA. » (Cfr. *Votum consultoris* in causa *Romana*, 14 Jun. 1880) ap. N. R. T. (XII, 519 seqq.).

Q. 29. *An* 1°) ad lucrandum indulgentiam **altaris privi-**

legiati missa debeat esse DE REQUIEM ; et *an* 2°) MISSA pro *uno*, INDULGENTIA vero pro *alio* possit applicari ?

R. Ad 1^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. *Affirmative*, in casibus ubi id **per rubricas licet** : alias celebrans non lucratur indulgentiam, juxta dicta (tom. III, pag. 139 seq.). **Hinc 1°**) qui celebrat in altari pro singulis diebus privilegiato, semper uti debet paramentis nigris *diebus non impeditis*, ut indulgentiam privilegii consequatur. Ita S. C. I. (11 April. 1840). **Hinc 2°**) qui habet privilegium altaris personale pro quatuor missis in singulis hebdomadibus, debet cum paramentis nigri coloris celebrare diebus *non impeditis*, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari. Ita S. C. I. (11 April. 1840; 22 Febr. 1847; 2 Maii 1852). **Hinc 3°**) habens privilegium altaris personale ter in hebdomada, *non potest*, quando in eadem plura inveniuntur festa duplicia et plura semiduplicia vel infra, potius eligere ad applicationem priviligii festa duplicia, quam differre ad semiduplicia. Ita S. C. I. (29 Febr. 1864). **Hinc 4°**) qui obtinuit indultum ter in qualibet hebdomada celebrandi cum cantu missas *de Requiem*, dum occurrunt officia ritus duplicis, potest privilegium altaris applicare hisce missis, *quatenus* in hebdomada non recurrant festa semiduplicia. Ita S. C. I. (29 Febr. 1864). **Hinc 5°**) sacerdotes qui pacto adigebantur ad celebrandum in altari privilegiato, et diebus non impeditis bona fide usi non sunt paramentis nigri coloris, ideoque animas indulgentia plenaria frustrarunt, debent lucrari pro iisdem defunctis indulgentiam plenariam toties, quoties diebus *non impeditis* usi non sunt paramentis nigri coloris. Ita S.C.I. (22 Febr. 1847). Cfr. t. III, p. 139 seq.).

Negative, in casibus, ubi **ritus id non permittunt**. **Hinc 1°**) quando missa *de Requiem* dici nequit in altari privilegiato, etiam missa de Sancto vel de feria currente gaudet privilegio. Ita S. C. I. (27 Nov. 1764). **Hinc 2°**) missa de festo semiduplici, votiva vel de feria celebrata in altari privilegiato, in quo exponitur SS. Sacramentum, sive in ostensorio, sive in ciborio, suffragatur pro defunctis, ac si missa *de Requiem* dicatur. Ita S. C. I. (20 Jul. 1751). **Hinc 3°**) sacerdos celebrans in altari privilegiato sive ratione expositionis SSmi, sive Stationis, vel alterius solemnitatis,

legendo missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata, fruitur privilegio, ac si legeret missam *de Requiem* per rubricas eo die permissam. Ita S.C.I. (11 April. 1864).

R. Ad 2^{um}) « *Decisio pendet ex verbis indulti.* » Ita JOAN. CAVALIERI (tom. II, pag. 198 edit. *Bergomen.* 1748).

Explanatur. Itaque ex S.C.I. (31 Jan. 1848) ap. N. R. T. (X, 215 seq.) dicendum est : 1°) sacrificium et indulgentia dividi non possunt, sed utrumque pro eodem defuncto est applicandum, quando in indulto legitur : « *qui pro defuncto missam in tali altari dixerit, liberat animam ejus.* » Contra 2°) possunt dividi, quando in indulto non legitur illud « *pro defunctis.* » Si tamen 3°) fundator aut stipem erogans imponat onus celebrandi in *altari privilegiato*, praedicta divisibilitas locum non habet : per impositionem quippe talis oneris censetur etiam voluisse applicationem indulgentiae. Secus est 4°) quando sacerdos onus habet sacrificandi, sed non in altari privilegiato, tunc quidem adimplet obligationem suam per applicationem sacrificii, et liber est quoad applicationem indulgentiae, dummodo tamen celebret in altari, cujus privilegium non exquirat etiam applicationem missae (1).

Scholion. Haec dicta sunto de **Altari privilegiato,** quod nullatenus est confundendum cum **missa privilegiata,** qualis v. g. est *Missa votiva SS. Rosarii privilegiata*, quae singulis feriis IV et Sabbatis celebrari potest a FF. Ord. Praed., et cui annexa est indulgentia plenaria pro fidelibus assistentibus. De hac missa privilegiata vide opus cui titulus : « *Rosa aurea*, » auctore Fr. Th. M. LEIKES O. P. Dülmen 1886.

ART. 3. De Coronis et Rosariis.

Q. 30. **Coronae** et **Rosaria** *an* 1°) PROMISCUE acci-

(1) Quaestio tamen de qua egimus potius *theoretica* habenda est quam *practica*. In praxi enim vix quidem continget, ut sacrificium et indulgentia altaris privilegiati possint separari. Indulta enim quibus hujusmodi privilegium hodie conceditur semper exigunt *ut plenaria indulgentia applicetur animae pro qua celebratur missa.* Et hanc regulam recentius declaravit, S. C. I. (19 Dec. 1885) pro sacerdotibus emittentibus actum heroicum charitatis, ut supra dictum fuit (pag. 271).

pienda sint ; 2°) ex *quanam* MATERIA possint confici, ut valeant benedici cum applicatione indulgentiarum ; 3°) *quomodo* debeant BENEDICI ad applicandas indulgentias ; 4°) *an* UNI coronae possint applicari *diversae* indulgentiae ?

R. Ad 1^{um}) *Affirmative*, ex S. C. I. (23 Sept. 1775).

R. Ad 2^{um}) Possunt ex S. C. I. benedici cum applicatione indulgentiarum coronae seu rosaria, quae *ex ferro*, *stamno*, *plumbo*, conficiuntur (29 Febr. 1820). Item coronae factae *ex chalibe polito* (22 Mart. 1839). Immo confectae *ex vitro* seu *cristallo*, « *dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto* » (29 Febr. 1820). Servandae enim sunt Apostolicae ordinationes « *circa fragilitâtem objectorum quibus non sunt adnectendae indulgentiae* » (24 Jan. 1846). Contra nequeunt applicari indulgentiae coronis seu annulis argenteis vel aureis, in quibus *sculpti* sunt globuli decem ad recitandum rosarium vel tertiam ejus partem (20 Jan. 1836).

R. Ad 3^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Quando coronis applicantur indulgentiae **communes** seu **apostolicae,** sufficit efformare manu signum crucis super eas, absque pronuntiatione formulae benedictionis et sine aspersione aquae benedictae, licet in indulto exsistat clausula : « *in forma Ecclesiae consueta.* » Ita S. C. I. (11 April. 1840 et 7 Jan. 1843). Idem dicendum quoad indulgentias **S. Birgittae** alicui rosario adnectendas. Sufficit signum crucis a sacerdote qui hanc facultatem accepit. *Potest* tamen adhiberi formula, cujus tenor invenitur ap. N. R. T. (XIV, 99). Immo corona **Septem Gaudiorum** B. M. V. in Ordine Seraphico ditata est indulgentiis, quin necessaria sit benedictio. Ita S. C. I. (29 Aug. 1864).

Contra coronae seu rosaria **S. Dominici**, necnon coronae **Septem Dolorum** benedici debent : priora, juxta formulam Patribus Ord. Praed., posteriora, juxta formulam Patribus Servorum Mariae propriam. Constat ex S.C.I. (29 Febr. 1864 . Similiter facultas benedicendi coronas precatorias, iisdemque applicandi indulgentias consuetas, non includit facultatem benedicendi coronas **Domini** vel **Camaldulensium.** Ita S. C. I. (29 Maii 1841). Idem dicendum de Rosariis **Crucigerorum.** Imo ex S. C. I.

(15 Mart. 1884) non expedit aliis etiam sacerdotibus concedi privilegium benedicendi Rosaria cum applicatione indulgentiae, quo gaudent sodales Crucigeri.

Ceterum, valida est benedictio, ita ut indulgentias possit quisque lucrari, si coronae (item numismata et cruces), antequam tali vel tali personae distribuantur, **in globo** benedicantur cum applicatione indulgentiarum. Ita S. C. I. (12 Mart. 1855). Qui vero emit coronas, cruces, numismata, etc., ut ea distribuat **postquam benedicta fuerint**, non potest a recipientibus repetere pretium absque culpa et periculo amittendi indulgentias; et qui coronas, numismata, etc., cum applicatione indulgentiarum benedictas **sibi proprias** fecit et iis usus fuit **cum intentione lucrandi indulgentias**, non potest easdem res aliis tradere. Constat ex S. C. I. (12 Jul. 1847). Cfr. dicta supra (p. 287 seq.). Denique advertendum est, quod facultas benedicendi **mille** cruces, crucifixos, numismata, rosaria, etc., ita intelligenda sit, ut sacerdos tali facultate praeditus solummodo *mille in totum* possit benedicere. Ita S. C. I. (29 Maii 1841).

R. Ad 4^um^) *Affirm.*, si fiat a Papa vel ejus delegato legitima facultate munito; et sic *uni* coronae possunt applicari indulgentiae diversae, v. g. indulgentiae dictae *Apostolicae*, et indulgentiae dictae *S. Birgittae*, « *dummodo ad eas lucrandas renoventur opera injuncta iterabilia*, » proinde recitatio. Ita ex S. C. I. (29 Febr. 1820). Nequit autem, ut supra (pag. 258) dictum fuit, episcopus vel alius quicumque praelatus R. Pontifice inferior, crucibus, coronis, sacris imaginibus a Papa vel a sacerdote legitima facultate munito benedictis, novas adnectere indulgentias, « *nisi novae conditiones adimplendae praescribantur.* » Ita S. C. I. (12 Jan. 1878), n. 433.

Scholion. Ad **dubium** : « *An fideles, qui* non intendunt *recitare coronam precatoriam, recitant quasdam preces manu tenentes coronam sive* Domini, *sive* B. M. V., *et grana volvunt, lucrantur pro unoquoque* Pater *vel* Ave, *vel* Credo, *vel alia oratione easdem indulgentias, quas ipsi lucrarentur pro iisdem precibus, si recitarent coronam precatoriam?* » S. C. I. (29 Maii 1841) **respondit** : « *Nega-*

tive.» Ex qua responsione robur accipere videtur opinio Bill. et aliorum sustinentium ad consecutionem indulgentiarum requiri intentionem *saltem virtualem implicitam* lucrandi illas; non vero sufficere intentionem *habitualem* seu *interpretativam*, ut plures existimant (pag. 262).

Q. 31. *Quid* speciatim dicendum de coronis : 1°) **S. Birgittae**; 2°) **Crucigerorum ?**

R. Ad 1^{um}) Ex S. C. I., locis indicandis, teneantur sequentia.

Explanatur. 1°) Corona *S. Birgittae* revera diversa est a communi corona seu rosario, et constare debet **sex decadibus** (15 Jan. 1859). **2°**) In recitatione sex decadum, ad lucrandas indulgentias requiritur **recitatio Symboli** Apostolorum post quamlibet decadem (20 Jun. 1856 et 28 Sept. 1858). **3°**) Coronae precatoriae quinque vel quindecim decadum non possunt adnecti indulgentiae *S. Birgittae*, nisi hoc **indulgeatur** *apostolico rescripto* (22 Mart. 1859; 20 Jun. 1856; 28 Sept. 1858). **4°**) Indulgentias *S. Birgittae* coronis quinque decadum adnectere potest is, qui **obtinuit** Rescriptum in quo leguntur haec verba : *applicandi omnes et singulas indulgentias a Sanctitate Sua concessas, ut in elencho typographiae R. Camerae Apostolicae edito anno.... ac etiam indulgentias S. Birgittae nuncupatas* (22 Mart. 1859). **5°**) Quando coronis B. M. V. de licentia S. Sedis applicata fuit benedictio cum indulgentiis *S. Birgittae* nuncupatis, aut cum indulgentiis *communibus* seu *apostolicis*, fideles illas coronas recitantes **non tenentur meditari** quindecim mysteria D. N. J. C., ut has indulgentias percipere valeant (1 Jul. 1859). **6°**) Coronae *S. Birgittae*, si aliis commodentur dumtaxat ad enumerandos calculos seu ad recitationem orationum, non amittunt indulgentias (15 Febr. 1745). Cfr. pag. 288. Item N. R. T. (XXIV, 450 seq.).

R. Ad 2^{um}) Ex S. C. I. (15 Mart. 1884) constat de sequentibus.

Explanatur. 1°) Quod indulgentia **quingentorum** dierum *quoties* in Rosariis per Crucigeros benedictis *oratio dominica* vel *salutatio angelica* devote dicitur, **revocanda non sit : A**) vel uti *apocrypha* seu *dubiae authenticitatis ;* **B**) vel uti *indiscreta* seu ratione indiscretae concessionis; **C**) vel ob alias *extrinsecas* rationes. **2°**) Quod ratihabitione et confirmatione **non indigeat. 3°**) Quod

pro acquirenda eadem indulgentia **necesse non sit** *integrum Rosarium* devote recitare. 4°) Quod **non expediat** aliis etiam sacerdotibus concedi privilegium benedicendi Rosaria cum applicatione indulgentiae quo gaudent sodales Crucigeri.

Q. 32. *Quid* speciatim notandum circa rosarium **S. Dominici?**

R. Ex S. C. I., locis indicandis, notentur requentia.

Explanatio. 1°) *Meditatio* mysteriorum in recitatione rosarii S. Dominici omnino est **necessaria** ad lucrandas indulgentias (15 Aug. 1726; 1 Jul. 1859); nisi agatur de *idiotis*, quibus, uti legitur in Raccolta, ex Bened. XIII, Const. « *Pretiosus* » (26 Maii 1727), sufficit rosarium devote recitare. — **Sufficit** tamen meditatio mentalis eodem tempore quo recitatur *Pater* et *Ave ;* nec est necessarium, ut oblatio specialis mysteriorum rosarii fiat antequam singulae decades rosarii recitentur (1 Jul. 1859). **2°)** Omnes christifideles, rosarium vel tertiam saltem ejusdem partem **in communi** recitantes, lucrantur indulgentias a Bened. XIII concessas, *licet manu non teneant rosarium benedictum ;* et sufficit, ut una tantum persona illud manu teneat eoque in recitatione de more utatur; sed omnes debent, *ceteris curis semotis*, (quorum verborum sensum supra pag. 297 explicavimus) se componere pro oratione facienda una cum persona, quae tenet coronam (22 Jan. 1858). **3°) Nec pro libitu, nec pro commodo** dividi potest rosarium B. M. V. **Excipiuntur** confratres SS. Rosarii, quod attinet ad indulgentias ipsis concessas pro recitatione integri rosarii infra hebdomadam (22 Jan. 1858). Unde extra hunc casum oportet saltem quinque denaria uno tractu recitare, i. e. ut communiter tradunt DD., sine notabili ac morali interruptione, juxta dicta (p. 296) de Via S. Crucis. **4°)** Mysteriorum rosarii *electio* est quidem **libera**; sed invaluit consuetudo, ut per gyrum cujuslibet hebdomadae singula mysteria ita recolantur : nempe *gaudiosa* in secunda et quinta feria; *dolorosa* in tertia et sexta; *gloriosa* tandem in quarta feria, sabbato et dominica (1 Jul. 1851). **5°)** *Recitatio integri rosarii in qualibet hebdomada* non requiritur ad consequendas indulgentias pro aliis operibus piis concessas; sed **requiritur** tantum ad assequendas indulgentias recitationi Rosarii adnexas (25 Febr. 1877). **6°)** Per verba : **rosa-**

rium *recitandum ante devotam imaginem* (cap. X, n. 3 SUMMARII INDULG. Confraternitatis SS. Rosarii) intelligitur tertia pars rosarii (25 Feb. 1877).

Scholion 1. Infinitus forem, si loqui deberem de antiquissima eaque praestantissima **SS. Rosarii Confraternitate**, cujus sodalibus tum pro recitatione Rosarii, tum pro aliis piis operibus « *indulgentias pene innumeras*, » animabus Purgatorii applicabiles, concessere RR. Pontifices; quam et tanta devotione prosequitur LEO PP. XIII ut, sicut, propter mirum *Angelicae* doctrinae studium, vulgo **Papa Doctoris Angelici**, ita quoque, pro singulari sua erga Rosarium pietate, **Pontifex SS. Rosarii** jure meritoque nuncupetur. De eo legitur in novo officio pro *Solemnitate Rosarii* ab utroque clero in posterum recitando ex decreto S. C. I. (5 Aug. 1888): « LEO *autem* TERTIUS DECIMUS *in turbulentissimis Ecclesiae temporibus diuque prementium malorum saeva tempestate, cunctos in Orbe fideles, iteratis apostolicis litteris ad Marialis Rosarii, praesertim per Octobrem mensem, frequentiam vehementer incendit, aucto quoque omni festi solemnitatis ritu, additaque Litaniis Lauretanis* REGINAE SACRATISSIMI ROSARII *invocatione, et Officio de eadem solemnitate proprio Ecclesiae universae concesso.* » Porro indulgentiae, quas **confratres SS. Rosarii** lucrari possunt, reperiuntur in SUMMARIO INDULG. a S. C. I. recognito et a PIO IX approbato (18 Sept. 1862); non tamen *omnes* ibidem reperiuntur: cons at enim ex S. C. I. (25 Febr. 1877) per hunc catalogum alias indulgentias confratribus Rosarii jam antea concessas nullatenus fuisse revocatas. Inter concessiones, ut de ceteris taceam, **singularis** est haec: quod confratres in recitatione Rosarii lucrentur ind. **5 annorum** et **5 quadragenarum** « *pro* QUALIBET *invocatione SS. Nominis Jesu in fine cujuslibet Angelicae Salutationis,* » ut constat ex S. C. I. (14 April. 1856) et reperitur in SUMM. IND. (§ IX. n 3); adeoque lucrantur dies **2.025** ad singulum *Ave*, seu dies **101,250** pro recitatione tertiae Rosarii partis, et **303,750** pro integro Rosario. Ad **dubium** vero: « *An indulgentiae, de quibus in praedicto* SUMMARIO, *illi lucrentur confratres qui nomen* Jesu *pronuntiant post verba:* Benedictus fructus ventris tui: *vel qui idem SS. Nomen pronuntiant additum in fine uniuscujus* Ave Maria, *dicendo:* Nunc et in hora mortis nostrae. Amen. *Jesus?* » S. C. I. (29 Mart. 1886) **resp.:** « AFFIRMATIVE *ad primam partem.* NEGATIVE *ad secundam.* » Praeterea « *semel in die* » lucrantur ind. **100 ann** et **100 quadr.**, adeoque ultra **40,000 dier.**, « *si contriti secum detulerint Rosarium in obsequium B. V.* » Ita in SUMM. IND. (18 Sept. 1862) § IX, n. 3. Sufficit autem « *Rosarium quinquagenarium:* » de eo enim loquitur INNOC. VIII, cujus concessiones confirmat INNOC. IX in Brevi « *Nuper pro parte* » (31 Jul. 1679) cap. III, n. 3. Nec ullibi, sive in Summario 1679, sive in altero 1862, asseritur, quod *apparenter* deferri debeat.

Scholion 2. Ex Confraternitate SS. Rosarii, veluti ex fonte, alia pia emanarunt exercitia, inter quae praecipue memoranda sunt sequentia : 1°) **Rosarium vivens** a Greg. XVI (17 Jan. 1832) approbatum, ab eodem variis indulgentiis ditatum (27 Jan. 1832), et a Pio IX (17 Aug. 1877) de novo restauratum. Indulgentias reperies in Summario ind. a S. C. I. (2 Febr. 1878) recognito ; item in opusc. cui titulus : « *Acta S. Sedis nec non suprem. Moderat. pro sodal. a* Rosario vivente *nuncupata R. P. Jos. Mar.* Larocca, *Mag. Gen. O. P. jussu edita.* (Romae 1887). » 2°) **Rosarium perpetuum** jam ab hinc tribus saeculis cognitum, a RR. PP. indulgentiis ditatum, signanter a Pio IX per Brev. *Postquam* » (12 April. 1867) et a Leon. XIII per S. C. I. (10 Sept. 1898) ap. R. T. F. (IV, 385). De eo cfr. R. P. Iweins, O. P. in op. *Manuel du Ros. perp.*

ART. 4. De Scapularibus.

Q. 33. **Scapularia,** ut ipsis adnecti possint indulgentiae, *cujusnam* debeant esse : 1°) materiae ; 2°) formae ?

R. Ad 1^um^, Quod *materiam* attinet, ex decr. S.C. I. (18 Aug. 1868), prout legitur in originali textu, quem refert secretaria ejusdem S. Congregationis (6 Maii 1895) ap. N. R. T. (XXVII, 367) constat de sequentibus.

Explanatur. 1°) Ad scapularia conficienda **necessario** et **exclusive** adhibenda est materia *ex lana*, non vero ex cylino (*coton*), serico (*soie*) aut quavis alia materia. 2°) Vox *pannus, panniculus*, quando agitur de scapularibus, sumi debet *in sensu* **stricto**, i. e. de sola lanea textura proprie dicta (laine *tissée*), exclusa proinde textura *reticulata* (tricotage), aut etiam lana subcoacto (*feutre*) aut quocumque laneo opere acu picto (*broderie*). — Horum omnium ratio est : « quia parva scapularia, quae fideles gestare solent, in sua origine et institutione alia non sunt quam scapularia variis ordinibus religiosis propria pro majori fidelium commoditate ad parvam formam redacta. » Unde sicut illa ex lanea textura *proprie dicta*, non vero reticulata aut subcoacta conficiuntur, ita et haec simili modo confici debent. 3°) Validum est scapulare ex panno laneo coloris praescripti, quod intexta vel acu picta habet ornamenta pariter ex lana vel non ex lana, v. g. ex serico, argento, auro, etc., sed diversi coloris, dummodo ornamenta sint talia, ut **color praescriptus praevaleat.** (1) — Porro **color praescriptus** est sequens : pro

(1) Hinc non valent Scapularia quae, quamvis ex lana confecta, ita ex

scapulari **SS. Trinit.** panniculi sint *albi* coloris, quorum alteruter intextam habeat crucem *rubri* et *coerulei* coloris; requiritur color *niger* pro scap. B. M. V. **Sep. Dol.**; color «*tanneus* vel consimilis seu *niger*» pro scap. B.M.V. de **M. C.**, uti constat ex S.C.I. (12Febr. 1840); color *coeruleus* pro scap. **Imm. Conc.**, ut declaravit S.C.I. (22Aug. 1842); tandem pro scap. **Passionis** tum panniculi, tum, ut communius asseritur et in praxi tutius est, funiculi, debent esse ex lana coloris *coccinei*. Cfr. N. R. T. XIII, 675 seqq.). At pro funiculis ceterorum scapularium certum est non requiri specialem colorem et materiam, sed sufficere, ut panniculi tam a pectore quam ab humeris dependeant (1).

utroque latere cooperiuntur, « *ut pannus penitus aut quasi penitus non appareat.* » (S. C.I. 18 Jun. 1898). Inde tamen immerito concluderetur non licere Scapularia, jam quoad omnia rite confecta, scilicet, quoad *colorem*, *formam* et *pannum*, quae omnia ut *vere substantialia* sunt retinenda, deinde *separatim* includere seu circumdare involucro seu sacculo quo a sudoris effectu muniantur. Hunc morem noluisse reprobrare S. Congregationem testatur Beringer, qui et scribit: « Quando aliunde Scapularia cognitis praescriptis conformia sunt, contra hunc usum nihil est inferendum; secus posset aliquis tandem aliquando concludere Scapularia jam non posse gestari sub vestibus, quia et his eodem modo, quominus appareant, impediuntur. » Ap. *Collat. Brug.* (IV, 175). Cfr. R. T. Franç. (IV, 56 seq.); N. R. T. (XXXI, 271).

(1) His scapularibus novissime accessit Scapulare **S. Michaelis Archangeli**, quo velut tessera utuntur fideles cooptati in pia unione S. Mich. Arch. de Urbe erecta in collegiata S. Angeli *in foro piscium*, quodque approbavit Leo XIII per decretum S. R. C. (20 April. 1882) ap. N.R.T. (XIV, 480): — item Scapulare **S. Joseph** *sponsi B. M. V. Protectoris Ecclesiae universalis*, quod approbavit (15 April. 1893) S. R. C. « *sub conditione ut color et forma praefati scapularis sit eadem ac illa quae jam obtinet in Dioecesi Veronensi et pro benedictione et impositione ejusdem scapularis adhibeatur formula huic decreto praevia.* » Quod rescriptum ratum habuit et confirmavit Leo XIII, die 18 iisdem mense et anno. Ap. N. R. T. (XXV, 384 seq.). Hujus Scapularis color est *albus*. Indulgentiae vero a S.C. I. (8 Jun. 1893) concessae reperiuntur ap. N. R. T. (XXV, 509 seq.): — item Scapulare **B. M. V. a Bono Consilio** quod Leo XIII per decr. S. R. C. (21 Dec. 1893) approbavit facultatemque illud benedicendi ac imponendi concessit PP. Ord. Eremitarum S. Aug., cum facultate subdelegandi. Constat ex binis partibus laneis *albi coloris*, quarum una pars habeat super impositam imaginem impressam in serica vel simili materie Imaginem B. M. quae colitur in sanctuario Genestani

R. Ad 2^{um}) Quod *formam* attinet, ex S. C. I. (18 Aug. 1868) non admittitur forma *rotunda*, vel *ovalis* vel *multangula*, sed sola admittitur *oblonga* et *quadrata*.

Q. 34. **Scapul.** quomodo debeant 1°) *gestari*; 2°) *imponi?*

R. Ad 1^{um}) Quod modum *gestandi* attinet, ex S. C. I., locis indicandis, constat de sequentibus.

Explanatur. 1°) Scapulare ita debet gestari, ut una pars *ab* **humeris,** altera *a* **pectore** dependeat, secus indulgentias quis non lucratur (12 Feb. 1840). 2°) Approbatus a S. Sede est usus gestandi per modum unius plura simul inter se diversa scapularia hoc modo, ut variorum scapularium panniculi alii aliis superpositi duobus tantum funiculis assuantur et singulorum scapularium panniculi dependeant tam *a* **pectore** quam *ab* **humeris** (18 Aug. 1868; 27 April. 1887; 26 Sept. 1864) (1). 3°) Scapularia non sunt necessario immediate super corpus deferenda, ita ut illud physice tangant; sed possunt retineri **super vestes** (12 Mart. 1855). 4°) Rite adscripti confraternitati scapularis B. M.V. de M. C., si scapulare dimiserunt, non debent iterum recipi, sed sufficit, ut habitum sacrum simpliciter **iterum resumant** (27 Maii 1857). Tunc tantum nova impositio (et nova admissio, si de confraternitate agitur) requiritur, quando quis scapulare deposuit cum animo illi valedicendi, sive illa voluntas fuerit *implicita*, deponendo scapulare

cum verbis inscriptis : *Mater boni consilii;* pars vero altera referat applicitum stemma pontificale, sc. trinam coronam cum clavibus, et verba inscripta latine seu vernaculo : *Fili acquiesce consiliis ejus* (Leo XIII). Elenchum indulgentiarum vide ap. N. R. T. (XXVI, 162). — Tandem memoratur parvum Scapulare a **S. Corde Jesu** nuncupatum, quod non est scapulare proprie dictum, sed tantum *signum* quoddam *laneum albi coloris, imaginem SS. Cordis Jesu in medio referens*, quod e collo supra pectus pendens defertur. Quare neque ejusdem benedictio, neque impositio, neque aliqua inscriptio requiritur. Cfr. Mocchegiani, *Collectio Indulg.* n. 882 seqq.

(1) Si inter scapularia unienda illud *Passionis* reperiatur, et in conjunctione non conserventur respectivi funiculi, sed *una tantum chorda* adhibeatur, necesse est ut haec chorda sit ex lana rubri coloris. Praeterea in scapularium unione attendatur, ut illud *SS. Trinitatis* et illud *Passionis* ponantur unum in primo et alterum in ultimo loco, ut sic propriae imagines quae pro ipsis sunt praescriptae (18 Jun. 1898) a ceteris scapularibus non obtegantur. Mocchec. *Coll. indul.* n. 866.

ex contemptu, sive fuerit *explicita*, directe eidem vel ejusdem sodalitati renuntiando. 5°) Quando primum scapulare **tritum** aut **laceratum** est, potest quilibet sibi aliud assumere et imponere, nec necesse est, ut sit benedictum. Olim quidem exceptio erat pro scapulari SS. Trinitatis, sed haec exceptio ablata fuit per decretum S. C. I. (24 Aug. 1895) ap. N. R. T. (XXVIII, 96). 6°) Qui confraternati B. M.V. de M.C. nomen dedit atque eodem tempore inter sodales Tertii Ordinis Saec. S. Franc. cooptatus sit, tenetur e collo pendentia gestare, ut indulgentias lucretur, **ambo** scapularia; non vero *unum* sufficit, quamvis utrumque ejusdem coloris sit et panni (10 Jan. 1886). Ap. N. R. T. (XVIII, 608). 7°) Item qui accepit scapularia de M.C. et Imm. C. debet **utrumque** gestare (22 Aug. 1842).

R. Ad 2um) Quod spectat modum *imponendi*, ex S. C. I. locis citandis, teneantur sequentia.

Explanatur. 1°) Scapulare debet **recipi** de manu sacerdotis auctoritatem habentis (18 Sept. 1862). 2°) Qui scapularia **benedicit,** debet eadem **imponere** (16 Jun. 1872). 3°) **Uni tantum humero,** et non circa collum, scapularis impositio valida est (26 Sept. 1892) ap. N. R. T. (XXV, 137). 4°) Unum idemque scapulare semel benedictum valide pluribus potest per vicem imponi repetita solummodo super singulis receptionis sive impositionis formula, ita tamen, ut *primum* scapulare, quod deinceps quilibet adscriptus induere debet, sit **benedictum** (18 Aug. 1868). 5°) Quando plura scapularia benedicenda sunt pluribus imponenda, orationes **semel** tantum dicendae sunt *in plurali*; — imo licet uti in plurali forma impositionis *Accipe*, etc. juxta praepositam rubricam in precibus benedictionis sacri scapularis (5 Feb. 1841). Unde quoque ad **dubium** : « *Utrum liceat sacerdoti in impositione Scapularium ab Ecclesia approbatorum, omnibus rite peractis, dicere* semel, *numero* plurali, *formulam :* Accipite, Fratres (vel Sorores) etc., *imponendo successive et sine interruptione Scapulare omnibus praesentibus, vel potius formula numero* singulari *pro singulis sit repetenda?* » **respondit** S. C. I. (18 April. 1891) : « Affirmative *quoad primam partem ;* negative *quoad secundam, uti decretum est in una* Valentinensi *die 5 Febr. 1841 ad dub. 4.* » Ap. N. R. T. (XXIII, 520

seq.) (1). 6°) Ad *validitatem*, saltem proferenda sunt verba formularum quae sunt **substantialia**, seu quae exprimunt benedictionem, impositionem habitus et (pro casu) receptionem ad confraternitatem (18 Aug. 1868 et 24 Aug. 1844). 7°) Pro induendo fideles quinque scapularibus totidem etiam benedictiones, impositiones ac receptiones requiruntur, nec unica tantum sufficit, nisi ex speciali indulto S. Sedis, et ea formula quae in eodem conceditur (27 April. 1887). Quod quidem indultum a variis Congregationibus Romanis obtineri potest scilicet : Brev., Memor., Rit., et de Prop. Fid., ut constat ex resp. (12 Sept. 1885). — De quibus omnibus ap. N. R. T. (XIX, 364-390). 8°) Cum conveniens sit scapulare B. M. V. de M. C., *honoris et devotionis causa*, separatim potius et distincte, quam cumulative et commixtim cum aliis quatuor vel pluribus scapularibus benedicere et imponere; hinc Leo XIII decrevit, ut indultum hucusque concedi solitum induendi Christifideles scapulari Carmelitico commixtim cum aliis scapularibus **non amplius concedatur**, ac illi omnes, etiam Regulares et Ordines vel Congregationes, quibus indultum ipsum quocumque nomine vel forma ab Apostolica Sede est concessum, eo tantummodo **ad decennium** perfruantur ab hac die computandum (27 April. 1887). Ceterum illud decretum spectat solummodo ritum separatim benedicendi ac imponendi scapulare Carmeliticum; nihil vero in eo prohibetur quoad modum illud cum aliis, etiam duobus funiculis unitum, gestandi. Constat ex decreto S. C. I. (11 Martii 1897) ap. N. R. T. (XXIX, 319.— Porro, praeter formulam *longiorem* in qua dicitur : « *Accipe vir devote* (vel *devota mulier*) *hunc habitum* » etc., jam ad instantiam plurium sacerdotum S. C. Rit. (24 Jul. 1888) *breviorem* formulam approbavit benedicendi et imponendi Scapulare B. M. V. de M. C., ap. N. R. T. (XXI, 138 seq.) in qua dicitur : « *Accipe hunc habitum benedictum.* » Utraque valide ac licite adhiberi potest. Si tamen unico actu promiscue *viri* cum *mulieribus*

(1) Ad **dubium** autem : « *Utrum in adscriptione plurium formula unica in numero plurali, quae ex decr. S. C. I. (18 Apr. 1891) adhiberi potest, dicenda sit* antequam *incipiatur impositio, vel potius dum* primo *fit impositio?* » **respondit** S. C. I. (18 Jun. 1898) : « *Formulam in casu dicendam esse immediate antequam scapularia imponi incipiantur eaque sacerdote in manibus tenente.* » Ap. R. T. Franç. (III, 539 seq.).

sint aggregandi, tum ad praecavendam cacophoniam « *melius* » fieret si formula brevior adhiberetur, dicendo tantum : « *Accipite hunc habitum* etc. » S. C. I. (18 Jun. 1898). Ap. R. T. F. (III, 539 seqq.). 9°) **Parvulis** rationis usum nondum adeptis **valide** imponitur scapulare; et cum ad usum rationis perveniunt, fruuntur indulgentiis aliisque privilegiis illud gestantibus concessis, dummodo impleant conditiones (29 Aug. 1864). 10°) Sibimet imponere potest scapulare sacerdos, qui facultatem habet **indiscriminatim**, minime vero **taxative**, ex. gr. pro aliqua Monialium communitate tantum (7 Mart. 1840). 11°) Qui *non sunt* **legitime** *recepti in societatem* B. M. V. de M. C., non lucrantur indulgentias (18 Sept. 1862) sub n. 397.

Q. 35. *Quousque* se EXTENDAT data facultas *benedicendi* et *imponendi* **Scapularia ?**

R. Ex S. C. I., locis citandis, constat de sequentibus.

Explanatur. 1°) Qui accepit facultatem benedicendi et imponendi scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, nisi aliter in concessionis documento disponatur, eadem uti potest ubique locorum, **exceptis** locis, ubi sunt Carmelitani (10 Maii 1844). 2°) Sacerdos qui obtinuit facultatem benedicendi et imponendi scapularia, non habet eo ipso facultatem commutandi obligationes commutabiles confratrum, **nisi expresse enuntietur** in Rescripto concessionis pro benedictione et impositione scapularium (22 Jun. 1842). 3°) Qui habet facultatem imponendi fidelibus scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, ea uti potest in loco, ubi est monasterium **Sororum** Carmelitarum (22 Aug. 1842 et 3 Mart. 1843). 4°) Sacerdos, qui a S. Sede habet facultatem benedicendi scapularia, eo ipso habet facultatem ea imponendi christifidelibus et eosdem adscribendi Confraternitatibus a S. Sede approbatis; sed debet penes se habere privatum regestum, ut quam primum commode poterit, **transmittat** nomina receptorum ad superiores respectivae Confraternitatis vicinioris (26 Jan. 1871). Quod verbum « *vicinioris* » non est *stricte* interpretandum, sed ad majorem commoditatem transmittentis nomina adhibitum est, « *cum liberum sit ea transmittere moderatori cujuslibet confraternitatis.* » Ita S. C. I. (18 Jun. 1898) ap. R. T. F. (III, 539 seqq.). 5°) Pro confraternitate B. M. V. *de*

Monte Carmelo exstitit quidem indultum Gregorii PP. XVI, de 30 April. 1838, ex quo inscriptio nominum non amplius erat necessaria ad lucrandas indulgentias, quamvis interim necessaria permaneret, ne recepti in eorum obitu suffragiis privarentur (17 Sept. 1845) ; ast Leo XIII illud *Gregorianum* indultum **revocavit** (27 April. 1887). Quod quidem decretum, revocans indultum Gregorianum, Patres Soc. Jesu Neerlandiae et Belgii non obligat (26 Sept. 1892); « *admonentur tamen Patres Societatis Jesu ut nomina receptorum in Albo alicujus sodalitatis vicinioris sive Monasterii Religiosorum respective inscribere non omittant, ne in eorum obitu suffragiis priventur, juxta responsionem in una* Versaliensi (d. 17 Sept. 1845). » Ap. N. R. T. (XXV, 157). — Itaque, cum receptio scapularis SS. Trinit., B. M.V. de Mont. Carm. et Septem Dolor., sit simul admissio ad Confraternitatem, omnino requiritur, ad lucrandas indulgentias hisce Confraternitatibus concessas ut, nisi obtineatur apostolica dispensatio, nomina receptorum in albo ipsius Confraternitatis respective inscribantur. **Excipiuntur** suscipientes scapulare coeruleum B. M. V. I. C. aut rubrum Passionis D. N. J. C., cum ipsi Confraternitates non constituant (27 April. 1887). Cfr. N.R.T. (XIX, 364 seqq.; 585 seqq.; XXIII, 228; XXIV, 67-70; et 205-208).— Interea notandum est receptiones ad confraternitatem B. M.V. de M. C. invalide peractas quacumque ex causa usque ad diem 20 Junii 1894, a S. Sede benigne fuisse sanatas, ut constat ex decreto S. C. I. (20 Jun. 1894) ap. N. R. T. (XXVI, 482).

Q. 36. Quae sint indulgentiae et privilegia concessa confratribus **Scapularis** : 1°) B. M. V. *de Monte Carmelo* ; 2°) *Immac. Conceptionis?*

R. Ad 1^{um}) Praeter insignes indulgentias confratribus scapularis B. M. V. *de Monte Carmelo* consessas, ad quas lucrandas non sufficit ex S. C. I. (22 Febr. 1847), ut ipsis imponatur scapulare, (sed debent esse rite recepti, rite deferre scapulare, et rite implere singulas conditiones pro singulis indulgentiis praescriptas), ipsis *duplex* privilegium concessum est : unum, quod vocant privilegium praeservationis ; alterum, quod dicitur privilegium sabbatinum.

Explanatur. *Privilegium* **praeservationis** enuntiant ipsa verba B. M.V. ad Simonem Stock : « *Dilectissime fili, recipe, tui Ordinis scapulare, meae Confraternitatis signum, tibi et cunctis Carmelitis privilegium : in quo quis moriens, aeternum non patietur incendium. Ecce signum salutis ; salus in periculis, foedus pacis et pacti sempiterni.* » Ita apud Joan. Paleonyd. (lib. III, cap. 7 *de Antiquit. et Sanctim. Eremit. Mont. Carm.*). Quam visionem Stockii veram credit Bened. XIV veramque ab omnibus habendam arbitratur in opere : *De festis* (II, 334).

Quod spectat *privilegium* **Sabbatinum**, a pluribus SS. Pontificibus jam pridem confirmatum, ex decreto S. U. I. a Paulo V approbato (15 Febr. 1613), ap. N. R. T. (I, 102), Patribus Carmelitanis permittitur praedicare : « *Quod populus Christianus possit pie credere de adjutorio animarum Fratrum Sodalitatis* B. V. M. de Mont. Carm., *videlicet* B. V. *animas Fratrum et Confratrum in caritate decedentium*, qui in vita habitum gestaverint, et castitatem pro suo statu coluerint, officiumque parvum recitaverint, **vel** *si recitare* nesciverint, Ecclesiae jejunia observaverint et feria quarta et sabbato carnibus abstinuerint, nisi ubi in iis diebus Nativ. Dom. festum inciderit, *suis intercessionibus continuis suisque suffragiis et meritis, et speciali protectione post eorum transitum, praecipue in die Sabbati (qui dies ab Ecclesia eidem B. V. dicatus est) adjuturam.* » — Porro, pro ultima conditione requisita ad fruendum privilegio **Sabbatino**, notentur sequentia : 1°) Non in arbitrio confratrum positum est **eligere** inter recitationem officii et abstinentiam a carnibus ; sed qui officium recitare valent, tenentur saltem ad parvum B. V. officium persolvendum, « *exceptis iis qui jam tenentur ad recitationem divini officii.* » Quod parvum officium « *quotidie* » est recitandum ; et quidem « *secundum ritum Romanum,* » adeoque latino idiomate, « *nisi quis habeat proprium ritum a S. Sede approbatum.* » Non tamen totum officium est recitandum, sed declaratum fuit : « *recitandum esse Nocturnum diei cum Laudibus et ceteras Horas ejusdem Officii.* » De quibus omnibus constat ex S.C.I. (18 Aug. 1868). 2°) Confratres officium parvum B. M. V. recitare, sive statutis diebus jejunare aut a carnibus abstinere, justis de causis, non valentes, non sunt omnino liberi, sed indigent **commutatione**. Quae fieri debet a rectore Confraternitatis, vel ab alio sacerdote cui facultas commutandi *ex-*

presse concessa est ab Ordine Carm. aut a S. Pontifice, ut constat ex S.C.I. (22 Jun. 1842). Nihilominus, accedente gravi impedimento, non tenentur confratres ad recitationem officii B.M.V. et ad abstinentiam. Suadendum tamen est ipsis, ut hoc in casu se subjiciant judicio confessarii pro aliqua commutatione impetranda. — Quod autem **carnis abstinentiam** attinet, observa haec tria sequentia ex decreto S.C.I. (3 Dec. 1892), scilicet : **a**) haec carnis abstinentia non excludit usum *ovorum* et *lacticiniorum*. **b**) Qui hanc abstinentiam observant non possunt uti indulto Bullae *Cruciatae*, ita ut liceat ipsis mitigare juxta hoc indultum rigorem abstinentiae. **c**) Non possunt uti indulto seu dispensatione, quae tempore quadragesimae concedi solet ad carnes manducandas. Ap. N.R.T. (XXV, 260 seqq.).

R. Ad 2^um^ Inter indulgentias et privilegia confratribus scapularis coerulei *Immac. Conc.* concessa, haec *duo*, quae sequuntur, eminent.

Explanatur. Primum **privilegium** est : Quod *sodales recitando sex* Pater, Ave *et* Gloria *in honorem SS. Trinitatis et Deiparae Virginis Immaculatae, orando pro haeresum exstirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae atque christianorum Principum pace et concordia, omnes lucrifaciunt indulgentias septem Basilicarum Romae, Portiunculae, Jerusalem et S. Jacobi de Compostella; et quidem* toties quoties, *et in quocumque loco preces ipsas fuderint*, **servato tamen decreto** *S.C.I. diei 7 Mart. 1678, approbato ab* Innoc. XI *cujus initium* Delatae saepius; *nec debent addere alias preces, nec debent suscipere sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae; denique hae ipsae indulgentiae omnes animabus in purgatorio detentis applicari possunt.* Ita ex S. C. I. (14 April. 1856). Nec preces praescriptae «*scilicet sexties* Pater, Ave *et* Gloria *flexis genibus sunt recitandae.*» Ex S.C.I. (18 Sept. 1862). — Dicitur : **servato tamen decreto** etc.; porro in hac decreto, ut supra (p. 279 seq.) visum fuit, Innoc. XI declarat : «Semel *autem dumtaxat in die* plenariam *indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.*» Sed, ut diximus supra (p. 290 seq.) ex «*Summario indulgentiarum, quibus fruuntur Christifideles parvum coeruleum scapulare in hon. Imm. Conc. B.M.V...gestantes*» quod uti authenticum recognosit typisque imprimi ac publicari posse

permisit S.C.I. (26 Aug. 1882), «*juxta memoratum decretum* [Innoc. XI] *indulgentia plenaria* pro **vivis** *concessa in diem certum, ecclesiam locumve visitantibus, non acquiritur nisi semel in die.*» Ex quo sequitur, omnes illas indulgentias non modo *partiales*, sed etiam *plenarias* quae illorum locorum visitationi annexae sunt, *toties quoties* acquiri posse saltem pro **defunctis**. Praeterea, cum decretum Innoc. XI loquatur de indulgentia plenaria *in certos dies* concessa, dici quoque potest indulgentias omnes a confratribus coerulei scapularis pluries, i. e. *toties quoties* tam sibi quam defunctis lucrificri posse, si eas excipias quas R. Pontifices pro visitantibus Basilicarum Urbis, Compostellae, etc., *certis* quibusdam diebus *prae aliis* annexas esse voluerunt. Cfr. N.R.T. (XXIV, 414-422); item Lehmk. (II, n. 561 in nota).

Secundum **privilegium** est : Quod quoties missae sacrificium pro defuncto celebratur, qui sacrum rite benedictum gestaverit scapulare coeruleum, altare in quo illud Deo offertur tanquam privilegiatum habeatur. Cfr. *Summ. indul.* a S.C.I. (26 Aug. 1882) approbatum.

APPENDIX A.

De Gregoriano Tricenario (Trentains pour les défunts), *de Altari S. Gregorii in Monte Coelio et de Altaribus Gregorianis ad instar*, seu per communicationem.

§ 1. De Gregoriano Tricenario.

Pro animabus e Purgatorio liberandis ab antiquis temporibus Christifideles celebrandas curarunt et curant Missas, quae **Gregorianae** seu **Gregorianum Tricenarium** appellantur, quae nimirum per triginta continentes dies exemplo S. Gregorii Magni in quovis Altari dicuntur. Atque in his triginta Missis specialem fiduciam et habuerunt et habent, veluti si ipsae ita efficaces sint censendae, ut anima, pro qua celebrantur e Purgatorio illico liberetur. Quocirca notandum est, S. Gregorium Magnum, ut ipse tradit (l. 4, c. 5, *De Dialogis*), cuidam monacho demandasse, ut diebus triginta continuis Missam pro monacho defuncto celebraret, quibus completis, defuncti anima e Purgatorio erepta fuit. « *Hinc*, ait Bened. XIV *De Sacrif. Missae*, (Sect. II, n. CCVIII), *missarum usus dimanavit quae* a S. Gregorio *nuncupantur;* » additque : « *Fideles omni saeculo eamdem consuetudinem pariter receperunt.* » Et (n. CCIX) hanc consuetudinem vocat « *piam* » simulque observat : « *Quod si intra trigesimum dierum numerum postremi tres dies Majoris Hebdomadae occurrant, diebus insequentibus numerus absolvatur.* »

Porro ad **dubium** : « *Utrum* fiducia, *qua fideles retinent, celebrationem triginta Missarum, quae vulgo* Gregorianae *dicuntur, ut* specialiter efficacem *ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae e Purgatorii poenis liberationem* pia sit et rationabilis : *atque* praxis *easdem Missas celebrandi sit in Ecclesia* probata ? » S. C. INDUL. (15 Mart. 1884) **respondit** : « *Affirmative.* » Ap. N. R. T. (XVI, 352). — Quae quidem fiducia in specialem efficaciam non caret fundamento. Fundatur enim in meritis et intercessione S. GREGORII, « *qui*, ut ait BENED. XIII, *suis precibus efficacissimis impetravit his triginta Missis vim satisfactoriam.* » Et cum hujusmodi praxim sequatur Ecclesia occidentalis per cuncta saecula a S. GREGORII obitu, propositio quae damnaret talem praxim merito censenda foret, ait Consultor S. Congregationis, « *temeraria, pio, probato ac per Ecclesiam frequentato mori injuriosa.* » Unde quoque Consultor quaerens : « *Utrum Tricenarium differat a triginta Missis celebratis eodem die* » respondit differre in hoc, quod Missae celebratae eodem die *citius* suffragium offerant, sed a Purgatorio non liberant animam, quae indigeat suffragiis majoribus efficacia ordinaria triginta Missarum : dum Tricenarium, etsi *tardius* agat, tamen ad ejus exitum animam *liberat*.

Praeterea circa **Gregorianum Tricenarium** juvat ex S. C. INDUL. sequentia adnotare **1°**) Praefatae Missae *Gregorianae*, juxta perantiquam S. GREGORII institutionem ab Ecclesia recognitam et probatam, *non pro vivis*, sed *pro defunctis* celebrari debent (24 Aug. 1888). **2°**) Sacerdos qui bona fide praedictas Missas *pro vivis* celebravit, juxta nempe intentionem offerentis, qui putavit, durante adhuc vita, posse anticipari suffragia, *ad nihil tenetur* (24 Aug. 1888). **3°**) *Non constat* ipsis Missis Gregorianis adnexam fuisse indulgentiam (24 Aug. 1888). **4°**) Non est necessarium quod Missae triginta, quae *Gregorianae* appellantur, celebrentur *in memoriam* S. GREGORII (14 Jan. 1889). **5°**) Non est necessarium, quod eaedem Missae triginta celebrentur *ab eodem sacerdote* (14 Jan. 1889). **6°**) Missae pro *ea anima* debent applicari, cujus liberatio a poenis Purgatorii a divina misericordia imploratur (14 Jan. 1889). **7°**) Necessarium est, quod Missae celebrentur *diebus triginta continuis sine interruptione* (14 Jan. 1889). Exceptio fit *pro triduo Passionis*, juxta dicta superius p. 318. **8°**) Non est tamen necessarium quod praedictae Missae Gregorianae celebrentur *in eodem altari* (14 Jan. 1889). Cfr. N. R. T. (XXI, 130 seq.).

§ 2. De Altari S. Gregorii in Monte Coelio deque Altaribus Gregorianis ad instar seu per communicationem.

In eumdem finem, scilicet pro animabus e Purgatorio liberandis, et ab antiquis pariter temporibus Christifideles offerri expostularunt et expostulant Missae sacrificium in Altari S. Gregorii in ejus ecclesia Coelimontana necnon in Altaribus Gregorianis ad instar seu per com-

municationem: eamdem, ut supra, specialem fiduciam habentes, ita ut magis aestiment Missas celebratas ad hujusmodi altaria quam alias missas celebratas ad altaria privilegiata.

Ad **dubia**: « *Utrum* fiducia, *qua fideles retinent, celebrationem Missae* in Altari S. Gregorii in ejus ecclesia Coelimontana *uti* specialiter efficacem *ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae e Purgatorii poenis liberationem* pia sit et in Ecclesia probata? » Item: « *Utrum idem dicendum sit* de Altaribus Gregorianis ad instar? » S. C. Indul. (15 Mart. 1884) **respondit**: « *Affirmative.* »

Nec iterum huic piae praxi et speciali fiduciae ab Ecclesia recognitae et approbatae suum deest fundamentum, cum altare S. Gregorii in Monte Coelio necnon Altare Gregorianum *ad instar* seu per communicationem apprime sit Deo acceptum favore defunctorum: tum intuitu *meritorum et mediationis* seu *patrocinii* S. Gregorii, qui habetur ceu Patronus specialis defunctorum, tum intuitu *specialissimae destinationis* ab Ecclesia factae de hujusmodi altaribus ad exercendam auctoritatem concedendi indulgentias pro defunctis. Haec enim specialissima deputatio est titulus specialissimus ad divinam acceptationem, ne auctoritas Ecclesiae suae a Jesu Christo frustra concessa dicatur. Ex quibus omnibus deducitur, differentiam gradus inter Altaria praedicta et Altaria simpliciter privilegiata sitam esse in majore certitudine quod Missae celebratae in Altari *S. Gregorii* aut in Altari Gregoriano *ad instar*, duplici jam accedente titulo, *facilius, plenius* ac *citius* suum sortiantur effectum. Cfr. N. R. T. (XXI, 121 seqq.): item *Collectio indulgentiarum*, ap. Mocchegiani, n. 490 seqq.

APPENDIX B.

De Confraternitatibus.

Circa hanc materiam, quam latius tractant Canonistae, juvat ex S. C. Indul. sequentia adnotare. **1°**) Episcopus potest **jure ordinario** erigere Confraternitates (28 Aug. 1752), nisi fuerint speciali modo exceptae, quales sunt Confraternitates SS. Rosarii (26 Aug. 1747) necnon Scapularis de Mont. Carm., Septem Dolorum B. M. V. et SS. Trinitatis, quae hodie ita privative Regularibus reservatae sunt, ut non erigantur « *nisi requisitis antea et obtentis a laudatorum Ordinum superioribus pro tempore exsistentibus litteris facultativis pro earumdem erectione.* » (16 Jul. 1887) ap N. R. T. (XX, 28 seqq.) (1). — Ut tamen Confraternitas

(1) Loca *Missionum* quae a S. C. de P. F. dependent non comprehenduntur in hoc decreto. Imo Leo XIII eidem Congregationi facultatem concessit erigendi etiam confraternitates SS. Rosarii, ita tamen ut fideles iis adscripti non lucrentur nisi indulgentias *communiter* concessas omnibus in genere confraternitatibus canonice erectis (quas

canonice erecta variis fruatur indulgentiis, hac *regulariter* (1) vel a S. Sede *directe* sunt impetrandae, vel obtinendae sunt per *aggregationem* Archiconfraternitati. Quae aggregatio fieri debet, servata Constitutione « *Quaecumque* » CLEM. VIII (7 Dec. 1604), una cum variationibus approbatis a PIO IX (3 Jan. 1861). Quae omnia ad *valorem* sunt servanda. Interea notandum est, quod spectat **distantiam** inter Confraternitates ejusdem nominis, modificationem fuisse introductam in Const. CLEM. VIII per decreta tum (31 Jan. 1893), tum (20 Maii 1896), ita quidem ut HODIE in *locis distinctis*, i. e. in distinctis civitatibus, oppidis, pagis, etc., in quibus respective habetur propria et distincta paroecia, erigi possint confraternitates ejusdem nominis et instituti, *etsi una leuca non distent ab invicem*, et quoad *magnas civitates*, data sit respectivis Ordinariis facultas, pro eorum arbitrio et prudentia in singulis casibus, plures quoque ex dictis Confraternitatibus erigendi, servata in hujusmodi erectionibus convenienti, *secundum eorum judicium*, distantia (2).

2°) Interdum etiam episcopus **jure delegato** seu per indultum apostolicum erigit Confraternitates *cum facultate eas ditandi indulgentiis* quibus Archiconfraternitates sub iisdem titulis in Alma Urbe sunt ditatae. Excipiuntur tamen, praeter *quatuor* Confraternitates jam modo numeratas, Confraternitates *B. M. V et Bonae Mortis* (17 Sept. 1887); — Sodalitates sub titulo *B. M. V. de salute necnon S. Joseph et Camilli de Lellis* (19 Nov. 1887); — Sodalitates sub titulo et invocatione *B. V. Mariae de perpetuo succursu et S. Alphonsi M. de Liguorio* (22 Febr. 1888) ap. N. R. T. (XX, 30 et 257 seqq.); ac nuper sodalitates sub titulo *B. M. V. in coelum assumptae ad juvandas animas Purgatorii igne excruciatas.* Ap. N. R. T. (XXIV. 483 seqq.). Forte aliae in posterum fient exceptiones, ut adeo indultum apostolicum vix utile sit evasurum.

reperies ap. Mocch. *Collectio indul.* n. 1686). Quare moderatores *Missionum* ad fruendum etiam particularibus indulgentiis quae conceduntur Confraternitatibus erectis auctoritate Magistri gen. O. P. ad eumdem habeant recursum oportet. Cfr. Litt. circ. S. C. de P. F. (30 Jun. 1889) ap. N. R. T. (XXI, 484 seqq.). — (1) Dicitur : *regulariter ;* quia habentur exceptiones, v. g. pro confraternitatibus *SS. Sacram., Doctr. Christianae*, etc. — (2) Quod vero *praeteritum* attinet, ad **postulatum** Procuratoris Generalis Ord. Praed. scilicet : « *Ut omnes SS^mi Rosarii confraternitates, quae sive in propriis Ordinis, sive in aliis orbis ecclesiis erectae inveniuntur irregularitate vel vitio nullitatis affectae ob quemcumque loci distantiae, litterarum testimonialium, diplomatum concessionis, sive alterius cujuscumque generis defectum, in radice sanentur, et quatenus opus sit immediate apostolica auctoritate de novo erigantur, firmis remanentibus privilegiis a Romanis Pontificibus Ordini Praedicatorum elargitis* » **responsum** fuit : « *Affirmative* » a S. C. I., quam resolutionem LEO XIII ratam habuit confirmavitque (20 Maii 1896) ap. R. T. FRANÇ. (I, 519).

3°) Non potest **Vicarius generalis** absque speciali delegatione episcopi erigere Confraternitates; neque valide concedere litteras testimoniales, nec dare consensum pro aggregatione Confraternitatum, nec approbare earum statuta (18 Aug. 1868) ap. N. R. T. (XX, 472). — Vicarius autem **Capitularis** quoad haec omnia « *se abstineat* » (23 Nov. 1878) ap. N. R. T. (XX, 476). Nec mirum : cum ipse peragere nequeat ea quae innovationem sapiunt aut alienationem, ut diximus (tom. 2, p. 315). — Quod si episcopus Confraternitates erigat vi indulti apostolici cum respectivis indulgentiis, juxta dicta sub n. 2, ad id subdelegare nequit suum **vicarium generalem**, nisi subdelegandi potestas ipsi in indulto apostolico fuerit concessa (18 Aug. 1868) ap. N. R T. (XX, 472).

4°) Nemini licet Confraternitatem de novo erigere aut jam exsistentem aggregare *Archiconfraternitati* nisi *cum consensu* in scripto Ordinarii loci, et *praeviis litteris testimonialibus* ejusdem, quibus Confraternitatis institutum, pietas ac religio commendatur. Ita ex Const. CLEM. VIII « *Quaecumque* » et decreto PII IX (8 Jan. 1861). Quae praeviae litterae testimoniales debent omnino dari « *in antecessum,* » adeoque ante erectionem novae Confraternitatis aut aggregationem Confraternitatis jam exsistentis, (3 Dec. 1892). Nec valida foret erectio vel aggregatio, si formulae a moderatore Archiconfraternitatis seu superiore Ordinis religiosi subscriptae et sigillo munitae in cancellaria Episcopatuum seu in aliqua Ordinis domo in antecessum deponerentur, quibus suo tempore depositarius uteretur ad erectionem vel aggregationem, nomen Rectoris datamque in formula apponens (3 Dec. 1892 et 20 Maii 1896). — De quibus omnibus latius N. R. T. (XXV. 138 seqq.); item R. T. F. (IV, 386 seqq.).

5°) **Inscriptio** confratrum in libro Confraternitatis seu sodalitii est *necessaria* ad lucrandas indulgentias, si agatur de Confraternitatibus *proprie dictis*, etiamsi harum statuta eam non explicite requirant (16 Jul. 1887) ap. N. R. T. (XIX, 587 seq.). Non vero est habenda ut conditio essentialis pro lucrandis indulgentiis, ubi sermo est de piis unionibus aliisve operibus quae proprie dictae Confraternitates non sunt, quamvis tamen pro iis regulariter sit etiam urgenda, tum quia earum statuta inscriptionem non raro exigunt; tum etiam quia saepe difficile est discernere utrum aliqua associatio sit necne vera Confraternitas.

6°) Quod **visitationem** ecclesiae pro lucrandis indulgentiis Confraternitatibus concessis attinet, ex indulto CLEM. XIII (2 Aug. 1760) Confratres et Consorores Confraternitatum vel Sodalitatum sive Congregationum ubique locorum exsistentium et auctoritate Ordinariorum erectarum, aliqua corporis *infirmitate* laborantes vel *carceribus* detenti, eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudent ceteri Confratres et Consorores gaudere possunt, ita tamen ut, *omissa visitatione ecclesiae*, alia pia injuncta opera, quae pro viribus peragere possunt, fideliter ac devote exsequantur. — Quae concessio indulti Clementini hodie reapse valet pro omnibus Confraternitatibus seu Sodalitiis aut Congregationibus sine speciali recursu ad S. Sedem, qui antea requirebatur (20 Aug.

1887) ap. N. R. T. (XIX, 589 seq.). Imo Confratres et Sorores, non ob infirmitatem vel carceris detentionem, sed *alia ex causa legitime impediti*, possunt, si impedimentum judicio discreti confessarii ut legitimum habeatur, ab eodem commutationem visitationis ecclesiae in aliud pium opus obtinere (20 Aug. 1887). Cfr. N. R. T. (XVIII. 339-345).

7°) Regula generalis est **absentes** fideles non posse admitti et adscribi Confraternitatibus (28 April. 1761 et 13 April. 1878) ap. N. R. T. (X, 433; XIII, 9). Quae regula explicatur in declaratione (26 Nov. 1880) ap. N. R. T. (XIII, 9 seqq.). Scilicet *distinguendum* inter Sodalitates *universales* pro universo orbe, et Sodalitates *locales* pro certa tantum dioecesi vel regione erectas. Si agatur de his *posterioribus*, absentes considerantur extranei, ii scilicet qui extra dioecesim vel regionem pro qua Sodalitas fuit instituta commorantur, quos proinde adscribere non licet. Si vero agatur de *prioribus*, urgenda est regula de non adscribendis absentibus pro iis Sodalitatibus quae pro Sodaliuai inscriptione *certam aliquam habent formam cum aliqua solemnitate et ritu;* pro aliis vero quae nullam habent pro inscriptione Sodalium formam ac caeremoniam inter praesentes, decretum quoad absentes, *quantum fieri potest*, rite servetur. Quae omnia latius evolvuntur in cit. *Declaratione* ubi Leo XIII sanavit irritas *absentium* adscriptiones, simulque indicat exceptiones a praescripto de non adscribendis absentibus, quae exceptiones locum habere possunt vel ex peculiari sodalitatum quarumdam constitutione, vel ex specialibus privilegiis, vel ex intrinsecis circumstantiis, vel ex benigna apostolica dispensatione. — Praeterea notandum hic est : S.C.Inq. (6 Dec. 1876) expresse declarasse pro Archisodalitate B. M. V. a SS. Corde Jesu haec tria sequentia : 1°) Non posse fideles post mortem adscribi sodalitati : 2°) non posse adscribi vivos, ipsis insciis, mere ad desiderium tertii ; 3°) non expedire ut adscribantur pueri ante usum rationis. Ex quibus responsis veluti normis concludimus : *Primum* et *secundum* servetur pro qualibet confraternitate. Et quidem, quod defunctos attinet, id confirmatum fuit generali responso S. C. I. (14 Aug. 1889 et 5 Aug. 1897) et quoad associationem S Familiae declaratum fuit (26 Jul. 1896) a Vic. Urbis non posse aggregari cum vivis defunctos parentes, quia aggregatio respicit viventes. *Tertium* habeatur ut regula, cui tamen, inspecta natura quarumdam sodalitatum exceptiones esse possunt. Sic Scapulare imponi potest *parvulis* ante usum rationis, juxta dicta (pag 314): sic pariter contingit in pio opere *a Sancta Infantia* nuncupato.

8°) Quod vero **designationem rectorum** Confraternitatum attinet, notentur sequentia : **A**) Potest episcopus, generatim loquendo (1), desi-

(1) Pro confraternitatibus SS. Rosarii Rectores nominantur a Magistro Generali Ord. Praed. Fere semper hoc officium concedit rectori ecclesiae in qua erigitur confraternitas, sive sit parochus, sive alius sacerdos quilibet in dignitate constitutus.

gnare rectorem uniuscujusque Confraternitatis suae dioecesis (18 Nov. 1842), adeoque non solum parochos, sed etiam eleemosynarios, capellanos communitatum vel piorum locorum quoad Confraternitates in ecclesiis ipsis concreditis independenter a parocho, ut communiter fit in Galliis, vel etiam vicarios tum ob nimias parochi occupationes, tum aliis de causis, (3 Dec. 1892) ap N. R. T. (XXV, 138 seq.) Saepius designat parochum. Quo spectat *Stat. dioec. Mechl.* n. 390. Ad **dubium** autem : « *An defuncto actuali parocho vel amoto, qui alicui Sodalitati praerat, novus parochus nova iterum indigeat episcopi nominatione ad hoc, ut rector Sodalitatis eligatur?* » **responsum** fuit « *Negative* » (25 Jun. 1887) ap. N. R. T. (XIX, 588) — **B**) At rectores Confraternitatum ab Ordinario designati non eo ipso habent facultatem benedicendi rosaria, coronas, scapularia, nisi facta sit ipsis haec facultas (18 Nov. 1842; 12 Jul. 1847). Possent tamen, qua rectores, benedicere numismata quibus Confratres vel Consorores aliquando utuntur, ut contingit in Congregationibus B. M. V. Nec parochus seu moderator Confraternitatis, sive legitime impeditus sit, sive non, potest subrogare ad recipiendum fideles Confraternitati adscribendos, aut ad habitus Confratrum vel Sororum, coronas deprecatorias seu rosaria cum applicatione indulgentiarum benedicendum, nisi id ipsi fuerit concessum (22 Aug. 1842 et 3 Dec. 1892). In Congregationibus autem *B. M. V. et bonae Mortis* aggregatis respectivis Romanis Archicongregationibus, vi concessionis generalis SS. D.N. Leon. XIII (23 Jun. 1885) rectores ex rationabili causa alium sibi sacerdotem substituere possunt ad recipiendos fideles, ad benedicenda numismata et alia praesidum munia exercenda.

9° Denique *electio* **administratorum** quae fit in multis Confraternitatibus et Congregationibus, est tantum ad *bonum regimen* earum, minime vero ad validitatem erectionis (18 Nov. 1842). Quapropter nullum influxum habet in indulgentias Confraternitati annexas.

APPENDIX C.

De Tertio Ordine saeculari S. Francisci.

1°) Quod spectat ad **Sodalitatem Franciscalium** *Tertii Ordinis saecularis*, Leo XIII per Litt. Enc. « *Auspicato* » (17 Sept. 1882) ap. N. R. T. (XIV, 341 seqq.) hanc Sodalitatem pietati Christianorum vehementer commendavit eique per Const. « *Misericors Dei Filius* » (30 Maii 1883) ap. N. R. T. (XV, 195 seqq.) novam legem dedit, et revocatis indulgentiis quae hactenus valuerant, alias quasdam ex integro decrevit. — Ex illa **Lege**, notentur sequentia : **A**) Adlecti in Sodalitatem *scapulare parvum* unaque *cingulum* de more gerant : « *ni gesserint, statis privilegiis juribusque carent.* » (C. I, § III). — Ad **dubium** autem : « *An... sufficiat induere scapulare ejusdem formae et amplitudinis ac sunt cetera scapularia piarum Confraternitatum?* » S. C. I. (30 April.

1883) **resp.** : « *Sufficere* ». **B**) Jejunium M. V. Immaculatae, item Francisco Patri, pridie sacra solemnia singuli servanto : admodum laudabiles, si qui praeterea vel jejunium in sextas vel abstinentiam carnium in quartas quasque ferias servarint, disciplina veteri Tertiariorum (C. II, § IV). **C**) Tertiarios ex ordine clericorum quod Psalmis quotidie dant operam nihil praeterea hoc nomine debere placet. Laici, qui nec canonicas, nec Mariales preces, vulgo *officium parvum B. M. V.* persolvunt, precationem Dominicam cum Salutatione Angelica et *Gloria patri* adhibeant duodecies in dies singulos, excepto si per valitudinem non liceat (C. II. § VI). — Reliqua vide in cit. Const. « *Misericors Dei Filius.* »

2°) Praeter alias **indulgentias** tam plenarias quam particulares defunctis applicabiles, a Tertiariis utriusque sexus lucrandas, possunt singuli rite confessi et sacra communione refecti, lucrari indulgentiam plenariam : — **A**) bis in anno *Benedictionem Summi Pontificis nomine* accipiendo, si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquamdiu supplicaverint. Quae Benedictio ex Brevi Leon. XIII (7 Jul. 1882) ap. N. R. T. (XIV, 309 seqq.) impertienda est juxta formulam approbatam in Const. *Bened. XIV* « *Exemplis Praedccessorum* », et nunquam danda est eodem die et in eodem loco, ubi Episcopus eam concedit. — Itemque **B**) si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquamdiu supplicaverint, accipiendo quam appellant *Absolutionem*, hoc est *Benedictionem*, certis diebus in eadem Bulla « *Misericors* » indicatis. Si tamen Tertiarii legitima causa impediantur, quominus ecclesiam adeant *Absolutionem* seu *Benedictionem* diebus assignatis, qui profesti sunt, accepturi, ex concessione Leonis XIII, eamdem accipere valent aliquo die festo de praecepto qui intra octidua eorumdem profestorum dierum occurret, dummodo caetera exsequantur. S. C. I. (16 Jan. 1886) ap. N. R. T. (XVIII, 177 seq.). Imo ne Tertiarii alias beneficio *Absolutionis* seu *Benedictionis* priventur, haec etiam dari poterit pridie diei quo in Indice indulgentiarum recensetur elargienda, non tamen *publice*, sed *privatim* tantummodo, *nempe post expletam sacramentalem confessionem*. Ita ex decreto S. C. I. (21 Jul. 1888) ap. N. R. T. (XX, 467 seq.). Quae clausula : « *privatim, nempe post expletam sacramentalem confessionem* » ita intelligi debet, ut absolutio generalis nonnisi in loco, in quo auditur confessio sacramentalis, dari debeat, ut constat ex S. C. I. (30 Jan. 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 649).

Animadvertendum autem est ex S. C. I. (10 Jun. 1886) ap. N. R. T. (XVIII, 608 seq.) quod « *Benedictiones nomine Summi Pontificis, et Benedictiones cum indulgentia plenaria* PUBLICE *impertiendae dari debent ab ecclesiastico viro qui Tertiariis in id coadunatis praeest* (Caeremoniale Tertii Ordinis S. Francisci a S. R. C. approbatum die 18 Jun. 1883, art. 8 et 9). Non refert an dentur a Directore propriae congregationis, an vero a Directore alterius congregationis Tertiariorum quae obedientiae alterius familiae Franciscani ordinis subest. Ita S.C.I. (30 Jan. 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 649). *Benedictiones vero cum In-*

dulgentia plenaria PRIVATIM *et immediate post sacramentalem Absolutionem dari possunt ab uniuscujusque Tertiarii confessario.* « Benedictio porro cum indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus danda est omnino, abrogatis et suppressis quibuscumque aliis, juxta formulas quas sancivit LEO XIII in Brevi (7 Jul. 1882) ap. N. R. T. (XIV, 309 seqq.), prout scilicet impertitur *publice* vel *privatim* immediate post sacramentalem absolutionem. Si tamen circumstantiae non sinunt, ut integra formula adhibeatur, sacerdos, caeteris omissis, dicat : « *Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris et Filii † et Spiritus Sancti Amen.* » Ita *caeremoniale Tertii Ord. S. Franc.* a S. C. RIT. 18 Jun. 1883 approbatum.

3°) Omnes qui Tertio Ordini Saeculari nomen dederunt, participes sunt omnium indulgentiarum ac piorum operum quibus 1us et 2us Ordo Franciscalis pollet. Ita ex concessione LEONIS XIII (7 Jul. 1896) ad *Quinquennium* valitura. Ap. N. R. T. (XXVIII, 535 seq.). Harum indulgentiarum *principaliores* indicat N. R. T. (XXVIII, 651 seq.).

4°) Quod **privilegia** attinet, duo in Bul. cit. « *Misericors* etc. » recensentur : **A**) Sacerdotes ex Ordine Tertiariorum gaudent privilegio altaris privilegiati tribus in qualibet hebdomada, modo similem facultatem pro alia die non impetraverint (pag. 300). **B**) Qui sacrum fecerit animabus sodalium defunctorum expiandis, is ubicumque defuncto applicare potest indulgentiam pleniaram.

5°) Denique notandae heic sunt sequentes **Resolutiones : A**) Ad **dubium :** « *Utrum omnes utriusque sexus qui sunt membra alicujus religiosi Instituti vel Congregationis aut a Summo Pontifice aut ab episcopo approbatae in qua vota emittuntur sive perpetua sive ad tempus possint adscribi in Tertium Ordinem S. Francisci Assisiensis?* S. C. C. (25 Jun. 1887) **respondit** : « *Negative*, facto verbo cum SSmo. » Quam responsionem Sanctitas Sua ratam habuit et confirmavit (16 Jul. 1887) ap. N. R. T. (XIX, 477 seq.). Ratio est : quia Tertius Ordo S. Franc. institutus est pro personis in saeculo manentibus. Idque etiam applicandum est Tertiariis *coeterorum Ordinum*, puta S. DOMINICI, SS. TRINITATIS, etc. (31 Jan. 1893).

B) Ad **dubium :** « *Utrum valida sit vestio et professio ejus qui a sacerdote habente facultatem sejunctim ad Tertium Ordinem Saecularem S. Francisci admittitur, quin alicui Congregationi adscribatur?* » S.C.I. (14 Jul. 1891) **respondit :** « *Affirmative* » ap. N. R. T. (XXIII, 519).

C) Ad **dubium :** « *An fideles, qui inter Tertiarios unius Ordinis fuerint cooptati, cooptari etiam valeant inter Tertiarios alterius Ordinis, puta* S. DOMINICI vel SS. TRINITATIS, etc., *ita ut aliquis Christifidelis evadere simul possit Tertiarius* FRANCISCALIS, S. DOMINICI, SSmae TRINITATIS, *Ordinis* CARMELITICI et *ita porro?* » S. C. I. (31 Jan. 1893) **respondit :** « *Negative*, » ap. N. R. T. (XXV, 272 seqq.). Quod quidem de-

cretum habet **vim retroactivam,** ut constat ex S. C. I. (21 Jun. 1893) ap. N. R. T. (XXV, 508) — Quo vero sensu illud decretum habeat **vim retroactivam,** apparet ex responsione ejusdem S. C. I. (1 Sept. 1893) ad duplex dubium sibi propositum. Ap. N. R. T. (XXVI, 20 seq.).

D) Ad **dubium** : « *An vi praefati decreti Christifideles qui ante idem decretum pluribus Tertiis Ordinibus adscripti reperiebantur, gaudeant nunc libertate eligendi unum prae altero ex Tertiis Ordinibus, quibus jam sese manciparverant?* » S. C. I. (21 Jun. 1893) **respondit** : « *Affirmative, juxta cujusvis Christifidelis devotionem.* » Ap. N. R. T. (*l. c.*).

APPENDIX D.

De selectis quibusdam precibus jaculatoriis quibus indulgentiae **toties quoties** *etiam pro defunctis adnectuntur.*

« *Quoniam,* docente Christo (Luc. XVIII, 1), *oportet semper orare et non deficere,* » et aliunde, ut antea jam docuimus (tom. III, 283), **oratio pro defunctis** eximium sit *Charitatis* opus, nedum *in proximum,* extrema necessitate laborantem, sed *in nosmetipsos,* qui procul dubio orationibus justorum adjuvabimur, quin et *in ipsum Deum,* dicente Christo (Matth. XXV, 36) : « *In carcere eram et venistis ad me ;* » facile intelligitur illas preces imprimis esse seligendas, quibus S. Mater Ecclesia indulgentias adnexuit in refrigerium eorum qui ex hac vita *in Domino decesserunt.* Eapropter juvat hoc loco nonnullas preces jaculatorias indicare, quae *toties quoties* ejaculantur **defunctis** fidelibus solatium afferunt, ut continuo de die ac nocte easdem recitare valeamus sicque monitum adimpleamus Apostoli (1 Cor. XVI, 14) : « *Omnia vestra in Charitate fiant.* » — Sint autem sequentes ex approbato **Florilegio** desumptae :

INVOCATIO AD DEUM.

Deus meus et omnia !

Ind. **50 dier.** defunctis applic., *qualibet vice* quis corde saltem contrito ac devote hanc oratiunculam recitaverit. Leo XIII (4 Maii 1888) ap. N. R. T. (XX, 394 seq.). Quae oratiuncula familiaris fuit Seraphico Patri S. Franc. Assiss., quam et memoravimus jam antea (t. I, p. 378).

INVOCATIO AD SS. TRINITATEM.

In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

1°) Ind. **50 dier.** *quotiescumque* quis signum crucis faciendo simul invocaverit SS. Trinitatem his verbis : *In nomine* etc. 2°) Ind. **100 dier.** *quotiescumque,* pro signo crucis ut supra et cum aqua benedicta facto. Pius IX, 28 Jul. 1863 ; 23 Mart. 1866. (Cfr. dicta tom. II, pag. 433 seq.).

INVOCATIONES AD JESUM CHRISTUM ET SS. COR EJUS.

Jesu!

1°) Ind. **25 dier.** *quotiescumque.* 2°) Ind. **plen.** in art. mortis pro frequenti invocatione in vita, modo ore, vel si non potuerint, saltem corde sanctissimum Nomen Jesu tunc invocaverint. CLEM. XIII (5 Sept. 1759).

O mi Jesu, misericordia!

Ind. **100 dier.** *quotiescumque.* PIUS IX (24 Sept. 1846).

Jesu, Deus meus, super omnia amo te.

Ind. **50 dier.** *quotiescumque.* PIUS IX (7 Maii 1854).

Dulcissime Jesu, non sis mihi Judex, sed Salvator.

1°) Ind. **50 dier.** *quotiescumque* quis corde saltem contrito hanc dixerit orationem quae *S. Hieron.* AEMILIANO fuit familiaris. 2°) Ind. **plen.** semel in anno, sub cond. ord. et visit. eccl. lucranda a primis vesperis S. Hier. Aemil. (20 Jul.) usque ad finem octavae, pro iis qui per integrum annum quotidie saltem semel hanc jaculatoriam recitaverint. PIUS IX (11 Aug. 1851, 29 Nov. 1853).

Dulce cor Jesu, fac ut te in dies magis ac magis diligam.

1°) Ind. **300 dier.** *quotiescumque* quis hanc orationem devote et corde contrito recitaverit. 2°) Ind. **plen.** semel in mense sub cond. ord. et visitationis ecclesiae pro quotidiana recitatione. PIUS IX (26 Nov. 1876).

INVOCATIONES AD B. M. V. ET COR EJUS.

Maria!

Ind. **25 dier** *quotiescumque* quis pie invocaverit nomen Mariae. CLEM. XIII (5 Sept. 1759).

Dulce Cor Mariae, sis salus mea!

1°) Ind. **300 dier.** *quotiescumque;* 2°) Ind. **plen.** semel in mense sub cond. ord. et visitat. eccles. pro quotidiana recit. per integrum mensem. PIUS IX (30 Sept. 1852).

Benedicta sit sancta et immaculata Conceptio beatissimae Virginis Mariae, Matris Dei!

Ind. **300 dier.** *qualibet vice.* LEO XIII (10 Sept. 1878).

In conceptione tua, Virgo Maria, immaculata fuisti. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium Jesum de Spiritu Sancto concep-tum peperisti.

Ind. **100 dier.** *quotiescumque.* Pius VI (21 Nov. 1793).

Memorare, o piissima Virgo Maria, etc...
sed audi propitia et exaudi. Amen.

1°) Ind. **300 dier.** *quotiescumque;* 2°) Ind. **plen.** semel singulis mensibus sub cond. ord.. et visitat. eccles. pro recitatione quotidiana. Pius IX (25 Jul. 11 Dec. 1846).

INVOCATIONES AD SACRAM FAMILIAM.

Jesu, Joseph et Maria. offero vobis cor et spiritum meum. Jesu. Joseph et Maria, succurrite mihi in extremo agone. Jesu, Joseph et Maria, in vestra societate quiete moriar!

1°) Ind. **300 dier.** *quotiescumque* triplex haec invocatio recitatur; 2°) Ind. **100 dier.** *quotiescumque* una ex tribus recitatur. Pius VII (28 April. 1807).

INVOCATIO AD ANGELUM CUSTODEM.

Angele Dei, qui custos es mei. me tibi commissum pietate superna, illumina, custodi, rege et guberna. Amen.

1°) Ind. **100 dier.** *quotiescumque;* 2°) Ind. **plen.** semel singulis mensibus sub cond. ord. et visit. eccles. pro recitatione quotidiana per mensem; 3°) Ind. **plen.** in festo SS. Ang. Cust. 2ª Octobris sub cond. ord. et visit. eccl. pro duplici recit. quotidiana mane scilicet et vespere; 4°) Ind. **plen.** in art. mortis rite dispositis pro frequenti recitatione in vita. Pius VI (2 Oct. 1795, 11 Jun. 1796; Pius VII 15 Maii 1821).

Scholion. Alias oratiunculas paulo longiores invenies ap. Florile-gium. — Commendanda etiam est *salutatio :* « **Laudetur Jesus Christus** » cum *responsione :* «**Amen** vel **In saecula.**» Concessit enim Cle-mens XIII (5 Sept. 1759) post Sixtum V (11 Jul. 1587) et Bened. XIII (22 Jan. 1728) sequentes indulgentias : **1°**) Ind. **50 dier.** *quotiescumque* pro iis qui hisce verbis se invicem salutant, adeoque tam salutantibus quam respondentibus; **2°**) Ind. **plen.** in art. mortis pro iis qui praedicto modo se invicem salutare consueverint; modo ore, vel si non potuerint, saltem corde, SS. Nomen Jesu tunc invocaverint. — Quem morem ita se invicem salutandi invexit B. Joannes Vicentinus (de Vicence) Ord. Praed., qui versus finem Saec. XIII obiit. Cfr. Revue Thomiste 1893, n. de juillet, pag. 274. Item Becchetti, *Storia Eccles.* Saec. XIII. — De hac salutatione fusius tractat N. R. T. (XII, 426 seqq.), ubi his verbis

concludit : « Nous ne saurions assez engager les prédicateurs, les membres des communautés religieuses, des congrégations, des patronages et mêmes les instituteurs et institutrices catholiques, de propager autour d'eux cette sainte coutume de se saluer en proclamant les louanges du Seigneur; car par cette propagande ils peuvent gagner les mêmes indulgences que nous venons de rappeler : *Le dette indulgenze sono concesse ai Predicatori ed a tutti coloro, i quali esorteranno i fideli cristiani a salutarsi nel modo accennato* (RACCOLTA pag. 55 edit. 1877). »

Mirandum autem non est, inter preces jaculatorias a me non fuisse relatam oratiunculam : **Dulce Cor Jesu, sis amor meus!** Concesserat quidem PIUS IX (13 Maii 1875) ind. **300 dier.** *quotiescumque*. Quum autem de concessionis extensione dubia nonnulla exorta fuissent, LEO XIII in audientiis 13 Mart. 1890 et 18 Jun. 1892 confirmavit ad cautelam indulgentiam 300 dierum, defunctis applicabilem, sed eam ita constrinxit, ut jam nonnisi *semel in die* acquiri possit. Cfr. COLL. BRUG. (II, 636).

PARS SECUNDA.

DE JUBILAEO.

CAP. 1. De ejus natura, antiquitate, divisione et aliarum indulgentiarum tempore jubilaei suspensione

Q. 37. *Quid* 1°) sit JUBILAEUM; an 2°) ejus *usus* sit antiquissimus; 3°) *quotuplex* distinguatur; 4°) an tempore jubilaei *Anni Sancti* aliae indulgentiae *suspendantur?*

R. Ad 1^um^) *Distinguendum* inter *nomen* et *rem*.

Explanatur. Jubilaeum, quoad **nomen**, derivatur a voce hebraica *Jobel*, et apud hebraeos significabat *annum remissionis*, qui erat *quinquagesimus*, in quo, juxta Scripturam (LEVIT. XXV et XXVII) agrorum cura cessabat, servi donabantur libertate, relaxabantur delicta, omnes possessiones venditae ad antiquas possessores revertebantur absque ulla solutione, et exsules in patriam et pristinam libertatem redibant. — Jubilaeum, quoad **rem**, est species indulgentiae plenariae amplissima, quae cum certa solemnitate a R. P. conceditur, et varia adnexa habet privilegia; unde non differt a *plenaria* nisi *accidentaliter*, ratione scilicet solemnitatis et privilegiorum.

R. Ad 2^{um}) Ita est antiquus, ut initium illius non agnoscatur.

Explanatur. Quare juxta tritam Augustini regulam, jam saepius memoratam : «*Quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur*,» jure meritoque DD. existimant, usum jubilaei a tempore AA. Petri et Pauli incepisse. — Quis autem fuerit Pontifex **primus**, qui *authentice* et *scriptis* concesserit jubilaeum, incertum est. Utique non fuit Bonif. VIII, qui floruit ab an. 1294 ad 1303. Id enim constat : tum ex Extrav. «Antiquorum» *de poenit. et remiss.;* tum ex eo quod ipse Bonif. VIII asserat, ex antiquorum fida relatione et ex millenorum testimoniis haberi credibilem certitudinem, quod praedecessores sui hujusmodi indulgentias concedere solerent; tum ex eo quod Alex. III, qui floruit ab an. 1159 ad 1181, Bullam expediverit, in qua Ecclesiae Compostellanae concedit jubilaeum refertque Calix. II, Eugen. et Anastas. PP. idem concessisse. Ex quibus omnibus concluditur, **falso** prorsus asseri, Bonif. VIII jubilaei auctorem exstitisse.

R. Ad 3^{um}) *Duplex* hodie distinguitur JUBILAEUM : *ordinarium* et *extraordinarium*.

Explanatur. A) Jubilaeum **Ordinarium** est, quod nunc singulis 25 annis celebratur **Romae**, dein in **Orbe**, diciturque *Annus Sanctus*.—Bonif. VIII constituerat, ut celebraretur anno quovis 100; postea Clem. VI Const. « *Unigenitus* » voluit, ut concederetur singulis 50 annis ad normam jubilaei mosaici; deinde Urbanus VI, in memoriam 33 annorum quos Christus in terris egisse vulgo creditur, statuit, ut *Annus Sanctus* recurreret quovis anno 33. Tandem Paul. II, considerans brevitatem vitae et flagella quibus Deus hominum crimina punit, illum reduxit ad annum 25. Quam dispositionem confirmavit Sixtus IV eamque deinceps observavit Ecclesia.(1) **B**) Jubilaeum **Extraordinarium** vocatur, quod extra illud tempus in forma jubilaei nonnunquam a RR. PP. conceditur.

(1) Nuper Leo XIII per Litt. « *Properante ad exitum saeculo* » (5 Id. Maii 1899) ap. R. T. F. (IV, 321) Jubilaeum *anni sancti* indixit ac promulgavit, quod Romae a prima vespera Natalis Domini hujus anni inchoabitur et ad prim. vesp. N. D. anni insequentis finietur.

R. Ad 4^{um}) Quo magis fideles excitarentur ad visitanda limina Apostolorum occasione jubilaei *Anni Sancti*, decrevit SIXTUS IV, ut toto illo anno, extra urbem Romanam, suspenderentur omnes indulgentiae *pro vivis* concessae. Hodie vero, hoc SIXTI IV decretum ita modificatum fuit, ut, *regulariter* loquendo, in jubilaeo *ordinario* suspendantur toto anno *pleraeque* aliae indulgentiae pontificiae, tam plenariae quam partiales, pro vivis concessae.

Explanatur. Dixi : **A) pleraeque**; nam a suspensione excipiuntur indulgentiae sequentes : 1°) in articulo mortis : quia in moribundis cessat finis suspensionis; 2°) pro oratione *Angelus Domini;* 3°) pro visitatione SS. Sacramenti solemniter expositi in precibus XL horarum; 4°) pro iis qui comitantur SS. Sacramentum infirmis delatum.— Dixi : **B) pontificiae**; unde non suspenduntur indulgentiae ab omni alio quam a Papa concessae, si excipiatur «*indulgentia plenaria occasione Benedictionis solemnis ab episcopis impertiri solitae in aliquibus diebus solemnioribus*,» ut constat ex S. C. I. (22 Dec. 1824).— Dixi **C) pro vivis**; ergo non suspenduntur *privilegia* altarium, neque indulgentiae *pro defunctis* concessae, ut constat ex S. C. I. (16 Dec. 1749). Imo, ex concessione BENED. XIV Const. «*Cum nos*,» omnes indulgentiae, etiam illae quae alias non erant defunctis applicabiles, iis hoc anno applicari possunt. Praeterea, quod raro evenit, ex speciali concessione PII IX, jubilaeum *Anni Sancti* 1875 fidelibus defunctis per modum suffragii applicari potuit ac valuit. Insuper, quod spectat jubilaeum anni 1875, quum annus integer soli urbi Romanae primum non fuerit concessus, et consequenter cum non militaret motivum peregrinantes fideles exteros alliciendi Romam, facile intelligitur, nullam dictarum indulgentiarum suspensionem hoc jubilaei anno a Papa fuisse factam, et ideo in initio dixi : **regulariter loquendo.** Sola indulgentia : occasione Vaticani Concilii in forma jubilaei concessa, fuit suspensa, ut expresse legitur in Bulla indictionis «*Gravibus Ecclesiae*» (24 Dec. 1874).

CAP. 2.
De operibus ad lucrandum jubilaeum praemittendis.

Q. 38. *Quaenam* 1°) sint OPERA pro jubilaeo lucrando or-

ordinarie praescripta; an 2°) debeant esse *supererogatoria* seu aliunde non debita; an 3°) *intra tempus* pro jubilaeo lucrando praefixum sint *adimplenda?*

R. Ad 1^um *Sub distinctione.*

Explanatur. Agitur de jubilaeo vel **ordinario** seu *Anni Sancti*, vel **extraordinario.**— Si **primum** : praescribuntur tantum opera **communia**, nimirum : *confessio*, *communio*, *visitatio ecclesiarum* et *preces ad intentionem S. P.*, ibidem fundendae. — Si **secundum** : praeter **communia**, alia adhuc opera praescribi solent, ut *jejunium* et *eleemosyna*. — Interim «*posse lucrari jubilaeum eos qui conditiones praescriptas* PARTIM *in una dioecesi*, PARTIM *in alia quacumque ex causa adimplent aut perficiunt, si observent ordinationes* ORDINARIORUM *locorum*,» declaravit S. POENIT. (15 Jan. 1886) et pluries jam antea edixerat, notanter pro Jubilaeo an. 1875.

R. Ad 2^um) *Affirm.*, juxta dicta (pag. 276), nisi aliud expresse concedatur in jubilaei indulto Constat ex BENED. XIV Const. « *Inter praeteritos* » § 53.

R. Ad 3^um) *Affirm.*; excepto casu, quo quis impedimento aliquo detentus a confessario *prorogationem* jubilaei legitime obtinuerit.

Explanatur. Interim circa hanc **prorogationem** notentur sequentia : **1°**) Privilegium prorogandi jubilaeum concedi non solet, nisi in jubilaeis *extraordinariis*. **2°**) RR. Pontifices solent illud expressis verbis concedere navigantibus et iter agentibus toto jubilaei tempore. **3°**) Confessarii illo uti non debent, nisi in favorem eorum qui intra *proximum* tempus opera perficere valebunt.

Q. 39. *Quaenam* speciatim sint OBSERVANDA circa : 1°) *confessionem* ; 2°) *communionem* ; 3°) *visitationem ecclesiarum* ; 4°) *preces ad intentionem S. P.*, pro lucrando jubilaeo requisitas?

R. Ad 1^um) Circa *confessionem* observanda sunt sequentia.

Explanatur. 1°) Fieri debet **intra tempus** pro jubilaeo praefixum. Decretum autem S.C.I. (6 Oct. 1870), allatum supra (p. 272), cum respiciat tantum indulgentias «*quae pro festivitatibus proprie*

dictis conceduntur,» jubilaeis applicari nequit. 2°) **Unica** sufficit, nisi ante ultimum jubilaei opus fidelis in peccatum mortale relapsus fuisset; quo casu, ex vi clausulae : *vere contritis et confessis* tenetur iterum confiteri : quia alias non haberet dispositionem a Papa requisitam, atque istud expresse declaravit Bened. XIV Const. «*Convocatis*» n. XLVII pro jubilaeo *Anni Sancti* 1750. 3°) Ad lucrandum jubilaeum confessio **sacrilega** non sufficit : quia non servit ad finem a Papa intentum, scilicet reconciliationem cum Deo. 4°) Neque sufficit confessio **alio titulo debita**, v. g. vi praecepti ecclesiastici, nisi Papa expresse contrarium declaret. Constat ex S. C. I. (10 Maii 1844; 19 Mart. 1841). 5°) Confessio peragi debet etiam ab iis qui sibi **lethalis peccati conscii non sunt**, ut constat ex S. C. I. (19 Maii 1759), et supra pag. 277) dictum fuit. **Absolutio** tamen sacramentalis in confessione pro lucranda indulgentia praescripta non est necessaria iis, qui lethalis peccati conscii non sunt post ultimam confessionem, ut constat ex eadem S. C. I. (15 Dec. 1841; 20 Aug. 1822). Similiter, si christifidelis culpae certae immemor est ex ultima absolutione, tenetur quidem ad confessionem peragendam, non vero ad absolutionem recipiendam, ut lucrari possit indulgentias pro quibus confessio sacramentalis praescribitur. Constat ex decreto S. C. I. a Pio IX reformato (6 Maii 1852).

R. Ad 2^{um}) Circa *communionem* notentur sequentia.

Explanatur. 1°) Fieri debet **intra tempus** praefixum. Unde decretum S. C. I. (6 Oct. 1870) allatum supra (pag. 272) jubilaeis applicari nequit. 2°) **Sacrilega** non sufficit, cum neque per eam satisfiat praecepto communionis annuae. 3°) Nec sufficit communio **alio titulo debita**, v. g. titulo praecepti paschalis, nisi aliud expresse concedatur in indulto jubilaei. Constat ex S. C. I. (10 Maii 1844; 19 Mart. 1841). 4°) Communio **omnibus** necessaria est, si **excipiantur** : **A**) pueri qui nondum ad primam communionem admissi sunt, in quorum favorem RR. PP. vel dispensare, vel commutationem permittere solent; **B**) habitualiter infirmi et e domo egredi impotentes, dummodo in communitate non commorentur, juxta decretum S. C. I. (18 Sept. 1862), memoratum jam supra (pag. 272), saltem si ad infirmos parochiae tempore jubilaei non deferatur sacra communio. — **Dubium** est, utrum sufficiat communio per modum

Viatici suscepta. Cfr. N.R.T. (VII, 540 seq.). Pro illo qui non posset iterum communicare, stante illo dubio, recte recurreretur, saltem in jubilaeis *extraordinariis*, ad commutationem.

R. Ad 3um) Circa *visitationem ecclesiarum* observentur sequentia.

Explanatur. 1°) Fieri debet **intra tempus** jubilaei. Interim visitatio «*impleri potest sive* ANTE, *sive* POST *aliorum piorum operum implementum*,» ut declaravit S.C.I. (19 Maii 1759). 2°) Debent fieri **in eo numero** et **iis vicibus** quae praescribuntur, ita ut, si vel unam, etiam semel, quis omittat, eum jubilaei gratia privari, doceant communiter DD. — Et quidem in jubilaeo *ordinario* ejusque extensione praescribi solet, ut visitationes fiant **eodem die**; secus in jubilaeis *extraordinariis*; et ita an. 1879, quo celebratum fuit jubilaeum, a LEON. XIII concessum, ad implorandum divinum auxilium, «*visitationes ad lucrandum jubilaeum indictas, dummodo praescripto numero fiant, institui posse pro libitu fidelium sive uno, sive diversis diebus,*» eodem anno declaravit S. POENIT., et iterum edixit (15 Jan. 1886) pro jubilaeo an. 1886. Quod si quatuor in die visitationes praescriptae *in eadem ecclesia* peragi debeant, necesse est post unamquamque ecclesia egredi, nec sufficit, in eadem ecclesia manendo, de uno in alium locum transire, aut etiam tantummodo assurgere, uti pro stationibus *S. Viae Crucis* vulgo usuvenit. Constat ex S. POENIT. (25 Jan. 1875). 3°) Fieri debent **devote**, i. e. ex BENED. XIV Const. «*Inter praeteritos*» (3 Dec. 1749) n. 76, ita: «*ut visitatio fiat consilio atque animo exhibendi honorem Deo aut Sanctis ejus.*» Haec tamen devotio non absolute requiritur *in itinere*, sed sufficit in ecclesia, si jubilaeum *Anni Sancti* excipias, pro quo devotio «*tam in itinere, quod ad Basilicas habetur, quam in easdem ingrediendo*» requiritur a BENED. XIV (*l. c.*). 4°) Requiritur **ingressus** in ecclesias, si *possibilis* sit. Unde si ecclesiam visitandam ingredi prae multitudine quis non possit, satis est, si fiat oratio ante fores vel prope, quia tunc in ecclesia moraliter praesens censetur. Quod si praescribatur in Bulla, ut visitentur *altaria*, sufficit ad illa se convertere orando in ecclesia. 5°) Quando injungitur visitatio ecclesiae **determinatae**, haec ipsa visitanda

est, ibique orandum est ad intentionem praescriptam. Quando vero praescribitur visitatio ecclesiae vel oratorii publici **in genere**, eligi potest. — Quocirca notandum est : «*ad injunctas visitationes exsequendas, designari posse* CAPELLAS *et* ORATORIA, *dummodo sint* **publico cultui** *addicta et in iis soleat missa celebrari,*» ut declaravit S. POENIT. (15 Jan. 1886) ap. N. R. T. (XVIII, 17 seq.) et pluries jam antea edixerat; contra «PUBLICUM *censendum non esse oratorium sive in* MONASTERIIS, *sive in* SEMINARIIS *aut aliis* CONVENTIBUS *canonice dedicatum, ad quod tamen christiana plebs* **publice non solet accedere,**» constat ex S. C. I. (22 Aug. 1842) ap. N. R. T. (XVIII, 316). Quare «*conditio visitandi ecclesiam pro lucrandis indulgentiis genere saepe praescripta, adimpleri non potest a personis utriusque sexus in communitate et sub regula viventibus, visitando oratorium* DOMESTICUM,» ut constat ex S. C. I. (16 Jan. 1886, ap. N. R. T. (XVIII, 339 seq.), nisi obtentum fuerit ad hoc speciale indultum, quale ad decennium valiturum nuper alicubi concessit LEO XIII ex Secretaria S. C. I. (15 Mart. 1890) ap. N. R. T. (XXII, 253 seqq.). Unde pro visitatione ecclesiae ad lucrandam indulgentiam requiritur oratorium **stricte publicum**, non vero sufficit oratorium *quasi publicum*, quale sufficere diximus in ordine ad missae celebrationem et auditionem (tom. 3 pag. 146) 6°) **Religiosi** jubilaeum lucrari non valent peragentes *in propria* ecclesia visitationes ad id praescriptas, sed debent, sicut ceteri fideles, visitare ecclesias **designatas**. Ita ex S. POENIT. (an. 1875). Recole tamen concessionem factam a LEONE XIII (16 Jan. 1886), supra memoratam (pag. 272) pro *infirmis* aut *senio confectis*, in communitate et sub regula viventibus. Nec possunt praelati regulares ecclesiam seu oratorium monasterii proprii suis subditis visitandum designare ad lucrandum jubilaei indulgentiam, ut declaravit S. POENIT. (15 Dec. 1886). 7°) **Ordinarii** possunt constituere ut in jubilaeis fideles in locis, ubi unica tantum adest ecclesia, hanc toties visitent, quot sunt ecclesiae pro acquisitione jubilaei visitandae. Ita S. C. I. (15 Mart. 1852) 8°) Quod **processiones** attinet, ad **casum** : «*Ordinarius quidam quaesivit, an censeri possint veluti processiones ad quatuor ecclesias designatas pro jubilaeo lucrando, visitationes quas ille peragit una cum Capitulo et Seminario in vestimentis* HAUD CHORALIBUS, *sed* NIGRIS, *psallendo*

VOCE SUBMISSA ; *et proinde an sit in suo arbitrio numerum visitationum* IMMINUERE, *sicut est in sua facultate eas imminuere quae* PROCESSIONALITER *fiunt?*» S. POENIT. (1875 et 30 Jan. 1886) **respondit** : «*Quatenus processiones fieri* NEQUEANT *more solito,* AFFIRMATIVE.»

R. Ad 4^{um}) Ex S. C. I., quod *preces* attinet, constat de sequentibus.

Explanatur. 1°) Quando ad indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato, v. g. pro exstirpatione haeresum, etc., *non requiritur intentio* **explicita**, singulis vicibus expressa (12 Jul. 1847). Quapropter sufficit orare ad mentem S. Pontificis; imo probabiliter sufficit orare ad lucrandum indulgentiam : haec enim intentio includit finem a S. Pontifice intentum. 2°) Preces requisitae in indulgentiarum concessionibus, ad implendam S. Pontificis intentionem, sunt *ad uniuscujusque fidelis* **libitum**, nisi peculiariter assignentur (29 Maii 1841). Ex praxi communi sufficiens habetur oratio recitationi *5 Pater* et *Ave* aequivalens. Quod confirmatur decreto (15 Sept. 1888) ap. N. R. T. (XX. 590 seq.). 3°) Per preces jam **obligatorias**, v. g. per horas canonicas, non potest satisfieri precibus a S. Pontifice praescriptis ad lucrandas indulgentias plenarias (29 Maii 1841). 4°) Preces praescriptae **quocumque idiomate** recitari possunt, dummodo versiones sint fideles (29 Dec. 1864). Porro, «*ut constet de fidelitate versionis, sufficit declaratio* S. C. I. *per Em. Praefectum, vel unius ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio, cujus recitationi primitus indulgentia concessa fuit.*» (29 Dec. 1864). **Excipitur** OFFICIUM PARVUM B. M. V., quod «*est recitandum in lingua* LATINA,» ex S. C. I. (6 Maii 1887). 5°) Preces praescriptae ad lucrandas indulgentias *non sunt recitandae* **flexis genibus**, nisi aliter praescriptum sit in documento concessionis (18 Sept. 1862). Et ita «*ad lucrandam indulgentiam vel fructus orationis* SACROSANCTAE *necessario flexis genibus haec oratio est dicenda,*» ex S. C. I. (12 Mart. 1855), excepto solo casu «*infirmitatis,*» ut constat ex S. C. I. (26 Jul. 1855). Cfr. dicta (tum II, 300). Item, nisi habeatur legitimum impedimentum (1), precatio

(1) LEO XIII per decretum S. C. I. (3 April. 1884) benigne indulgere dignatus est, «ut omnes Christifideles, qui LEGITIMO IMPEDIMENTO DE-

Angelus Domini etc., flexis genibus recitanda est, exceptis dominicis incipiendo vespere de sero sabbati, quibus, sicut tempore paschali antiphona *Regina coeli*, recitari debet stando. In sabbatis tamen quadragesimae, in quibus vesperae anticipantur ante meridiem, oratio *Angelus Domini* ipso in meridie recitari debet *stando* ex decreto S.C.I. (20 Maii 1896) ap. N.R.T. (XXVIII, 539). In quo legitur: «In sabbatis quadragesimae orationem *Angelus Domini*, meridie, recitandam esse stando; sabbato vero infra Octavam Pentecostes, meridie, recitandam esse antiphonam *Regina coeli*.» 6°) Ex Bened. XIV Const. «*Inter praeteritos*» (3 Dec. 1749) preces illae debent recitari **vocaliter,** aut saltem orationi mentali aliqua vocalis adjungenda est. Recole tamen decretum (15 Mart. 1852) in favorem *Surdorum-mutorum* supra allatum (pag. 272). 7°) Preces a S. Pontifice praescriptae ad lucrandam indulgentiam plenariam debent recitari **intra tempus** pro acquisitione indulgentiarum designatum. Ita ex S.C.I. (29 Maii 1841).

Q. 40. *Quid* speciatim notandum circa : 1°) JEJUNIUM et 2°) ELEEMOSYNAM in ordine ad jubilaeum lucrandum?

R. Ad 1^{um}) Circa *jejunium* notentur sequentia.

Explanatur. 1°) Debet servari quoad **numerum** et **in diebus** praescriptis, quos mutare non licet. Solent autem RR. PP. jejunium trium dierum praecipere, et quidem in eadem hebdomada

TENTI *non flexis genibus*, nec ad aeris campanae signum versiculos *Angelus Domini* etc. cum tribus Angelicis salutationibus, alio versiculo *Ora pro nobis* etc. et oratione *Gratiam tuam* etc.; tempore vero paschali Antiphonam *Regina Coeli*, etc. cum versiculo et oratione propria: aut si nesciant praedictos Versiculos, Antiphonam et Preces tum memoriter dicere, tum legere, quinquies Salutationem Angelicam digne, attente ac devote sive mane, sive circiter meridiem, sive sub vespere recitaverint, indulgentias lucrari valeant, » a BENED. XIII (14 Sept. 1724) et BENED. XIV (20 April 1742) olim concessas, scilicet: 1°) Ind. **100 dier.** quotiescumque; 2°) Ind. **plen.** semel singulis mensibus, sub cond. ord. pro quotidiana per mensem recitatione, ad pulsum campanae, mane, aut ad meridiem, seu vespere post solis occasum.

Ex S. C. I. (19 Jun. 1885) per triduum sacrum majoris hebdomadae laudabiliter recitatur *Angelus* ter in die et obtinentur indulgentiae sicut per annum. In sabbati sancti meridie fideles recitari debent *Regina Coeli* stando. Ap. N. R. T. (XVIII, 266).

servandum. Quandoque tamen aliud in jubilaei indulto praescribitur, prout accidit pro jubilaeis, quae Leo XIII an. 1879 et 1881 indixit, in quibus *una dies*, et pro jubilaeo 1886 in quo *duae dies* praescriptae fuerunt; sed hae dies poterant in diversis hebdomadis seligi (S. Poenit. 11 Mart. 1886). **2°**) In hoc jejunio usus ciborum **esurialium** tantum licitus est; unde abstinendum est a carne, ovis et lacticiniis. Constat ex S.C.I. (10 Jul. 1869 ad 6,) et S. Poenit. (4 Mart. 1879 et 25 Mart. 1881) ap. N.R.T. (XI, 138 et XIII, 158). Quam declarationem quoad solum usum licitum ciborum esurialium renovavit S. Poenit. (15 Jan. 1886) pro jubilaeo istius anni. Attamen pro hoc jubilaeo addidit quod antea non fecerat : «*In iis vero locis ubi cibis esurialibus uti difficile sit, Ordinarii possunt indulgere ut ova et lacticinia adhibeantur, servata in ceteris jejunii ecclesiastici forma.*» **3°**) Jejunium **alio titulo** debitum esse non debet, nisi contrarium ex indulto deducatur, ut si Pontifex determinet vel determinandum permittat pro jubilaeo lucrando tempus, quo ex praecepto Ecclesiae jam servandum est jejunium, ut est tempus Quadragesimale vel quatuor Temporum; aut nisi jejunium ex voto aut ex Regulae praescripto tantum sit debitum; et ita ad **dubium** propositum circa jejunium in jubilaeo extraordinario occasione oecumenici Concilii Vaticani praescriptum : «*An iis, qui aut voto, aut praecepto, uti sunt* Franciscales, *aut quocumque alio titulo tenentur toto anni tempore jejunare aliquo die ex diebus praescriptis pro jubilaeo, suffragatur tale jejunium ad lucrandam indulgentiam?* » S.C.I. (10 Jul. 1869) **respondit** : «*Affirmative.*» **4°**) Tenetur servari etiam *ab iis qui* **alias** *ad jejunium non tenentur* : quia favor jubilaei est conditionalis. Si quis autem jejunare non possit, debet jejunium a confessario in aliud opus pium commutari. Ex S.C.I. (10 Jul. 1869 ad 8). Interim major ratio requiritur ad dispensandum a jejunio jubilaei, quam ad dispensandum in jejunio ab Ecclesia praescripto. **5°**) Jejunium **intra tempus** pro jubilaeo praefixum servandum est.

R. Ad 2 ^{m}) Circa *eleemosynam* observentur sequentia.

Explanatur. 1°) Non sufficit eleemosyna **spiritualis,** sed debet esse **corporalis.** Non est tamen necesse, ut tribuatur pecunia, sed sufficit res appretiabilis, ut vestis, panis, etc. **2°**) Non *debet esse* **jam debita,** ut si quis ex legato jam teneatur dare pauperi

eleemosynam. 3°) Si praescribatur *pro facultate cujusque* eroganda, debet esse **proportionata** uniuscujusque divitiis, ita ut obolus, qui in paupere sufficeret, in divite minime sit sufficiens. Si praescribatur *prout cuique suggeret devotio*, probabile est sufficere **quamlibet** eleemosynam quantumcumque parvam, modo non ita sit parva, ut fere nihil esse videatur. Si tamen, ex avaritia, detur tantum modicissima, certum est, totum non obtineri fructum indulgentiae juxta dicta superius (pag.263). Si tandem *simpliciter* injungatur : vel *pro arbitrio* aut *prout charitas suggesserit*, juxta communem sententiam, quaelibet **minima** sufficit, modo iterum eleemosynae nomen adhuc retineat. 4°) **Omnes** ad eam dandam tenentur, vel si dare nequeant, **commutationem** petere. Unde ab ea facienda per se non eximuntur pauperes, nec uxores, nec filiifamilias, nec mendicantium conventus. Sufficit tamen ut communitatis superior pro omnibus membris eleemosynam distribuat, dummodo subditos desuper praemoneat ; aut saltem requiritur, ut subditi intra spatium illius hebdomadae qua jubilaeum lucrari intendunt, largitionem eleemosynae suo nomine factam ratificent, sicque moraliter suam faciant. 5°) Eleemosyna **intra tempus** jubilaei elargienda est. 6°) Fieri potest **per alium,** quod tamen periculo non caret ; nam **utrum** jubilaeum lucretur, qui v. g. eleemosynam famulo vel confessario tribuit erogandam, si famulus aut confessarius non eroget, aut eam pauperibus non distribuat, nisi elapso tempore jubilaei, inter DD. *disputatur*. **Negant** : De Lugo, Bonacina, Viva, alii : quia, aiunt, conditio non est adimpleta. **Affirmant** : Sa, Vega, Pasqualigus, etc. : tum quia, aiunt, Pontifex eleemosynam intendit potius ut est *actus virtutis misericordiae*, quam prout est *sublevatio pauperis*, saltem ubi eleemosyna praescribitur pro arbitrio facienda et levissima sufficit ; tum quia dominus de facto et quidem tempore praefixo abjicit dominium rei suae, et per accidens fit, quod mandatarius eam retineat aut nonnisi elapso tempore elargiatur. 7°) Si eleemosyna praescribatur *pauperibus* danda, sufficit paupertas **apparens.**

Q. 41. Dic : 1°) *quaenam* ex dictis operibus COMMUTARE ordinarie possit confessarius ; et 2°) *quomodo* haec COMMUTATIO sit facienda ?

R. Ad 1^{um}) Ex dictis operibus praescriptis, potest confessarius, ob justam causam, *commutare* sequentia.

Explanatur. Licet commutare : 1°) **Jejunium** cum iis, quos judicat jejunare nullatenus posse vel per jejunium gravi damno esse exponendos. 2°) **Eleemosynam** cum pauperibus et inferioribus, si nihil erogandum accipant, et ad eleemosynam sint ipsi impotentes. 3°) **Visitationes Ecclesiarum** cum monialibus, incarceratis, infirmis. Quod ad *surdo-mutos* attinet, recole dicta (pag.272). 4°) **Communionem** cum pueris (pag.334); cum habitualiter infirmis (pag.272); cum illo, qui ultimo jubilaei die a communione inopinato impeditur; tunc enim confessarius potest commutare communionem, vel si detur privilegium prorogandi jubilaeum, ut in jubilaeis extraordinariis dari solet (pag.333), poenitenti concedere prorogationem jubilaei. Quod tandem 5°) **confessionem** attinet, eam nunquam commutari posse videtur.

R. Ad 2^{um}) *Commutatio* operum fieri debet sequenti modo.

Explanatur. 1°) In opera : et aliunde **indebita** et *moraliter* **aequalia,** attendendo non tam ad opus ipsum quam ad finem Papae et circumstantias poenitentis. 2°) **Intra tempus** jubilaei. 3°) A **confessario** per Ordinarium approbato. 4°) Utrum **in ipsa confessione** necessario sit facienda, non ita certum est. Cfr. dicta supra (pag.284).

Q. 42. *An* quis, opera praescripta **pluries** praestando, *pluries* lucrari possit idem jubilaeum?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel loquimur de **indulgentia** jubilaei, vel de **privilegiis** in jubilaeo concedi solitis. — Si **primum** : Certum est : 1°) id fieri posse, si hoc in concessionis rescripto specialiter expressum reperiatur. Ubi vero *pluries* lucrifieri potest indulgentia jubilaei, *pluries* etiam possunt confessarii commutare opera praescripta, ut constat ex S. Poenit. (30 Jan. 1886 et 18 Mart. 1886) ap. N. R.T. (XVIII, 89 seqq. et 373 seq.). Certum est : 2°) id fieri non posse, si Bulla exprimat, jubilaeum nonnisi *semel* obtineri posse, quemadmodum id factum est pro jubilaeo 1875. Quod si 3°) nihil desuper

expressum inveniatur, DD. *disputant*. Interim indulgentiam jubilaei, occasione Concilii Vaticani indicti, *repetitis operibus injunctis*, pluries acquiri posse, constat ex decreto S. Poenit. (1 Jun. 1869). Verum, utrum per modum *principii*, an per modum *exceptionis* id declaratum fuerit, nescitur. — Si **secundum** : *Negat.*, uti constat ex Bened. XIV, Const. «*Convocatis*» (25 Nov. 1749), ubi declarat : «*neminem posse*, **nisi semel**, *id est prima tantum vice, frui seu potiri favoribus huic jubilaeo adjunctis.*» Quam Constitutionem explicans, deque hujusmodi favoribus ac gratiis loquens, declarat Const. «*Inter praeteritos*» (3 Dec. 1749 § 84) : «*Illum qui* **semel** *illarum particeps factus est prima vice qua jubilaeum consecutus fuit, iterum earum participem fieri* **non posse,** *si post primam jubilaei acquisitionem*, **iterum** *in censuras incurrerit, aut casus reservatos commiserit, vel* **novis** *votorum commutationibus aut dispensationibus indigeat.*

CAP. 3. De privilegiis in jubilaeo concedi solitis.

Q. 43. *Quaenam* in jubilaeo soleant concedi PRIVILEGIA?

R. Haec PRIVILEGIA, servatis servandis, solent esse praesertim *quatuor* sequentia.

Explanatur. 1°) Facultas eligendi **confessarium**; **2°**) absolvendi a **reservatis et censuris**; **3°**) vota **commutandi**; **4°**) dispensandi in **irregularitate** ob censurae violationem incursa. — Ceterum confessarius hisce facultatibus tantum uti valet erga poenitentes, qui **serio** intendunt jubilaeum lucrari, adeoque omnia alia injuncta opera praestare. Constat ex S. Poenit. (15 Jan. 1886) ubi *in decl.* n. VIII dicitur : « *Confessarios uti non posse facultatibus extraordinariis per litteras apostolicas concessis cum iis qui petunt absolvi et dispensari,* SED NOLUNT *adimplere opera injuncta et lucrari jubilaeum.* » Quod si poenitens rite absolutus postea animum mutet et alia injuncta opera non impleat, valent nihilominus privilegia ei concessa : quia absolutio non datur sub conditione, sed absolute. — Utrum vero ille **peccet mortaliter** sic agendo, DD. *disputant*. Alii **affirmant** cum Suarez, Vasq., Filliuc., Viva, etc. : quia tacitum, cui consenserat, pactum in re gravi violat et haec sententia « *subsistente ratione fulta est,* » ait Bened. XIV

Const. : « *Inter praeteritos* » (3 Dec. 1749) n. 86; alii **negant** cum Lugo, Sporer, Sanch., Castrop., Girib., Salm., etc.; quia de obligatione sub mortali adimplendi opera non constat, et in dubio de praecepto nemo ad illud tenetur. Ita « *communius* » juxta S. Lig. (VI, 537 quaeritur III).

Q. 44. *Quid* dicendum circa privilegium ELIGENDI CONFESSARIUM?

R. Tempore jubilaei potest quilibet, etiam Regularis utriusque sexus, sine licentia superioris, eligere sibi confessarium quemcumque, modo respectu sui sit approbatus ab Ord. loci.

Resolvitur 1. Confessarius, *a* **saecularibus** *eligendus*, debet esse approbatus ab episcopo loci in quo fit confessio. **Resol. 2.** Confessarius, *a* **Regularibus** *eligendus*, si sit regularis, sive ex Ordine ipsorum, sive ex Ordine alieno, debet saltem esse approbatus a Praelato Regulari ad excipiendas confessiones Fratrum; ipse enim est horum Ordinarius. Constat ex S. Poenit. (30 Jan. 1886 ad XI) ap. N. R. T. (XVIII, 89 seq.). At si sit saecularis, debet esse approbatus ab episcopo. **Resol. 3.** Moniales, Novitiae, aliaeque mulieres intra claustra degentes, possunt pro libertate conscientiae sibi eligere confessarium quemcumque, sive saecularem, sive regularem, modo talis sit, qui ab Episcopo loci approbatus sit sive *in genere pro monialibus* seu pro quocumque monasterio, sive pro aliquo Monalium monasterio, dummodo nunquam ob demerita expresse reprobatus fuerit. Ita Bened. XIV Const. « *Benedictus Deus* » 25 Dec. 1750) n. 4, et Const. « *Celebrationem* » (1 Jan. 1751) n. 10 seq. Quae regula in praxi servanda est pro quibuscumque mulieribus in communitate viventibus, quarum confessiones audiendi potestatem episcopus ita sibi reservavit, ut eam in communi approbatione confessariorum non comprehenderit, atque *specialem* pro iis approbationem necessariam esse declaravit. Cfr. Stat. dioec. Mechl. n. 280; item tom. III, pag. 320 seq.

Q. 45. *Quid* notandum circa privilegium *absolvendi a* RESERVATIS et CENSURIS?

R. Circa privilegium istud, quod confessarios immediate spectat, haec speciatim sunt observanda.

Explanatur. 1. Confessarii, **vi jubilaei,** possunt absolvere *ab omnibus peccatis et censuris quomodocumque reservatis*, iis etiam, in quae quis liberius ex spe futuri jubilaei incidisset, quamvis id non exprimatur. Nec hodie excipitur *haeresis*, ut olim. Possunt itaque confessarii ab omnibus illis casibus et censuris absolvere, injuncta poenitentia salutari aliisque de jure injungendis, et si *de haeresi* agatur, « *abjuratis prius et retractatis erroribus, prout de jure,* » ut dicitur in Bulla «*Pontificis maximi*» (15 Febr. 1879, vel ut explicatius habet S. Poenit. (15 Jan. 1886) : « *abjuratis erroribus prout de jure, et injuncta gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentorum et obligatione se prudenter retractandi apud personas coram quibus haereses pronuntiaverint ac reparandi scandala.* » **2°**) Ab hac tamen regula generali **excipi solent** casus sequentes, quorum quatuor priores indicantur in Const. « *Sacramentum poenitentiae* » Bened. XIV (1 Jun. 1741). Nimirum absolvi nequeunt : **A**) Poenitens ad turpia in confessione sollicitatus, nisi prius sollicitantem denuntiaverit, vel saltem se, cum primum poterit, denuntiaturum spondeat ac promittat. **B**) Neque qui innoxium confessarium falso sollicitationis insimulaverit, aut procuraverit, ut id ab aliis fiat. **C**) Neque a complice absolvi potest, extra casum extremae necessitatis, qui cum confessario aliquod peccatum turpe commisit. **D**) Neque confessarius, qui complicem in peccato turpi absolvit. De quibus casibus jam egi (tom. III, pag. 340 seqq.). Tandem **E**) absolvi nequeunt, vi jubilaei, qui propter crimen, quod alicui tertio damnum intulerit, **nominatim** «*a Rom. Pontifice, vel quovis alio Pontifice, vel quovis Praelato, seu judice ecclesiastico, excommunicati, suspensi, interdicti seu alias in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denuntiati fuerint, nisi intra jubilaei tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint,* » quemadmodum in Bullis, quibus jubilaeum conceditur, exprimi solet. Impotens tamen satisfaciendi valide ac licite absolvitur, etiamsi dicatur in Bulla non absolvendum, *nisi praemissa satisfactione* compartis; quia intelligitur hoc de hypothesi possibili. Addatur praeterea, quod potens dein satisfacere, si non satisfaciat, non reincidat in censuram : quia absolutio in jubilaeo non limitatur ad reincidentiam, sed fit absolute. **3°**) Absolutio *a peccatis reservatis* dari non potest **extra sacramentum poenitentiae.**

Idem, ex probabiliori sententia, dici debet de absolutione *a censuris* : quia talis potestas non confertur nisi in ordine ad absolutionem a peccatis, et prout est dispositio ad illam. Unde non debent istae absolutiones a se invicem separari ; quod ipsa praxis confirmat, et certo tenendum esse videtur, saltem quando clausulam Bulla continet, quod absolutio conferatur « *pro foro poenitentiae dumtaxat.* » 4°, Absolutio *a reservatis et censuris* dari potest in confessione pro jubilaeo facta, etiamsi nullum aliud adhuc opus ex praescriptis poenitens peregerit, **dummodo habeat propositum ea peragendi et jubilaeum lucrandi.** Et licet postea licite vel illicite propositum illud mutet, adhuc manet absolutus : quia absolutio data est pure et simpliciter, non autem sub conditione vel modo reincidentiae (pag. 342). 5°) Confessarius non potest nisi **unica vice** suis facultatibus extraordinariis uti in favorem ejusdem poenitentis. **Hinc A**) qui prima vice, qua jubilaeum lucratus est, jam absolutus fuit a reservatis et censuris, si iterum in censuras incurreret, aut casus reservatos committeret, non potest denuo ab illis absolvi, ut constat ex Constitutionibus Bened. XIV, supra allatis (pag. 342). **Contra B**) qui, lucratus jam jubilaeum, postea in censuras incurreret aut casum reservatum committeret, poterit ab illis absolvi, si tempus jubilaei nondum elapsum sit : quia facultas confessarii absolvendi a censuris et reservatis durat toto tempore jubilaei, et aliunde ea nondum cum eodem poenitente usus est. **Utrum** vero **C**) qui inter confessionem, qua a censuris et reservatis absolutus fuit, et adimpletionem ultimi operis, si iterum in censuras incurreret aut casus reservatos committeret, denuo ab illis absolvi possit, DD. *disputant.* Alii **affirmant** : alias ipsi impossibile foret lucrari jubilaeum, quod esset contra mentem Pontificis, quippe qui intendit, ut omnes illud lucrari valeant. Alii **negant,** innixi decesioni S. C. I. (10 Jul. 1869, ubi ad **dubium** : « *Attenta clausula ;* « HAC VICE TANTUM, » *quaeritur, an qui in censuras et casus reservatos inciderit, una tantum vice absolvi possit, prout edixit* Bened. XIV *in Const.* Inter graviores (1) ; *vel potius in hoc jubilaeo toties quoties in cen-*

(1) Auctor dubii ponere debuisset : *In Const.* Inter praeteritos. Ceterum in toto Bullario Bened. XIV nulla reperitur Constitutio incipiens ab illis verbis : *Inter graviores.*

suras et casus reservatos incurrerit, absolvi possit? » **respondit** : « Affirmative *ad primam partem*. Negative *ad secundum*. » Verum cum haec decisio, ut patet ex verbis dubii : *prout edixit* Bened. XIV, debeat ad terminos ejusdem Pontificis Constitutionum, quae supra attuli (pag. 342), restringi, praesentem utique casum dirimere non potest. Innituntur quoque, et forsan firmius, decisioni S. Poenit. (an. 1875), quae ad **dubium** : « *An confessarii absolvere possint poenitentem qui jam a reservatis et a censuris absolutus in ea denuo inciderit, antequam opera impleverit ad jubilaeum acquirendum praescripta?* » **Respondit** : « *Virtute jubilaei posse una vice tantum absolvi a reservatis et a censuris, seu negative.* » Ap. N. R. T. (VII, 338). At, judice Lehmkuhl (II, 553), « neque ita patet responso an. 1875 *generalem* regulam statui pro futuro tempore. » **6°**) Confessarius poenitentem, quem non satis dispositum judicavit, et in aliud tempus adsolvendum **remisit**, potest ab omnibus reservatis tempore jubilaei confessis aut inculpabiliter omissis, eo transacto, absolvere : tum quia prima vice reservationem tollere potuit; tum quia justis de causis potest prorogare tempus ad effectum jubilaei. **Utrum** vero possit etiam tunc absolvere a reservatis in quae, transacto jubilaei tempore, poenitens incidisset, DD. *disputant*. Alii *negant* cum Lug. *de Sacr. poenit.* (disp. XX, n. 135); alii *affirmant*, quibus suffragatur declaratio Card Caprara, occasione jubilaei post Concordatum an. 1801 concessi. Utique in praxi tutius erit, tunc adire superiorem, a quo specialis obtineatur facultas. Cfr. Loiseaux, « *Traité can. et prat. du Jubilé* » (pag. 410 seqq.). **7°**) Reservatio censurae vel peccati non tollitur per confessionem *culpabiliter* vel *inculpabiliter* **invalidam** : quia specialis ex vi jubilaei non conceditur facultas absolvendi a reservatis nisi ad finem, ut fideles jubilaeum lucrentur (tom. III, pag. 354). Peccati vero et censurae in debita confessione **inculpabiliter oblitorum** reservatio tollitur : quia Papa tempore jubilaei in gratiam poenitentium, qui debitis cum dispositionibus et ex animo indulgentiam consequendi confitentur, omnem prorsus tollit reservationem. **Hinc** in priori casu, non in posteriori, tenebitur poenitens adire postea confessarium qui super reservatis potestatem habeat.

Q. 46. *Quid* notandum circa privilegium *commutandi* **vota?**
R. Notentur sequentia.

Explanatur. 1°) Confessarius vi jubilaei potest commutare, non vero dispensare, **omnia vota non excepta,** etiam juramento firmata. Ab hac autem facultate *excipi* solent : **A**) Vota **castitatis** perpetuae et **religionis** seu ingredi religionem ab Ecclesia approbatam, modo sint vota *proprie dicta, certa, determinata, perfecta* tum ex parte actus, tum ex parte materiae, et *absoluta*, juxta dicta (tom. I, pag. 412 seq.). **B**) Vota **in favorem tertii edita et ab eo acceptata,** seu quorum commutatio cederet in praejudicium tertii : quia Papa non potest vel certe non vult laedere jus tertii. Ex quo capite vota in aliqua religiosa communitate emissa etiam habentur excepta. **C** Vota **poenalia,** quae *praeservativa a peccato* nuncupantur, nisi commutatio fiat in aliud opus poenale, quod aeque ad praeservandum conducit (tom. I, pag. 416). 2°) Commutatio votorum, quae fieri non debet extra poenitentiae sacramentum, exerceri quidem potest **ante ullum opus peractum,** sed erga eos **solos** qui cum intentione lucrandi jubilaeum accedunt. 3°) Fieri debet : **A**) **Intra tempus pro jubilaeo praefixum**, nisi poenitens ejusdem prorogationem legitime obtinuerit. **B**) **In opus aequale moraliter,** juxta dicta (tom. I, p. 414 seq.), adeoque confessarius potest eam facere in opera etiam aliquanto minora quam sit opus voto promissum ; alias commutatio innumeris anxietatibus foret obnoxia et vix non esset frustranea. **C**) **Ex justa aliqua causa** ; secus commutatio in aequale moraliter foret venialiter illicita, quamvis tamen valida (t. I, p. 415 seq.). Interim controvertitur, num requiratur alia causa quam ipsum jubilaeum, seu requiratur causa aliqua specialis. Juxta sententiam *communem*, cui adhaeret S. Lig. (VI, 537 Quaer. IV), «sufficit causa illa communis qua Pontifex motus est ad jubilaeum indicendum.» Quae sententia tuto in praxi deduci potest, saltem quoties tenor concessionis aliud non suadeat. 4°) Potest confessarius, etiam elapso jubilaei tempore, illius saltem commutare vota poenitentis, qui prius, eo durante, **commutationem postulaverat** ; utrum vero etiam illorum, qui tunc sua vota commutari **noluerunt,** DD. utrimque probabiliter *disputant*.

Scholion. Consuevit concedi confessariis facultas commutandi

vota **dispensando**, ut in jubilaeo 1869; in recentioribus vero jubilaeis data est tantum facultas vota commutandi. Quocirca interrogata S. Poenit. an. 1875, ad **dubium** : «*Aliis in jubilaeis concedi solet facultas commutandi* vota dispensando; *in praesenti vero conceditur tantum facultas ea commutandi; intelligine potest etiam in hoc casu concessam fuisse facultatem vota commutandi* dispensando?» **Respondit** : «*Negative.*» Ap. N. R. T. (VII,235). Quod si sic mera conceditur facultas commutandi, potest quidem confessarius vota commutare in alia opera poenitenti magis grata et commoda, at moraliter tamen aequalia esse debent. De qua morali aequalitate egimus (tom.I,414 seqq.) et latius tractat S. Lig. (III,247). — Si vero habeatur facultas commutandi *dispensando*, licet quidem opus minus imponere, ita tamen ut materia subrogata non sit exorbitanter minus. Cfr. Bened. XIV, Const. « *Inter praeteritos* » § 45; S. Lig. (VI, 536 Quaer. VIII); N. R. T. (VII, 233 seqq.).

Q. 47. *Quid* notandum circa privilegium *dispensandi* **super irregularitate ?**

R. Haec facultas, si concedatur, solum extenditur ad dispensandum super irregularitate a clericis in SS. Ord. constitutis ex censurarum violatione contracta, et quidem *occulta*.

Resolvitur. Igitur confessarii **non poterunt dispensare** : **1°**) super *alia qualibet* irregularitate, sive publica, sive occulta; **2°**) nec super ipsa irregularitate ex censurarum violatione contracta in eo casu, in quo ea fuisset *publica*, i.e. talis, quae nulla tergiversatione in tota vicinia celari potuisset. Censura porro *publica* esse potest, ipsa autem ex ejusdem violatione contracta irregularitas *occulta* : puta, si sacerdos hodie suspensionem ob violatos sacros canones notorie ac palam incurrat, et sequenti die, non obtenta suspensionis absolutione, missam celebret audiatve fidelium confessiones; quia quamvis notorium sit saltem sacerdotem suspensione ligatum fuisse et sacri ministerii obiisse functiones, notorium tamen non est, eumdem, antequam sacra faceret, censurae absolutionem non obtinuisse. Ceterum hac facult. tempore jubil. non gaudent confessarii, nisi concessionis hujus mentionem habeat Bull. jubil.

Q. 48. *An* et *quale* sit *peccatum* jubilaeum concessum **non lucrari ?**

R. Per se loquendo, adeoque secluso scandalo, contemptu, etc., non est peccatum, saltem *grave*; a *levi* tamen ACEDIAE culpa vix posse excusari, communiter docent DD., et recte quidem.

DE IRREGULARITATIBUS.

PRAEAMBULUM. Sicuti de *impedimentis* matrimonii agitur ubi de matrimonio; ita quoque, ubi agitur de Ordine, non raro a DD. tractatur de *irregularitatibus*, quippe quae sunt impedimenta canonica, quae prohibent quominus Ordo suscipiatur vel susceptus exerceatur. Multorum vestigia sequuti, de irregularitatibus separatim tractabimus. — **Triplex** erit caput. In **primo** dicetur de irregularitatibus *in communi* : ubi agetur de earum *quidditate, subjecto, effectibus, divisione* et *conditionibus* ad illas requisitis. In **secundo** tractabitur de irregularitatibus *in specie*, scilicet in duobus articulis quorum prior erit : de irregularitatibus *ex defectu*; posterior vero de irregularitatibus *ex delicto*. Demum *in* **tertio** capite disseretur de irregularitatum *cessatione*.

CAP. 1. De irregularitatibus in communi. Ubi de earum quidditate, subjecto, effectibus, divisione et conditionibus ad illas requisitis.

Q. 1. *Quid* sit IRREGULARITAS?

R. *Distinguendum* inter *nomen* et *rem*.

Eplanatur. Irregularitas, quoad **nomen**, quod dicunt fuisse introductum ab Innoc. III, significat *privationem regulae*, ut adeo *irregularis* idem sit ac *positus extra regulam* seu *alienus a canone*. Irregularitas, quoad **rem**, communiter definitur : *Impedimentum canonicum, impediens licitam susceptionem Ordinum eorumque administrationem*. — Dicitur : **1°, Impedimentum**; i. e. inhabilitas proveniens sive *ex defectu*, sive *ex delicto*, cum deceat eos, qui ad altaris ministerium assumuntur, integros et immaculatos esse, tam *corpore* quam *animo*. Hinc irregularitas differt a *censuris*, quae semper culpam supponunt, et ex natura sua sunt poenae *medicinales*, ut delinquentes resipiscant et a peccato in posterum caveant; irregularitas vero non semper culpam supponit, cum possit provenire *ex defectu* seu ex macula mere physica, et si quandoque per

modum poenae imponatur, utpote provenient *ex delicto* seu ex macula morali, non est tamen poena *medicinalis*, ad tempus emendationis imposita, sed est poena mere *punitiva*, de se perpetua, ad indecentiam in sacro ministerio praecavendam, ut adeo vere etiam conversi *jus* non habeant ad dispensationem. — Dicitur : 2°) **Canonicum**; i. e., jure dumtaxat universali Pontificio, non autem Episcopali, introductum. Unde irregularitas nunquam fertur *ab homine, per sententiam ;* sed solum *a jure, per canonem* seu legem generalem, idque *ipso facto*, ita ut nulla opus sit judicis sententia vel declaratione. Nec incurritur, nisi ea in jure communi sit **specialiter** expressa, ut desumitur ex cap. « Is qui » (*de sent.excomm. in 6°*), ubi dicitur : « *Licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen* (*cum id non sit expressum in jure*) *laqueum non incurrit.* » Neque ab uno ad alium casum, ob similem vel majorem rationem, extensio fieri potest, cum odiosa et poenalia sint restringenda potius quam extendenda. — Dicitur : 3° **impediens licitam**; unde irregularitas non obstat *valori* susceptionis vel exercitii Ordinum, sed tantum *liceitati ;* prohibet quidem actum, sed non illum irritat, si fiat contra prohibitionem. Dicitur : 4°) **susceptionem Ordinum eorumque administrationem** ; et quidem *directe* et *per se* prohibet susceptionem ; *indirecte* vero et *per consequens* exercitium : quia vix non absurdum foret Ordinem, quo quis prohibetur, susceptum impune exerceri. **Excipe** casum extremae necessitatis. Sub nomine autem *Ordinum* comprehenditur etiam *prima tonsura*, quippe est praeparatio ad Ordines.

Q. 2. *Qui* sint : 1°) *subjectum* IRREGULARITATIS ; 2°) ejus *effectus?*

R. Ad 1^um^) *Subjectum* irregularitatis est omnis homo capax Ordinis et subditus juri communi.

Explanatur. Ratio **primi** est : quia irregularitas est quaedam privatio, adeoque supponit subjectum capax formae. Ratio **secundi** est : quia Papa ideo nequit esse irregularis, quia non subest juri communi.

Resolvitur. Ex quibus sequitur, omnes quidem masculos baptizatos, sive laicos, sive clericos, etiam episcopos et cardi-

nales, posse esse irregulares, non item non baptizatos et foeminas.

R. Ad 2^{um}) *Effectus* irregularitatis sunt sequentes.

Explanatur. 1°) Directe et per se illicitam reddit susceptionem Ordinum, immo etiam primae tonsurae : quia, cum haec sit dispositio ad Ordines, incongruum est, eam suscipi ab indisposito ad illos. **2°) Indirecte et per consequens** illicitum reddit Ordinum susceptorum usum seu exercitium, ita tamen, ut talis usus ab irregulari positus non inducat novam irregularitatem aut aliam poenam in jure expressam. **Hinc** communiter DD. inferunt, peccare mortaliter irregularem, qui sciens volens ministrat in Ordine suscepto. Hoc tamen debet intelligi, quando irregularitas est **totalis**, impediens scilicet quemlibet usum Ordinis, secus si sit *partialis;* et ita, pollicem et indicem amittens, si sit sacerdos non potest quidem celebrare, bene tamen potest audire confessiones et absolvere a peccatis; et si sit diaconus, non potest quidem ascendere ad sacerdotium, sed non prohibetur ministrare in ordine diaconatus. Immo, ut docent DD. communiter, non est illicitus irregulari ille Ordinum usus, qui praestari etiam solet a **laicis** ; nonnulli tamen probabilius casum excipiunt, quo functio solemniter et ex proprio officio exerceretur, cum Jura non excipiant Ordines minores, sed generaliter loquantur. **3°) Indirecte** quoque et **per consequens** removet ab obtinendis beneficiis, quibus adnexum est officium quo defungi irregulari non licet. Ratio est : quia *beneficium datur propter officium ;* atqui irregularitas arcet ab officio juxta dicta; ergo per consequens removet a consecutione beneficii quod officium importat quo irregularis fungi non potest. Nihilominus, si beneficium ipsi collatum fuerit, ex S. Lig. (VII, 343) « *sententia videtur satis probabilis* » collationem esse *validam*, non autem ipso jure esse irritam, ut *probabilius* quibusdam cum Suarezio videtur. Ratio est : quia irregularitas sicut non datur, nisi in casibus in jure expressis (pag. 350), ita non debent eidem alii effectus attribui, quam qui in jure expressi ; atqui nullibi reperitur expressum, collationem beneficii factam irregulari esse irritam; ergo. Unde quoque, postquam irregularis possessionem beneficii coeperit, si ejus onera per alium adimplet, fructus facit suos.

Q. 3. *Quotupliciter* distinguatur IRREGULARITAS?
R. *Tripliciter* distinguitur.

Explanatur. 1°) Ratione **causae** seu **motivi,** ob quam fertur, alia est *ex defectu* et citra culpam, alia *ex delicto;* ex utroque enim nasci potest indecentia ad divina ministeria obeunda. Quaelibet autem ex his irregularitatibus plures sub se continet. **2°)** Ratione **effectuum,** alia est *totalis*, et alia *partialis*. Et quidem *prior* impedit et Ordinum susceptionem et susceptorum exercitium universaliter. *Posterior* vero, vel non omni Ordinum susceptorum exercitio privat, sed tantum aliquo; vel solum impedit Ordinis superioris susceptionem, non item exercitium antea susceptorum, ut exemplificatum fuit modo supra (p. 351). **3°)** Ratione **durationis,** est *perpetua* vel *temporalis*, prout ex se semper durat, nisi tollatur dispensatione aut aliis modis legitimis; vel durat tantum ad aliquod tempus et postea cessat absque ulla dispensatione. Et sic, irregularitas ex defectu *aetatis* evanescit, completo tempore ad Ordines requisito.

Q. 4. *Quaenam* requirantur *conditiones* ad IRREGULARITATEM incurrendam?
R. *Sub variis distinctionibus.*

Explanatur. 1°) Nulla unquam irregularitas incurritur, **nisi in jure canonico sit expressa**. Quo nomine veniunt tantum decreta Pontificum sive Conciliorum a Papa approbatorum, non vero aliorum, nec venit consuetudo. Quae autem irregularitates jure canonico constitutae sunt, non excedunt proprium casum et in proprio casu strictissimae sunt interpretationis, juxta dicta (pag. 350). — **Hinc** cum **dubitatur,** utrum quis irregularitatem contraxerit, irregularitas non intelligitur, sive dubium sit *juris*, i. e. sit dubitetur, an talis casus subjaceat legi irregularitatem statuenti, quod nemo ambigit et sequitur ex dictis, cum tunc irregularitas non certe in jure exprimatur; sive dubium sit *facti*, i. e. si dubitetur, an v. g. crimen fuerit patratum, **solo excepto casu homicidii.** Nam irregularitas, ut dictum fuit, non incurritur nisi in jure exprimatur. Jam vero in jure (CC. 20 et 24 *De homic.*) expressum tantum est, homicidam in dubio, an homicidii commissi fuerit

causa efficax an non, incurrere irregularitatem. Ergo quoad alia dubia valet axioma : *exceptio firmat regulam in contrarium*. 2°) Irregularitas **ex defectu** incurritur eo ipso quo quis laborat defectu a jure determinato, sive cognoverit, sive ignoraverit legem quae irregularitatem inducit : quia talis irregularitas non habet rationem poenae, sed solius impedimenti seu inhabilitatis. 3°) Cum vero irregularitas **ex delicto** sit ad instar poenae et quidem gravissimae, hinc **ex uno capite** ad illam incurrendam requiritur culpa *mortalis, externa* et *in genere suo consummata*, (quamvis pro culpabili homicidio seu mutilatione certo sufficiat quod sit *occulta*) : tum quia gravis poena nonnisi propter gravem culpam incurritur; tum quia in poenis stricta fieri debet interpretatio; tum quia in casu culpae levioris cessat ratio legis, i. e. indecentia ex delicto orta. **Ex altero capite** ab hujusmodi irregularitate, sicut a ceteris poenis, excusant : *metus*, *ignorantia* sive *facti*, sive *juris canonici*; et ideo qui v. g. committit homicidium, ignorando homicidium lege Ecclesiae quoque esse vetitum, vel in rixa ad legem non advertendo, nullatenus fit irregularis. Immo excusat ignorantia *poenae* seu *irregularitatis*, cum sit poenae extraordinaria (tom. I, pag. 144); quae sententia, etsi forte verior non sit, saltem certe probabilis est.

CAP. 2. De irregularitatibus in specie.

ART. 1. De irregularitatibus ex defectu.

Q. 5. *Quot* et *quales* sint IRREGULARITATES *ex defectu ?*

R. Sunt *octo* sequentes, scilicet ex defectu : 1°) *animi*; 2°) *corporis*; 3°) *natalium*; 4°) *aetatis*; 5°) *libertatis*; 6°) *sacramenti*; 7°) *lenitatis*; 8°) *famae*.

Q. 6. *Quinam* sint irregulares *ex defectu* ANIMI?

R. Qui laborant defectu : sive *usus rationis*; sive *scientiae necessariae*; sive *fidei sufficienter confirmatae*.

Resolvitur. 1. Irregulares sunt : **A) perpetuo amentes; B) lunatici,** qui per temporum intervalla amittunt usum rationis; **C) arreptitii** seu energumeni, qui a daemone vexantur. Ili tamen et isti, si jam fuerint ordinati, poterunt arbitrio episcopi in susceptis Ordinibus ministrare. Quod vero **D) epilepticos** attinet, *non*

una est DD. sententia. *Alii* dicunt non permanere irregularitatem in iis quos, judicio medicorum, et post notabile tempus, moraliter certum est a morbo convaluisse. *Alii* distinguunt hoc modo : si morbus ante pubertatem in eis cessaverit poterunt ordinari ; si postea aut cessaverit aut coeperit, non licet eos ordinare, sed si jam fuerint ordinati, permittitur eis celebrare, quamvis interdum, v. g. semel in mense, morbo corripiantur, dummodo non cadant aut spumas agant et praesente alio sacerdote jejuno. **Resol. 2.** Irregulares sunt **illitterati,** qui non habent scientiam singulis Ordinibus necessariam juxta dicta (tom. III, pag. 467). **Resol. 3.** Irregulares sunt **neophyti,** i. e. adulti recenter conversi a paganismo vel judaismo, usque dum ab episcopo digni judicentur.

Q. 7. *Quinam* sint irregulares *ex defectu* CORPORIS?

R. Qui ita sunt corpore vitiati, ut Ordines exercere vel 1°) *absolute* non valeant ; vel 2°) non sine *dedecore* aut *scandalo ;* vel 3°) nonnisi *Rubricas violando.*

Resolvitur. Hinc, ut quaedam adferam exempla, **irregulares** sunt : **1°**) *Caeci* utroque oculo ; *surdi* utraque aure ; *muti ;* carentes *brachio* aut *manu ;* **2°**) *Claudi* qui sine baculo ad altare sistere non valent ; item qui *pede ligneo* instructi sunt vel pedes *valde distorsos* habent, ut confirmatur ex S.C.C. (11 Jul. 1801 et 30 Mart. 1833) ; carentes *naso ;* enormiter *gibbosi ; nani ;* et, si risum moverint, *blaesi.* **3°**) Carentes *pollice* aut *indice ;* vel oculo *canonico*, i. e. sinistro, si canonem legere non possunt sine indecenti faciei conversione ; item *manum rigidam* habentes. — In **dubio** autem, an defectus corporis sit **enormis,** standum est judicio episcopi, cujus est in dubio de hoc judicare, etiam quoad Regulares, ratione habita dotum personalium promovendi, necessitatis Ecclesiae, morumque regionis. Si tamen defectus supervenerit post ordinationem, Praelatus Regularis judicare potest, an ordinatus pergere possit in ministerio.

Q. 8. *Qui* 1°) sint irregulares *ex defectu* NATALIUM ; et 2°) *cur* ita sit statutum ?

R. Ad 1^{um}) Tales sunt filii *illegitimi*, si tamen ex S. C. C. (27 Jun. 1857) *constet*, eos esse illegitimos ; unde in dubio, ne *expositi* quidem irregulares censentur, cum non *constet*

de illegitimitate et delicta non praesumantur : parentes enim quandoque exponunt ob paupertatem.

Explanatur. Porro **illegitimi** nuncupantur, qui extra thorum legitimum sunt nati. — Et quidem si orti sint ex viro et muliere, inter quos tempore conceptionis vel saltem nativitatis poterat consistere matrimonium, jure canonico **naturales** dicuntur. Secus vocantur **spurii** seu *orti ex damnato coitu*. Et hi rursus *quadrupliciter* distinguuntur : vel *adulterini;* vel *sacrilegi;* vel *incoestuosi;* vel *nefarii*, prout nempe nati sunt ex parentibus vel uno eorum : **1°**) conjugatis ; seu **2°**) obstrictis solemni castitatis voto vel ordine sacro ; seu **3°**) ex collateralibus quovis gradu vel affinibus ; seu **4°**) ex ascendentibus et descendentibus. Non autem *illegitimi* sunt filii nati ex matrimonio invalido, ob impedimentum occultum, dummodo *bona fide*, saltem ex parte unius conjugis, contractum fuerit matrimonium *coram Ecclesia*, et *praemissis denuntiationibus*.

R. Ad 2^{um}) Haec irregularitas introducta fuit : tum ob reverentiam sacri ministerii ; tum propter detestationem sceleris paterni ; tum ob metum, ne filii paternae incontinentiae imitatores sint.

Q. 9. *Quinam* sint illegitimi *ex defectu :* 1°) AETATIS ; 2°) LIBERTATIS ?

R. Ad 1^{um}) Qui nondum habent aetatem a jure canonico requisitam ad Ordines, juxta dicta (tom. III, pag. 466 seq.).

R. Ad 2^{um}) Ex defectu *libertatis* irregulares sunt, generatim : qui non sunt sui juris, vel sua conditione ita officiis et negotiis saecularibus implicati, ut non possint ministerio clericali se devovere.

Explanatur. Tales sunt : **1°**) **Mancipia** seu servi proprie dicti, nisi domini ordinationi eorum consenserint. **2°**) **Conjugati,** excepto duplici casu : **A**) si ob uxoris adulterium divortium sit actum juridice, cum tunc maritus ab illius jure sit perpetuo subductus ; **B**) si uxor expresse ac libere consentiat et simul castitatem voveat ; imo et religionem uxor ingredi deberet, vel si ipsa esset juvenis, vel si vir fieret religiosus aut crearetur episcopus. **3°**) **Curialistae,** qui nempe Curiae saeculari servire tenentur juramento vel

stipendio, uti judices, advocati, milites, reipublicae administratores; non vero tutores, curatores viduarum, pauperum, et orphanorum; neque administratores bonorum Ecclesiae vel loci pii.

Q. 10. *Quinam* et *cur* sint irregulares *ex defectu* SACRAMENTI?

R. Sunt *bigami* : quia minus perfecte repraesentant *sacramentum*, i. e. mysterium unionis Christi cum Ecclesia, unica ejus sponsa et virgine (pag. 78); sive bigami sint *veri* seu proprie dicti, sive *interpretativi*.

Explanatur. Quocirca notandum est, **bigamiam** distingui *tripliciter*. 1°) **Vera** est, quando quis successive contrahit matrimonium cum duabus vel pluribus et consummat. 2°) **Interpretativa** est, quando vel **A**) quis contrahit cum vidua aut ab alio corrupta et consummat; vel **B**) quando cognoscit suam uxorem ab alio cognitam tempore matrimonii; vel **C**) quando duo matrimonia contrahit, unum validum et alterum nullum, aut ambo nulla, et consummat : quia in istis casibus interpretatione juris duas uxores habuisse censetur. 3°) **Similitudinaria** est, quando quis post susceptum Ordinem sacrum vel post nuncupata a se solemnia vota attentat matrimonium et consummat. Sed haec irregularitas *ex delicto* est, ut constat ex cap. *de Bigam.*, et probat SANCH. (*de Matrim.* lib. VII, disp. 85, n. 10).

Q. 11. *Quinam* 1°) sint irregulares *ex defectu* LENITATIS, et 2°) *quae* sit RATIO hujus irregularitatis?

R. Ad 1^{um}) Irregulares *ex defectu* LENITATIS *tripliciter* distinguuntur.

Explanatur. 1°) Qui in **bello justo offensivo** propriis manibus aliquem occidunt vel mutilant, aut proxime ad hoc cooperantur, v. g. onerando tormenta bellica; hortando, ut hic in particulari occidatur; secus si tantum in genere animent ad strenue bellandum. Dixi : **A**) *in bello* **justo**; nam in *injusto* omnes *sponte* militantes fiunt irregulares *ex delicto*, si vel unus mutilatus fuerit vel occisus in eo. Dixi : **B**) **offensivo**; nam sicut non fit irregularis qui aggressorem occidit cum moderamine inculpatae tutelae; ita in bello *defensivo* etiam propria manu occidens non fit

irregularis, nisi clericus in SS. Ordinibus constitutus aut beneficiatus, *citra necessitatem* militans, in conflictu quempiam occidisset vel mutilasset, aut etiam sclopum aliquando displosisset, etsi neminem se laesisse juret, ut constat ex S. C. C. (13 Jan. 1703). Cfr. Bened. XIV. *Inst.* CL.

2°) Qui concurrunt ad **judicium sanguinis,** quo scilicet irrogatur *mors* (licet sine effusione sanguinis) aut *mutilatio*, dummodo adsint *quatuor* sequentes conditiones : **A**) Ut judicium sit **justum**, i. e. *publica auctoritate* habitum; secus non ex defectu *lenitatis*, sed *ex delicto* incurreretur irregularitas. **B**) Ut mors vel mutilatio **de facto** sequatur; secus, si exsecutio sententiae undequaque impediatur. **C**) Ut cooperatio fuerit **proxima**, ita ut vel processus, vel sententiae, vel exsecutionis fuerint revera participes. **Hinc** irregulares fiunt : **a**) accusatores, testes ultronei, advocati seu procuratores contra reum; **b**) judices eorumque assessores, scribae seu tabelliones, qui sententiam dictant vel publicant; **c**) lictores, apparitores, qui reum comitantur ad supplicii locum, et qui eum mutilatione vel capite plectunt. Hi enim omnes *proxime* cooperantur. **Contra** irregularitatem non incurrunt, utpote *remote* tantum cooperantes : **a**) princeps constituens judices, condens leges contra malefactores in genere, modo non mandet, ut hic in particulari occidatur; multo minus, si poenam mortis impositam mitiget, cum tunc potius *juxta* quam *contra* lenitatem agat. Nec **b**) opifex qui furcam fecit; nec **c**) confessarii assistentes, licet praeter intentionem praeberent occasionem mortis sententiam citius exsequendi, ut si impetrent, quod reus per viam solito breviorem ducatur, ne ita matris suae domum transeat; nec **d**) meri spectatores, quamvis tamen clerici, sic agentes, possent ab Ordinario puniri et, si in sacris constituti sint, saltem venialiter peccare videantur. **D**) Ut cooperatio fuerit **sponte** facta. Ex quo capite ab irregularitate eximuntur : **a**) laici et clerici, si in causa propria ob damnum sibi, ecclesiae suae, consanguineis aut domesticis illatum, penes judices laicos reum accusent, licet morte plectendus sit, quippe quodam jure defensionis utuntur; dummodo tamen ante sententiam prolatam, *exterius*, licet ficte, protestentur, se non petere nec velle poenam sanguinis, sed solum agere ad suum interesse. Item **b**) cessat irregularitas, si quis accuset ad

vitandum grave damnum proximi aut reipublicae, quoties aliter vitari non potest, ut si detegat apud judicem conspirationem rebellium : quia tunc accusatio cadit sub praecepto charitatis, neque in eo casu protestatio necessaria est. Tandem **c**) ab irregularitate eximuntur testes, si accesserint compulsi metu, vel justo praecepto coacti; proindeque etiam cives jurati (gallice *membres du jury)* quibus, ex praescripto legum injunctum est de facto perpetrati delicti pronuntiare coram tribunali, quamvis nullam protestationem emiserint, cum nullo jure exigatur.

Demum **3°**) *ex defectu* LENITATIS irregulares sunt : **clerici in sacris constituti, aut monachi, medentes cum incisione vel adustione,** licet sint in arte periti, si inde mors vel mutilatio sequatur, et modo id egerint extra casum necessitatis, aliis nimirum peritis non absentibus.

R. Ad 2^um^) *Ratio* hujus irregularitatis est : quod altaris ministros deceat imitari mansuetudinem Christi, qui pro suis crucifixoribus Patrem oravit; qui mulierem in adulterio deprehensam noluit morte dignam pronuntiare; qui denique pertransiit benefaciendo et sanando omnes.

Q. 12. *Quinam* sint irregulares *ex defectu* FAMAE?

R. Qui laborant infamia *juris*, i. e. quae ex juris dispositione incurritur, sive ob delictum alienum, sive ob vile officium quod quis inculpabiliter exercuit.

Explanatur. Ex **1°**) **capite** irregulares sunt : filii et nepotes eorum qui violentas manus in Cardinalem injecerunt; filii damnatorum ob delictum laesae majestatis; filii usque ad 4^am^) inclusive generationem occidentis rectorem ecclesiae seu juris patronatus de quo casu agit BENED. XIV (*de Syn.* lib. XIII, C. XXIV, n. XX); filii eorum qui in haeresi *decesserunt*, usque ad secundum generationem in linea paterna; ad primam vero in linea materna, ut constat ex S.C.C. (20 Aug. 1678). Idque obtinet etiam in Germania, Hollandia aliisque regionibus, ubi haeretici tolerantur et mixti cum catholicis vivunt, uti constat ex responsione S. OFF. (11 Jul. 1884) ad episcopum HARLEMENSEM, cui mittebatur decretum in POSEN. ejusdem S. Congr. (25 Jul. 1866) in quo legitur : « *Filios haereticorum qui in haeresi persistunt et mortui sunt, esse irregulares etiam in Ger-*

mania aliisque in locis ubi impune grassantur haereses.» Ap.N.R.T. (XXII,601 seq.). Item constat ex declaratione S. Off. (4 Dec.1890) in qua dicitur : «*Haereticos ad fidem catholicam conversos ac filios haereticorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat esse irregulares, etiam in Germania et in aliis locis de quibus petitur, ideoque dispensatione indigere, ut ad Tonsuram et Ordines promoveantur.*» Ap. N. R. T. (XXIV,276).

Ex 2°) **capite** irregulares sunt : histriones quique artis ludicrae exercendae causa in scenam prodierunt.

ART. 2. De irregularitatibus ex delicto.

Q. 13. *Quae* sint irregularitates EX DELICTO?

R. Ex **antiquo** jure *sex* sequentes numerantur : 1°) *Ex abusu sacramenti;* seu, ut alii loquuntur, ex delicto iterati vel ab haeretico suscepti baptismi. 2°) *Ex abusu Ordinis*, seu ex Ordinis usurpatione aut illicita susceptione. 3°) *Ex violatione censurae.* 4°) *Ex delicto infamante.* 5°) *Ex homicidio* vel *mutilatione.* 6°) *Ex bigamia similitudinaria*, de qua jam diximus supra (pag. 356). Quibus ex **novo** jure, scil. ex recenti decreto S. C. C. (25 Maii 1893) ap. N. R. T. (XXV, 354 seqq.) addenda est 7°) irregularitas quam incurrunt clerici nondum sacerdotio initiati propter *turpe Missarum mercimonium;* ita ut *inhabiles* fiant ad superiores Ordines recipiendos, si deliquerint contra decisiones quae ab eadem S. C. C. (9 Sept. 1874), approbante Pio IX, datae fuerant : « *ad cohibendam pravam quorumdam licentiam, qui ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda missarum ope utebantur.* »

Q. 14. *Quinam* sint irregulares EX ABUSU SACRAMENTI, seu OB MALAM SUSCEPTIONEM vel ITERATIONEM BAPTISMI?

R. Sunt sequentes.

Explanatur. 1°) Qui **in adulta aetate** ab haeretico notorio baptismum suscipit, extra casum necessitatis, ut patet ex Cap. *Qui in qualibet aetate* (caus. 1, q. 7). Secus, si ante adultam aetatem ab haereticis baptizatus est, ut constat ex S.C.C.(21 Maii 1718). 2°)Adul-

tus **scienter** rebaptizans, rebaptizatus et acolythus seu clericus rebaptizanti ministrans. Quae quidem irregularitas pro acolytho et rebaptizante est *partialis*, quatenus ipsi non possunt ad alios Ordines promoveri, sed possunt in susceptis ministrare; pro rebaptizato est *totalis*. At ad eam irregularitatem incurrendam requiritur : **A**) Ut rebaptizatio sit **publica**. Ut autem rebaptizatio censeatur **publica**, etiam primum baptisma debet esse publicum : nam si publice ignoretur primum, quomodo publice cognoscetur alterum esse secundum. Ita DD. communiter. Contradicit tamen Reiff. (*Theol. Mor.* tract. XIII, dist. III, q. 2, n. 23) cum quibusdam aliis. Unde habetur dubium juris, nec proinde irregularitas intelligitur, cum certe in jure non exprimatur. Nec valet dicere cum *Sylvio*, in casu irregularitatem incurri ex consuetudine, licet delictum sit occultum : quia nomine *juris canonici* non venit consuetudo juxta dicta superius (pag. 352). **B**) Ut adsit **gravis culpa**. Hinc non contrahitur irregularitas, quando justa de causa secundum baptisma ministratur *sub conditione*. Si vero *absque justa causa* fiat, utrum incurratur, DD. *disputant*. Multi **negant** : quia leges poenales debent intelligi cum effectu; atqui qui *sub conditione* rebaptizat, etsi sciat primum baptisma fuisse rite collatum, revera non baptizat, quia apposita conditio de praesenti vel de praeterito, si non subsistat, semper actum impedit. Accedit, legem in hunc finem fuisse constitutam, ut arcerentur haeretici rebaptizantes, quorum errorem satis excludit *apposita conditio*. Alii **affirmant** cum Bened. XIV (*De Syn.* l. VII, c. VI, n. 3); quibus suffragatur auctoritas Catech. Rom. necnon S. C. C. (28 April. 1781).—Quidquid sit, in decreto S. Congr. S. Off. (24 Febr. 1883) dato pro Anglia, dicitur : «*Irregularitatem non fuisse incursam*» a sacerdotibus rebaptizantibus conversos ab haereticis prius baptizatos. Praxis autem horum sacerdotum erat, ut omnium baptismatum ab haereticis collatorum invaliditas sit praesumenda, validitas autem probanda. Quae praxis in hoc a vera norma deflectit, quod ex S. Cong. S. Off. (20 Nov. 1878) semper examinandus sit casus particularis, et dein diversa ratione procedendum sit secundum quod baptismus collatus reperiatur validus, vel invalidus, vel maneat dubius, juxta dicta (tom. 2, pag. 470 seq.). Cfr. N. R. T. (XVI, 263 seqq.).

Q. 15. *Quinam* sint irregulares EX ABUSU ORDINIS seu 1°) ob

ORDINUM USURPATIONEM, 2°) ob ILLICITAM SUSCEPTIONEM?

R. Ad 1^{um}) *Ob Ordinum usurpationem*, irregulares sunt : *clerici exercentes Ordinem sacrum, quem non habent*, dummodo *serio*, *scienter* et *solemniter* ministrent. Constat ex Cap. 1 et 2, *de clerico non ordinato ministrante.*

Explanatur. Dixi : **1°) clerici**; quare si laicus celebret, non fit irregularis. Dixi : **2°) Ordinem,** non jurisdictionem; et ideo simplex sacerdos non fit irregularis excipiendo confessiones sacramentales : quia hic revera exercet actum ordinis, quem jam habet, licet careat jurisdictione (S. Lig. VII, 359); adeoque nec diaconus, sine delegatione presbyteri, extra casum necessitatis, solemniter baptizando : quia potestas baptizandi diaconis ex Ordinatione inest tota, prout presbyteris absolvendi; delegatio vero seu commissio jurisdictionem duntaxat confert. Dixi : **3°) sacrum**; quare ministrans in minoribus, quos non habet, non fit irregularis, cum in istis soleant etiam laici adhibitis vestibus celebrare. **Excipe** tamen : nisi alicubi vigeat consuetudo, ut Ordines minores a *solis* clericis, his Ordinibus initiatis, exerceantur. Dixi : **4°) serio**; nam si per jocum fit, aut ludum, aut docendi causa, irregularitas non incurritur, cum tunc non exercetur Ordo, sed ejus exercitium repraesentatur. Dixi : **5°) scienter**; unde si quis ex ignorantia etiam crassa ministret in Ordine quem non habet, credens se illum habere, vel ministerium, quod exercet, esse sui Ordinis, non fit irregularis. Dixi : **6°) solemniter,** i. e. cum ornamentis Ordinis propriis; si ergo clericus non subdiaconus cantat in missa solemni epistolam sine manipulo, non fit irregularis. Quod permitti non potest ex S. R. C. (18 Dec. 1874) « *extra casum absolutae et praecisae necessitatis.* » Contra fit irregularis, si exercendo in choro munus hebdomadarii seu officiatoris solemniter caneret orationem cum *Dominus vobis cum :* quia tale ministerium ex consuetudine a sacerdotibus seu diaconis exercetur (S. Lig. VII, 358).

R. Ad 2^{um}) *Ob vetitam Ordinum susceptionem*, irregularis est : qui post matrimonium, etsi non consummatum, *uxore invita, ordinatur in sacris*, ut constat ex Extrav. « ANTIQUAE CONCERTATIONIS » (*de voto*). Non vero, ut tradunt plures, qui ordinatur *ab episcopo non suo*, vel a suo, sed

excommunicato aut *haeretico denuntiato;* neque qui sine *absolutione a censura*, ut constat ex S. C. C. (13 Jan. 1688); vel *ante legitimam aetatem*, vel *extra tempora*, vel *per saltum*, vel *non observatis interstitiis;* nec qui *furtive*, i. e. omisso examine vel in eo reprobatus obrepit ad Ordines, nisi episcopo id sub excommunicatione prohibente.

Q. 16. *Quinam* sint irregulares EX VIOLATIONE CENSURAE?

R. Sunt sequentes.

Explanatur. 1°) *Clericus*, ligatus *excommunicatione majori*, *interdicto* vel *suspensione*, si, **serio, scienter** ac **solemniter,** Ordinem *sacrum*, quem habet, *exercet,* (vel etiam *minorem*, si alicubi forte vigeat consuetudo ut hi Ordines a solis clericis his Ordinibus initiatis exerceantur), nisi excusetur ratione necessitatis proximi, vel infamiae vitandae, vel metus gravis. Constat ex Cap. 18 *de Sent. excomm.* in 6. — **Hinc**, positis juxta dicta ponendis, si sacerdos suspensus ab Ordine celebrat, aquam de more benedicit, sacramentaliter absolvit fit irregularis; contra episcopus a Pontificalibus suspensus, si missam, etiam pontificaliter celebrat, non erit irregularis, quia actum principaliter Ordinis presbyteralis exercet (S. Lig. VII, 314). Qui vero **dubitans,** se esse ligatum censura majori, exercet actum Ordinis, evadit irregularis, si revera erat ligatus; secus vero, si postea comperiat, quod revera non erat tunc ligatus : nam irregularitas non incurritur ob conscientiam erroneam, sed ob violationem verae censurae. Imo, neque evadit irregularis, qui, *deposito tali dubio*, v. g. celebrat, quamvis postea comperiat, quod revera erat tunc ligatus : quia sic non peccavit et consequenter non incurrit poenam irregularitatis.

2°) *Sacerdos* **celebrans in loco interdicto** sine conditionibus requisitis. Ita ex cap. 18, *de Sent. excomm.* in 6. Reliqui, qui citantur, vel **certo** non sunt irregulares, vel **utrum** sint, DD. *disputant;* unde habetur dubium *juris*, ac proinde cessat irregularitas.

Q. 17. *Quinam* sint irregulares *ex delicto* INFAMANTE?

R. Sunt committentes delictum inducens infamiam *juris*, i. e. cui a jure annexa est infamia, ut constat ex Cap. *Infames* (caus. 6, q. 1).

Explanatur. Tales inter alios sunt *sodomitae*, *perjuri*, *adul-*

teri, *incestuosi*, *apostatae* a fide, *haeretici* formales, *schismatici*, *insequentes hostiliter Cardinales*, *raptores mulierum*, *monomachi* seu *duellantes*, eorumque *patrini*, etiamsi duellum fiat armis lethalibus quae non videntur inducere proximum ac facile mortis periculum, ut si committatur cum parvo cultro inter Germaniae universitatum alumnos, ut constat ex S. C. C. (9 Aug. 1890), et dictum fuit antea (tom. I, pag. 461). Qui *duellantes* eorumque *patrini* incurrunt praeterea irregularitatem ex delicto *homicidii* seu *mutilationis*, si ex duello homicidium vel mutilatio sequatur (tom. I, p. 463). — At delictum infamans, si excipias delictum *homicidii* seu *mutilationis*, necnon, juxta probabiliorem sententiam, crimen *haereseos*, debet esse **publicum** : alias non sequitur diminutio famae. Ex quo infertur generaliter, quod ob crimina *occulta* non incurratur irregularitas ratione *infamiae*. Si tamen postea crimen fieret publicum, statim oritur infamia, sicque incurritur irregularitas. Unde docet Laym. : quod commisso hujusmodi crimine infamante, etiamnum *occulto*, contrahatur infamia *fundamentaliter* atque in radice; accedente autem ejus publicatione, efficiatur infamia *formaliter*, inducens irregularitatem ipso facto.— Dixi : 1°) *si excipias delictum* **homicidii** *seu* **mutilationis**, quod sufficit esse occultum, ut constat ex speciali juris constitutione, ut infra dicetur. Dixi : 2°) *necnon*, *juxta probabiliorem sententiam*, *crimen* **haereseos** : quia haeretici, credentes haereticis eorumque receptatores, defensores et fautores in cap. 2 *de haereticis* in 6° indistincte declarantur irregulares, sicut indistincte excommunicantur. Attamen, juxta Reiff. *de haereticis* n. 255, « non *improbabile* videtur quod nec haereticus *occultus*, nec receptores vel defensores illius sint irregulares, » uti cum aliis tenet Laym. Nec obstat, quod Clem. VIII potestatem fecerit Inquisitoribus dispensandi ab irregularitate ex haeresi *occulta*, ut refert Suarez : notum enim est, has facultates plerumque concedi *ad cautelam*. — Itaque habetur *dubium juris*, nec proinde irregularitas intelligitur juxta dicta supra (pag. 352).

Q. 18. *Quinam* sint irregulares *ex delicto* : 1°) HOMICIDII ; 2°) MUTILATIONIS ?

R. Ad 1^{um}) *Ex delicto* HOMICIDII irregulares sunt, qui hominem, adeoque et foetum animatum, *injuste* occidunt, sive crimen *publice*, sive *clam* patratum sit, dummodo occisio

fuerit *voluntaria* sive *in se*, sive *in causa*, ita ut sit peccatum mortale.

Explanatur. Dixi : 1°) **injuste**; quare irregularis non fit, qui, *servato moderamine inculpatae tutelae* (t. I, pag. 453 seqq.), occidit injustum aggressorem tum vitae propriae, tum vitae alterius innocentis, tum, juxta communiorem sententiam, libertatis, honoris, vel bonorum temporalium, sive sui, sive alterius. — Dixi : 2°) *sive crimen* **publice,** *sive* **clam** *patratum sit.* Istud enim crimen, quamvis sit *occultum,* inducit irregularitatem, ut habetur in cap. ult. *de temporibus ordinationum* juncto Conc. Trid. Sess. XXIV de reform. cap. VI « *Liceat.* » — Dixi : 3°) **voluntaria**; unde irregularitas non incurritur ex homicidio mere *casuali*, quod contingit praeter intentionem operantis, adeo ut hic neque directe neque indirecte illud intenderit dando causam ejus valde propinquam, etsi forte culpam admiserit, debitam non adhibendo diligentiam ad illud praecavendum, ut si pater vel magister filium vel discipulum moderate verberant et postea casu mors accidat; quamvis occidens dederit operam rei *illicitae* vel *periculosae*, ut si clericus in venatione, quae ei prohibetur, casu hominem occiderit. — Dixi : 4°) **sive in se, sive in causa.** Hinc irregularitatem incurrunt : **A**) non solum homicida qui de facto alterum occidit, quamvis unum pro alio erraus occiderit, quia revera culpabiliter sanguinem fudit; sed etiam **B**) qui mandavit occidi, etsi vulnerari tantum, non occidi mandaverit, vel mandato suo id tantum effecerit, ut alter citius occideretur, dummodo certo sibi constet, vere hominem mandato suo occisum fuisse; **C**) qui se mutuo excitant, licet unus tantum occidat; et ita omnes *sponte* praeliantes in bello injusto irregulares fiunt, si ibi aliquis pereat (pag. 356); **D**) qui vi aut dolo fecerint, ne occisus sibi vel ne alius ei prospiceret; secus si alteri tantum persuaserint, ne occiso opitularetur.

Utrum vero irregularitatem quoque contrahant : 1°) qui consilium dederit occidendi; 2°) qui opem praebuerit ad patrandum homicidium; 3°) qui illud non prohibuit, cum ex justitia prohibere debuisset; 4°) qui ratum homicidium habuit; inter DD. *controvertitur.* Alii **affirmant**; alii **negant** : quia irregularitas non incurritur, nisi in jure sit expressa; quamvis interim fateantur, tales

peccare mortaliter contra justitiam et ad restitutionem damni teneri, necnon indignos esse, qui ad altaris ministerium admittantur. Ex quo **inferunt**, non incurrere irregularitatem judices et officiales non impedientes homicidia, quamvis ad id teneantur ex justitia; nec clericum qui cognovit foeminam, quae ex ipso concepit, et sciens ipsam procurare abortum foetus animati tacet, et non impedit : tum propter dicta, tum quia pater non tenetur lege justitiae defendre vitam filii, sed lege pietatis et officii paterni, ut notat Lessius.

R. Ad 2^um^) Irregulares sunt *ex delicto* MUTILATIONIS, qui *injuste*, sive alium, sive seipsos, *voluntarie* mutilant, etiamsi id fecerint *occulte*.

Explanatur. Tunc autem *proprie* habetur **mutilatio**, non quidem quando aliquis vulneratur, sed quando *membrum abscinditur*, i. e. quando *realiter separatur* a corpore *membrum proprie dictum*, seu pars aliqua principalis quae in corpore propriam et a ceteris distinctam functionem praestat, ut pes, manus, oculus, mamilla, uterque testiculus. Immo, ubi agitur de mutilatione *sui ipsius*, minor mutilatio sufficit ad irregularitatem incurrendam (tom. I, pag. 452), ut adeo quis irregularis fiat *ob saevitiam*, licet membri *partem* tantum sibi absciderit.

Resolvitur 1. Defectu **abscissionis** seu separationis, irregularis non fit : qui alicui membrum tantum graviter vulnerat, deformat, vel etiam totaliter inutile reddit, ut si quis obcoecaverit hominem privando visu, dummodo oculum non eruat : quia jura loquuntur de sola reali mutilatione, abscissione et amputatione membrorum; unde non valet argumentum, quod oculus excoecatus, licet secundum apparentiam non sit mutilatus, reipsa tamen ablatus censeatur. **Resol. 2**. Defectu **membri** proprie dicti, non fit irregularis : 1°) qui alteri amputaret *auriculas* vel *nasum*, dummodo non tollat etiam auditum vel olfactum, quia sic mutilaret membrum; 2°) qui *dentes* evelleret, quia non reputantur membra; aut *ungues*, *capillos*, *barbam* abscinderet; 3°) qui viro *unum* tantum *testiculum* auferret : quia unus non habet officium ab altero diversum, cum uterque ad eamdem operationem concurrant; secus dicendum, si mulieri vel unam *mamillam* abscinderet, quia unaquaeque mamilla proprium officium habet; 4°) qui amputaret alteri

pollicem *vel* indicem : quia non membrum, sed membri partem amputat. In casu tamen jussit S. C. C. (19 Jul. 1687), ut peteret dispensationem *ad cautelam*. At si amputaret *omnes digitos* vel pollicem *simul* et indicem, ex communi DD., irregularitatem incurreret, quia id, quod manet, non potest amplius dici membrum, cum absolute usum proprium habere non possit. Idem dicunt de eo, qui non habenti manum vel pedem abscinderet brachium vel crus : cum haec sint magna pars membri inservientis ad eorum usum; aut amputaret manum ei, qui caret omnibus digitis. Utrum 5°) irregularis fieret, qui alteri injuste amputaret membrum plane *aridum* vel *emortuum*, DD. *disputant*. Alii **affirmant** : quia proprie est hominis mutilator. Alii **negant** : quia talis non esset mutilatio formalis. **Resol. 3.** Irregularis foret **ob saevitiam**, qui *sibi* membri partem, v. g. digitum, nasum, auriculam, immo digiti partem absciderit, aut seipsum eviraverit, quamvis fecerit amore castitatis vel putans se obsequium praestare Deo, ut constat ex Cap. V, dist. 55 (tom. I, pag. 452).

Q. 19. *An* incurratur irregularitas in dubio *facti* de homicidio vel mutilatione?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Ubi **non constat**, homicidium seu mutilationem fuisse patratam, seu, aliis verbis : quandocumque **dubitatur de corpore delicti,** utrum scilicet homicidium vel mutilatio alicujus reipsa secuta sit necne, etsi constaret de cooperatione physica vel morali, *Negative*; unde post factam diligentem inquisitionem, dubio quocumque perseverante, secure procedis in sacris.—**Hinc** non est habendus ut irregularis, qui abortum procuravit, dubitans an foetus animatus esset necne, quia tunc non constat proprie de homicidio. Quam sententiam S. Lig. (III,396 et VII,347) vocat « *veriorem.* »

Ubi **constat de corpore delicti**, sed tantum **dubitatur**, utrum tua actione in illud influxeris, *subdistinguendum* est. Vel enim agitur **de homicidio**, vel **de mutilatione**.—Si **primum** : *Affirmative;* quia ob specialem indecentiam et deformitatem, si postea innotesceret homicidam ad sacrum ministerium accessisse, ita speciatim in jure expressum est, ut patet ex cap. XX et XXIV *de homic.* (pag. 352). Unde, homine occiso, qui dubitat an ipse illum occiderit,

irregularis est.—Si **secundum**: *Negative*, quia, pro solo dubio *homicidii* lex irregularitatem imposuit. Cfr. S. Lig. (VII, 347), dub. 3.

CAP. 3. De irregularitatis cessatione.

Q. 20. *Quibus* MODIS *cesset* seu *tollatur* irregularitas?
R. Tollitur sequentibus modis.

Explanatur. Tollitur : 1°) Per **cessationem causae**, ob quam est inducta, si irregularitas sit ex defectu, saltem regulariter loquendo, cum tunc tota ratio illius deficiat. Dixi **A**) **ex defectu** : quia si esset *ex delicto*, non cessat per delicti cessationem. Dixi **B**) **regulariter** : nam sunt quae non cessant per cessationem causae, qualis est irregularitas ex defectu : *sacramenti* (pag. 356); *lenitatis* (pag. 356 seqq.) *famae* (pag. 358 seq.).— Tollitur : 2°) Per **statutum generale juris**. Sic irregularitas ex defectu *natalium* (pag. 354) tollitur : tum *professione religiosa;* tum *legitimatione canonica*. — Ad **professionem** quod attinet, constat ex cap. « Ut filii », 1, *(de filiis presbyterorum)*, ubi legitur : « *Filii presbyterorum et ceteri ex fornicatione nati ad SS. Ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes; praelationem vero nullatenus habeant.* » Unde haec irregularitas tollitur tantum quoad *Ordinum* susceptionem; quare religiosus non potest promoveri ad *praelaturam*, et si religionem dimiserit, non poterit obtinere *beneficia*, praesertim curam animarum habentia, sine dispensatione. — Quod vero **legitimationem canonicam** attinet, haec duplici modo fieri potest : **A**) *ab homine*, i. e. per rescriptum R. Pontificis, ad quem solum pertinet legitimare quoad spiritualia, i. e. aliquem reddere habilem ad Ordines, beneficia, perinde ac si esset legitimus; **B**) *ab ipsomet jure*, ut habetur in cap. « Tanta, » titulo : *Qui filii sint legitimi*, ubi dicitur filios illegitimos *naturales* (pag. 355) legitimari per subsequens matrimonium parentum, etiam irritum, si bona fide neque neglectis denuntiationibus initum fuit.—Tollitur: 3°) Per **dispensationem.**

Q. 21. *Quis* possit DISPENSARE super irregularitatibus?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) R. *Pontifex*, et quidem solus, **jure proprio**

potest dispensare super omnes irregularitates juris ecclesiastici. Ratio : quia qui legem condit, eam potest relaxare, et inferior non potest in lege superioris dispensare.

2°) **Ex delegatione generali RR. Pontificum,** in jure expressa, scilicet in C. Trid. (Sess. XXIV *de refor.* cap. *Liceat*) *Episcopi* cum suis subditis dispensare possunt in omnibus irregularitatibus **ex delicto occulto,** i. e. quod non possit per duos testes probari, et **ad forum contentiosum nondum deducto,** i. e. cujus delatio nondum facta est judici nec reo intimata : excepta ea, quae oritur *ex homicidio voluntario,* i. e. ut heic interpretantur DD., quod quis sponte et ex proposito admisit, ut adeo non comprehendatur hoc loco homicidium quod quis admisit, ut se tueretur, etsi multum excesserit moderamen inculpatae tutelae, nec cujus quis reus fuerit tantum in causa. Interim haec facultas dispensandi non competit episcopis illarum regionum, in quibus decreta disciplinaria C. Trid. non sunt recepta, ut declaravit S.C.C. ap. Fagn. (cap. *Dilectus*, 15, *de temporibus Ordinationum*). Et merito quidem, ut notat Bened. XIV (*de Synod.* IX.V, 2), inquiens: « *Neque aequum est, ut id commodi ex Concilio reportent, qui ejus onera subire detrectent.* » Cfr. N. R. T. (XXII, 395). — At in irregularitatibus **ex defectu** episcopi *regulariter* nihil possunt. Dico: **regulariter**; nam dispensare possunt : **A**) Cum *illegitimo* sed tantum ad Tonsuram, Ordines minores et ad beneficium simplex, non requirens majorem Ordinem. **B**) *Urgente magna necessitate*, quando dispensandus Romam personaliter adire nequit, dummodo irregularitas ex defectu sit *occulta*. Hujusmodi necessitas saepius contingere potest quoad Ordines *exercendos ;* vix autem quoad eorum *susceptionem*, nisi ordinatio sine gravi perturbatione, scandalo aut infamia differri nequiret. **C**) *In casu dubii.* Sed tunc dispensatio non fit nisi ad cautelam, cum in materia irregularitatum ex communi doctrina admittatur, *per se* licitum esse, non tantum in dubio *juris*, sed etiam in dubio *facti*, se gerere veluti nulla sit irregularitas (pag. 352). — **Episcopum** autem heic intelligimus, si agatur de ordine *suscipiendo*, cum cujus est ordinare; si vero de ordine *exercendo*, etiam episcopum quasi-domicilii. Imo probabile est, episcopum tunc dispensare posse etiam clericum *alienum*, si non accesserit *in fraudem* sed bona fide, ut non privetur consolatione sacrum mysterium celebrandi.

3°) Quando autem dispensare possunt **Episcopi,** possunt etiam *Praelati regulares* cum suis subditis, et *confessarii regulares* cum saecularibus (S. Lig. VII, 355 et 396), saltem si talis facultas ipsis fuerit concessa.

Q. 22. *Quaenam* sint observanda circa MODUM *postulandi* et *exsequendi* dispensationem super irregularitatibus?

R. Observentur sequentia.

Explanatur. 1°) Si **Papam** adire necesse sit, libellus supplex porrigatur S. POENITENTIARIAE vel DATARIAE, prout irregularitas est *occulta* vel *publica*. 2°) In libello exponatur **a quanam irregularitate** et **ad quem effectum** postuletur dispensatio. Ratio *primi* est: quia non tolluntur, nisi quae exprimuntur. Ratio *secundi* est: quia dispensatio quantumvis absolute sit facta, non censetur comprehendere praelaturam majorem neque etiam officium et beneficium praesertim cum cura animarum, siquidem, ut traditur in regulis Juris: *in concessione generali ea non veniunt quae superior forte non esset in specie concessurus;* et aliunde *quae exorbitant a jure communi, non sunt ad consequentiam trahenda.* 3°) DATARIA Breve dispensationis dirigit ad **episcopum** vel ejus officialem. POENITENTIARIA rem demandat communiter **confessario.** 4°) Non est specialis solemnitas requisita **ad validitatem** dispensationis; attamen confessarius, si facultatem dispensandi super irregularitate obtinuerit, post datam absolutionem a peccatis, si ea fuerit injuncta vel sponte petita, hac utitur forma quam **praescribit** RIT. ROM.: « *Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate* (vel *irregularitatibus*, si sint plures), *in quam* (vel *in quas*) *ob talem causam* (vel *tales causas*, eas exprimendo) *incurristi: et habilem reddo et restituo te exsecutioni Ordinum et officiorum tuorum. In nomine Patris,* † *et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Si nullum habeat Ordinem, dicatur: *Habilem reddo te ad omnes* Ordines *suscipiendos*, vel etiam ad alia, juxta tenorem mandati. » 5°) Licet sacerdos simpliciter approbatus super irregularitate dispensare nequeat, potest tamen a peccatis irregularitatem adnexam habentibus, si illa non sint reservata, **absolvere**: irregularitas enim ex se non arcet nisi a sacramento Ordinis et stare potest cum statu gratiae.

DE POENIS CANONICIS.

PRAEAMBULUM. Disserendum superest de **Poenis Canonicis**. Quem tractatum, absolutis prius quibusdam NOTIONIBUS PRAEVIIS circa *quidditatem* et *distinctionem* poenarum canonicarum, **duplicem** in partem dividemus.

Prima pars erit de poenis **vindicativis**, scilicet : de *depositione*, et *degradatione;* ubi et sermo erit de *cessatione a divinis*.

Secunda pars tractabit : de poenis **medicinalibus** seu **censuris** et DUPLEX erit sectio. PRIMA SECTIO erit de *censuris in genere;* ubi, sub diversis capitibus, agetur : 1°) de *quidditate* et *divisione* censurarum ; 2°) de *potestate ferendi* censuras, ubi de *forma essentialiter servanda* et *monitionibus praemittendis;* 3°) de *subjecto* censurae; 4°) de *materia* censurarum; 5°) de *causis excusantibus* ab incurrendis censuris : 6°) de *absolutione* censurarum. SECUNDA SECTIO erit de *censuris in specie*, scilicet 1°) de *excommunicatione;* 2°) de *suspensione;* 3°) de *interdicto*.

His addetur *Duplex Appendix*, quarum *prima* complectetur **Adnotationes** in Const. PII IX « *Apostolicae Sedis*, » qua censurae *latae sententiae* limitantur: *secunda* vero : **Adnotationes** in Const. LEON. XIII « *Officiorum ac munerum* » quae tractat de *prohibitione* et *censura librorum*.

Notiones praeviae.

Q. 1. Dic : 1°) *quid*, et 2°) *quotuplex* sit POENA *canonica?*

R. Ad 1^{um}) *Poena canonica* est justa delictorum coercitio, quae ab Ecclesia seu potestate ecclesiastica per CC. vel secundum CC. infligitur, vel *in rei castigationem*, adeoque in bonum ipsius societatis seu disciplinae publicae custodiam ; vel *in rei emendationem*, adeoque in bonum ipsius delinquentis.

Explanatur. Dicitur : **1°) per canones,** ut intelligatur poena *ipso jure* imposita. Dicitur : **2°) *vel* secundum canones**; ut innuatur poena *ab homine*, juxta praescriptum tamen SS. Canonum inferenda.

R. Ad 2^{um}) Multae sunt *poenae canonicae*, quarum, ut patet ex data definitione, A) aliae sunt poenae *vindicativae*, quae infliguntur ad punitionem delinquentis atque adeo de natura sua sunt perpetuae, quales praecipuae sunt : DEPOSITIO et DEGRADATIO ; B) aliae sunt poenae *medicinales*, quae principaliter ordinantur ad rei correctionem, atque adeo, rece-

dente delinquentis contumacia, tolli debent (pag. 349); quales sunt CENSURAE, quarum tres numerantur species : *excommunicatio*, *suspensio* et *interdictum*.

PARS PRIMA.

DE POENIS VINDICATIVIS.

CAP. UNIC. De depositione et degradatione. Ubi de cessatione a divinis.

Q. 2. *Quid* sit DEPOSITO?

R. DEPOSITIO est poena canonica *vindicativa*, per quam clericus, ob enorme crimen, privatur in perpetuum Ordinis exercitio, jurisdictione et beneficio, retento tamen privilegio clericali canonis et fori.

Explanatur. Dixi : 1°) **ob enorme crimen**; unde quamvis ex jure antiquo ferri possit depositio ob clerici adulterium, stuprum, furtum, homicidium et his majora crimina, hodie tamen ob haec ferri non debet, nisi ex circumstantiis evaserint valde scandalosa et atrocia. Dixi : 2°) **in perpetuum**; unde est poena *de se* irremissibilis, ita ut *regulariter* nonnisi ex plenitudine potestatis pontificiae depositus in pristinum suum locum restitui possit. *Excipe*, si delictum, ob quod quis est depositus, fuerit minus adulterio, quo casu poterit episcopus dispensationem concedere post peractam poenitentiam, ut habetur in cap. « AT SI CLERICUS, » *de judiciis*. Dixi : 3°) **Ordinis exercitio**; cum itaque depositus non privetur ipso Ordine, qui est character indelebilis, hinc etsi illicite, valide tamen exercet actus Ordinis, excepta absolutione sacramentali, quae est etiam actus jurisdictionis; hinc quoque non est privatus oneribus adnexis Ordini sacro, puta obligatione recitandi horas, voto castitatis, et consequenter invaliditate matrimonii contrahendi. Dixi : 4°) **jurisdictione et beneficio**; hinc depositus non potest extra mortis articulum quemquam valide absolvere; hinc quoque non tantum amittit fructus beneficii, sed ipso jure privatur titulo et radice beneficii. Dixi : 5°) **retento tamen**, etc.; unde percutiens depositum incurreret excommunicationem.

Q. 3. Dic : 1°) *quid*, et 2°) *quotuplex* sit DEGRADATIO; et 3°) *a quo* fieri debeat?

R. Ad 1^{um}) DEGRADATIO est poena canonica *vindicativa*, qua clericus, ob crimen gravissimum, privatur in perpetuum non solum Ordinis exercitio, jurisdictione et beneficio, sed insuper omni clericali privilegio, ita ut nulla ratio status clericalis in eo amplius sit habenda, sed a potestate saeculari judicari, in carcerem detrudi et secundum leges civiles condemnari possit, ac si laicus esset. Unde quoque violentas manus in degradatum injiciens excommunicationem non incurreret. Interim degradatus tenetur ad votum castitatis et ad horas canonicas, nisi has poena, ad quam damnatur, v. g. triremes, vel aliud impediat.

Explanatur. Dixi : 1°) **ob crimen gravissimum**; unde perversitas clerici adeo patens esse debet, ut in profundum malorum jure merito pervenisse censeatur. **Casus** praecipui indicantur : *crimen haeresis manifestum*, quod maxime procedit in relapso et incorrigibili; *falsificatio litterarum apostolicarum*; *sodomia frequentata et notoria; gravissima calumnia in proprium episcopum.* Dixi : 2°) **in perpetuum**; unde juste degradatum nullus alius praeter Pontificem restituit.

R. Ad 2^{um}) DEGRADATIO est *duplex* : VERBALIS et REALIS.

Explanatur. Prima, seu **verbalis,** est ipsa degradationis sententia; secunda, seu **realis,** est tristissima illa caeremonia, in PONTIFICALI ROM. descripta, qua episcopus clericum verbali degradatione jam condemnatum sacris spoliat insignibus et curiae tradit saeculari. Et quidem **jure antiquo** statutum fuerat, ut in degradatione **diaconi** interessent *tres episcopi;* in degradatione **presbyteri** *sex;* et in **episcopi** degradatione *non minus duodecim.* At **jure novissimo** TRIDENTINI (sess. XIII, cap. IV *de reform.*), episcoporum loco permittuntur *abbates* vel *alii in dignitate ecclesiastica constituti.*

R. Ad 3^{um}) DEGRADATIO clerici *saecularis*, etiam presbyteri, spectat ad proprium episcopum. DEGRADATIO clerici *reli-*

giosi exempti spectat ad R. Pontificem, nisi ex consuetudine aut privilegio spectet etiam ad Praelatum regularem. DEGRADATIO *episcopi* unice spectat ad Papam.

Q. 4. *Quid* 1°) sit CESSATIO A DIVINIS, et 2°) *quinam* sint ejus EFFECTUS?

R. Ad 1um) CESSATIO A DIVINIS, quae etiam dicitur *suspensio organorum*, est desistentia a divinis officiis et administratione sacramentorum ex simplici prohibitione Ecclesiae.

Resolvitur. Hinc non est proprie **poena canonica**, cum aequaliter respiciat innocentes et delinquentes, sed simplex prohibitio facta in signum gravissimi doloris ab Ecclesia concepti ob gravem injuriam sibi vel divino honori illatam, qualis est violenta abductio episcopi, publica Eucharistiae profanatio, furtum sacrilegum et gravissimum in Ecclesia commissum, etc.; afficitque omnes, qui in eo loco sunt.

R. Ad 2um) Certa ab incertis sunt hic discernenda.

Explanatur. Per eam *certo* prohibentur: 1°) **publica officia divina**; 2° **administratio sacramentorum** in loco, in quo est illa cessatio, non tamen *omnium :* quia ea possunt sacramenta administrari, quae possunt in INTERDICTO, cum quo tamen CESSATIO A DIVINIS, quippe ne quidem *poena* sit, nullatenus est confundenda; unde quoque qui eam impositam violat, etsi graviter peccet, irregularis tamen non fit, cum nullam censuram violet. *Utrum* 3°) prohibeatur **ecclesiastica sepultura**, DD. *disputant*. Alii **distinguunt** : scilicet *affirmant* quoad LAICOS, sed *negant* quoad CLERICOS Alii simpliciter **negant** : quia nomine divinorum officiorum, quibus privat cessatio a divinis, non venit sepultura ecclesiastica. Unde, juxta hanc sententiam probabilem, tempore CESSATIONIS, non solum *clerici*, quod omnes admittunt, sed etiam *laici* sepeliri possunt in loco sacro, sed absque solemnitatibus.

PARS SECUNDA.

DE POENIS MEDICINALIBUS SEU CENSURIS.

SECTIO 1ª.

DE CENSURIS IN GENERE.

CAP. 1. De quidditate et divisione censurarum.

Q. 5. *Quid* sit CENSURA?

R. CENSURA, sic dicta a *Censore*, cujus in Romana Republica officium erat mores civium corrigere, ex communi DD. cum S. THOM. (*Suppl.* q. 21-27), est *poena ecclesiastica medicinalis, per quam homo viator, baptizatus, delinquens, contumax et subditus censuranti, privatur usu quorumdam bonorum spiritualium.*

Explanatur. Dicitur : **A) poena ecclesiastica**; per quod convenit cum aliis poenis, v. g. *depositione* et *degradatione*; differt vero : tum a *cessatione a divinis*, quae poena non est, sed prohibitio facta in signum luctus et tristitiae; tum ab *irregularitate* EX DEFECTU, quae poena non est, quippe quae sine culpa contrahitur; tum ab *irregularitate* EX DELICTO, quae non tam est poena, quam inhabilitas ad sacrum altaris ministerium ex delicto proveniens.

Dicitur **D) medicinalis**; i. e. inflicta ut reus emendetur et resipiscat. Ex quo tamen non inferas, censuram non posse ferri in eos, qui non videntur corrigi : quia id est *per accidens*, neque adeo tollitur vis et natura censurae. Hinc de ratione censurae est, ut sit vinculum *dissolubile*, per absolutionem solvendum, statim atque peccator emendatus fuerit. Per hanc autem vocem, censura differt a meris poenis quae infliguntur ad punitionem delinquentis, v. g. a *depositione* et *degradatione*; item ab *irregularitate* EX DELICTO : quae licet naturam poenae etiam induat, non est tamen poena *medicinalis*, sed *mere punitiva* de se perpetua (p. 349 seq.).

Dicitur : **C) homo viator, baptizatus, delinquens, contumax** et **subditus censuranti**; ut exprimantur conditiones in illo requisitae, in quem ferri possunt censurae. — Nam **1°**) cum

censura sit **actus jurisdictionis ecclesiasticae**, ut aliquis sit ei obnoxius, debet esse *homo viator baptizatus* et *subditus censuranti*. **Hinc** : **a**) *anathema*, quod legitur quandoque latum in creaturas *irrationales*, v. g. in plantas aut animalia nocentia, non censuram sed meram exsecrationem significat. **Hinc** : **b**) dum *mortuus* excommunicatur, id cum Bill. debet intelligi : vel de quadam *exsecratione* seu *detestatione*; vel de *declaratione* excommunicationis, quam ante mortem incurrerat et a qua non fuerat absolutus; vel de excommunicatione *indirecta*, quatenus *directe* praescribitur vivis ne pro eo orent, aut eum in loco sacro sepeliant. Sic et mortuus ob factam poenitentiam quandoque *absolvitur* a censuris, quatenus permittitur, ut alii eum in loco sacro sepeliant et pro eo orent. **Hinc** : **c**) censura ferri non potest in *judaeos* aliosque *infideles;* potest vero in haereticos, apostatas et schismaticos : quia hi, non illi, subsunt Ecclesiae. **Hinc** : **d**) *Papa* nulla censura ligari potest, quia superiorem in terris non habet, cui spiritualiter subjectus sit; nec ullus alius superior potest incurrere censuram a se latam : quia nemo tenetur suis legibus quoad vim coactivam et poenalem (tom. I, pag. 129). — **2°**) Cum sit **Poena**, supponit *delictum*. — **3°**) Cum sit **medicina**, requirit ulterius, ut delictum illud adnexam habeat *inobedientiam* seu *contumaciam*, qua reus Ecclesiae monentis aut praecipientis auctoritatem spernere censeatur. Quod tamen non ita intelligas, quasi requiratur contumacia seu contemptus formalis : sufficit enim inobedientia generalis seu contemptus interpretativus, in hoc consistens, quod quis sciens quidpiam ab Ecclesia esse prohibitum sub censura, nihilominus illud facere non vereatur. **Hinc** censura non contrahitur ob delictum quod sub nulla censura vetitum est; nec potest irrogari in delictum omnino praeteritum, nisi habeat tractum *successivum*, i. e. nisi aliquo modo perseveret ratione scandali, vel restitutionis non factae, vel perseverantiae in peccato post monitionem : quia abest contumacia. Quare si suspensio vel interdictum ferretur in odium culpae mere praeteritae, non esset censura proprie dicta, sed poena pure vindicativa.

Dicitur : **D**) **usu quorumdam bonorum spiritualium**; scilicet **externorum** et **communium**, cujusmodi sunt : publica Ecclesiae suffragia, indulgentiae, spiritualis jurisdictio, sacrificia et sacramenta, ecclesiastica beneficia aliaque dispositioni Ecclesiae

subjacentia, quorum proinde usum activum et passivum interdicere potest, vel in toto, vel in parte. Bona enim **interna, propria** seu **privata**, qualia sunt character, potestas ordinis, gratia, virtutes, earumque bona opera tum secundum vim merendi, tum etiam impetrandi et satisfaciendi juxta propriam operantis intentionem et applicationem, cum Ecclesiae jurisdictioni non subsint, ab ea eripi nequeunt. Quod si censura privet aliquando etiam bonis **corporalibus** et **temporalibus**, v. g. convictu et consortio humano, ingressu Ecclesiae, sepultura ecclesiastica et fructibus beneficii, id facit *secundario*, et *indirecte*, in quantum conducunt ad bona spiritualia. — Ideo autem additum est : **usu** ; quia de ratione censurae est, non quidem bona ipsa, sed tantummodo ipsorum usum auferre. Sic censura *suspensionis* a beneficio privat clericum redditibus beneficii, non ipso beneficio, ut faciunt *depositio* et *degradatio*. —Ex dictis **patet**, quod propositio XLVI Conc. Pistoriensis asserens : «*effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriori communicatione Ecclesiae*,» quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in coelo, animas obligans, a Pio VI merito rejecta fuerit, ut « *falsa, perniciosa, in art. 25* Lutheri *damnata, ad minus erronea.*»

Q. 6. *Quomodo* censura *dividatur?*
R. *Multipliciter* dividitur.

Explanatur. 1°) Ratione **specierum** : in *excommunicationem, suspensionem* et *interdictum*. **2°**) Ratione **causae efficientis** : in censuram *a jure* et censuram *ab homine*. **3°**) Ratione **formae** qua fertur : in censuram *latae sententiae* et censuram *ferendae sententiae*. **4°**) Ratione **ministri** ad quem pertinet facultas absolvendi : in *reservatam*, a qua absolvere tantum potest ille, qui eam tulit, vel ejus successor, vel superior, vel appellationis Judex ; et *non reservatam*, a qua absolvere potest quilibet confessarius aut quilibet saltem episcopus, si lata sit a Concilio generali aut a Papa.

Q. 7. *Quae* sit 1°) censura a jure: *quae* vero 2°) ab homine; 3°) *quomodo* inter se differant?

R. Ad 1^um^) Censura a jure dicitur illa : *quae per ipsam legem infligitur*, i. e. quae *perpetuo* et *generali* statuto

lata est contra omnes subditos, qui illud fuerint transgressi. Tales sunt censurae juris canonici per totam Ecclesiam, constitutionum synodalium vel provincialium per dioecesim vel provinciam.

R. Ad 2um) Censura AB HOMINE dicitur ea : *quae per mandatum infligitur*, i. e. quae fertur a superiore ecclesiastico per sententiam seu praeceptum temporale ac transitorium. Et haec potest esse : vel 1°) PARTICULARIS, quae alicui ob contumaciam nominatim infligitur per sententiam *particularem* : v. g. *Petrus excommunicationi subjaceat, nisi intra annum restituat:* vel 2°) GENERALIS, quae per *generalem* sententiam fertur; idque sive ex causa *generali* et *indeterminata* : v. g. *qui furtum sacrilegum commiserit, excommunicatus esto;* sive ex causa et facto *particulari* : v. g. *qui nuper orto incendio quidquam abripuit, excommunicatus sit, nisi intra triduum restituat.*

R. Ad 3um) DIFFERUNT in *quatuor* hisce sequentibus.

Explanatur. 1°) Censura **a jure** est *perpetua* et durat usque dum lex abrogetur. At censura **ab homine,** mortuo superiore vel jurisdictione privato, corruit, si non sit contracta. Ex quo colligitur, si judex sententiam excommunicationis in aliquem ferat sub conditione : *nisi intra mensem restituerit* et nondum elapso mense judex moriatur, non contrahi excommunicationem. **2°)** Censura **a jure** semper est *generalis* et omnes subditos capaces afficit. At censura **ab homine** potest esse vel *specialis*, vel *generalis*, juxta modo tradita. **3°)** Censura **a jure** non est *reservata*, nisi exprimatur; at censura **ab homine** semper est *reservata*, nisi per sententiam generalem lata sit. **4°)** Censura **a jure** semper est *justa*, utpote vera lex. At censura **ab homine** potest esse vel *justa* vel *injusta*. PRIOR ea est : *quae nullo defectu laborat;* POSTERIOR vero : *quae aliquo inficitur defectu :* qui, si fuerit *accidentalis* tantum, censura erit *injusta* et *valida*, ut si feratur ex perverso motivo; si omittatur *trina* admonitio; si paulo gravior imponatur poena, etc. Erit autem *injusta et invalida*, si defectus fuerit *substantialis :* sive ex parte judicis, qui jurisdictione caret; sive ex parte subjecti, cujus culpa vel evidenter nulla est, vel non sufficienter probata;

sive ex parte juris, cujus ordo substantialis omissûs est. — Interim si *publice* non constet de censurae invaliditate, haec ratione scandali servanda est coram iis quibus explorata non esset censurae nullitas. Violatio tamen hujus censurae irregularitatem non induceret, «*cum ipsi desit, secundum rei veritatem, canonicum fundamentem,*» ut ait CABASSUT., (l. v, c. X).

Q. 8. *Quae* 1°) sit censura LATAE; *quae* vero 2°) FERENDAE sententiae; et 3°) *quomodo* una ab altera DISCERNATUR?

R. Ad 1^{um}) Censura LATAE sententiae illa est : *quae statim ipso facto seu crimine admisso incurritur citra ulteriorem condemnationem alicujus.*

Resolvitur. Propositio XLVII Synodi PISTORIEN. «*quae tradit, necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut, sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem, praecedere debeat* **examen personale**, *atque adeo sententias dictas* IPSO FACTO *non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu,*» a PIO VI damnata fuit, tanquam « *falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae potestati injuriosa, erronea,*»

R. Ad 2^{um}) Censura vero FERENDAE sententiae, quae etiam dicitur *comminatoria*, ea est, *quae primum incurritur per judicis sententiam condemnatoriam.*

R. Ad 3^{um}) Varia sunt *signa* ad hoc discernendum.

Explanatur. Signa censurae **latae sententiae** sunt : **1°**) istae vel similes voces : *ipso jure, eo ipso, ex tunc, sine ulla sententia*, etc.; **2°**) verbum praesentis vel praeteriti temporis : v. g. *sit excommunicatus, excommunicatur, excommunicationis sententia duximus innodandum, noverit se excommunicatum.* Signa vero censurae **ferendae sententiae** sunt : **1°**) verba comminatoria, v. g. *praecipimus* SUB POENA *excommunicationis*, SUB INTERMINATIONE *anathematis;* **2°**) verbum futuri temporis, v. g. *qui hoc fecerit, excommunicabitur*, vel *statim erit excommunicandus;* **3°**) verba quae judicis actionem exigunt, ut v. g. *excommunicetur, suspendatur*, etc. **In dubio**, an censura sit *latae* an *ferendae* sententiae, censetur, cum BILL. et communi, esse *ferendae*, juxta reg. juris 49 in 6 : « *In poenis benignior est interpretatio facienda.* »

CAP. 2. De potestate ferendi censuras. Ubi et de forma essentialiter servanda et monitionibus praemittendis.

Q. 9. *An* 1°) in Ecclesia detur POTESTAS *ferendi* censuras; 2°) *quotupliciter* haec DISTINGUATUR; et *quaenam* 3°) requirantur, ut VALIDE exerceatur?

R. Ad 1^{um}) Dari in Ecclesia *potestatem* ferendi censuras, est de fide ex Conc. CONST. (Sess. VIII, et Sess. XV).

Explanatur. Ibi enim (Sess. VIII) damnatur error WICLEFFI sub n. 30 : «*Excommunicatio Papae vel cujuscumque Praelati non est timenda : quia est censura* ANTICHRISTI.» Et (Sess. XV) damnatur error JOAN. HUSS. sub n. 19 : «*Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis et interdicti ad sui exsaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam praeparat* ANTICHRISTO. *Signum autem evidens est, quod ab* ANTICHRISTO *tales procedunt censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos qui denudant nequitiam* ANTICHRISTI, *qui clerum pro se maxime usurpabit.*» — Porro dari in Ecclesia **potestatem** *ferendi censuras*, constat *ex perpetuo usu* et *praxi*, ab ipsis Apostolorum temporibus : legitur enim de S. PAULO (1 Cor. V, 3-5; 1 TIM. I, 20) quod aliquos *Satanae tradiderit*, i. e. excommunicaverit, ut SS PP. interpretantur. Eamdem potestatem significant illa verba Christi apud MATTH. (XVIII, 17) : «*Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*;» «ita, ait BILL., ut exclusus sit a communione fidelium, sicut ethnici et publicani erant tunc exclusi a communione Judaeorum.» Accedit ipsa *ratio* : nam ut iterum recte docet BILL., «in omni republica bene ordinata debet esse potestas privandi subditos bonis communibus, quando id ipsi meruerunt, et bonum commune exigit : id per se patet. Atqui Ecclesia, a Christo instituta, est respublica bene ordinata et censura nihil aliud est quam privatio bonorum communium spiritualium,» ut patet ex dictis.— Nec **objicias** : Maledicere christiano peccatori, ipsum tradere Satanae hosti infensissimo et ipsum privare mediis resipiscendi, sapit crudelitatem et vergit in destructionem, non in aedifi-

cationem. Atqui ista fiunt per censuras, praesertim per excommunicationem. Ergo potestas Ecclesiae, quae est ad aedificationem et non ad destructionem, non est ad ferendas censuras. **Respondet** BILL. ex S. THOM. (*Suppl.* q. 21, a. 2 ad 1 et 3) : « *Dist. Maj.* Ista sapiunt crudelitatem, etc., si in iis sistatur, *Conc.* Si ordinetur ad salutem peccatoris et bonum commune, *Neg.* Ad cujus sensum *distincta Min.*, *Neg. Conseq.* Itaque 1°) Ecclesia maledicendo peccatori per censuras, non sistit in malo quod irrogat, sed illud ordinat ad bonum illius, sicut medicus aliquod nocumentum infert infirmo, ut sectionem, per quam ab infirmitate liberatur. 2°) Non est inconveniens quod, qui non est desperatus, hosti tradatur, non damnandus, sed corrigendus, praesertim cum sit in potestate ex hostis manu ipsum, cum voluerit, eripere. 3°) Non privatur excommunicatus omnibus mediis resipiscendi, sed aliquibus tantum; et hoc quandoque expedit ejus bono, ut pudore suffusus humilietur et agnoscens suam miseriam ab ea resipiscat. Sic Deus aliquando hominem relinquit, ut subtractis auxiliis quibus a malo praepediebatur suam infirmitatem cognoscat, et humilis ad Deum redeat, a quo superbus recesserat. Sic in humanis infirmus qui non vult obedire medico, ab eo deseritur, ut desertus, premente necessitate, ipsum requirat et obediat.» Tum addit BILL. : « Si quidam SS. Patres videantur improbare censuras, loquuntur de iis qui non intuitu boni, sed ex odio aliquos separant ab Ecclesia sine spe redeundi. »

Resolvitur. Ex dictis sequitur, hanc potestatem ortum suum habere ab ipso **jure divino,** licet determinatio censurarum sit *juris humani ecclesiastici.*

R. Ad 2^{um}) POTESTAS ferendi censuras *dupliciter* distinguitur : *ordinaria* et *delegata.* PRIOR competit alicui ex vi officii; POSTERIOR ex commissione alterius, cujus vicem gerit.

Explanatur. Et quidem 1°) potestas **ordinaria** est in omnibus et solis praelatis ecclesiasticis habentibus jurisdictionem ecclesiasticam fori externi non impeditam; adeoque respectu totius Ecclesiae in R. PONTIFICE, et CONCILIIS GENERALIBUS tantum; in aliis vero solum respectu sibi subditorum in foro externo, quales sunt : EPISCOPI in suis dioecesibus, etsi tantum sint confirmati et nondum ordinati : quia ferre censuram non est actus ordinis, sed solius juris-

dictionis; Archiepiscopi tum in dioecesibus propriis, tum in dioecesibus suffraganeorum tempore visitationis, necnon cum agitur de causa ad eorum tribunal delata : quia tunc jurisdictione in suffraganeos pollent; praedictorum Vicarii generales, cum unum tribunal cum episcopis constituant; Legati a latere in provincia suae legationis; Cardinales in ecclesiis sui tituli; sede vacante Capitulum, dein Vicarius capitularis; Concilia provincialia in tota provincia; Abbates et Superiores regularium respectu suorum subditorum. — Non est autem in Parochis, utpote quibus in suos parochianos sola competit jurisdictio fori interni poenitentialis, licet ex S. Thom. (*Suppl.* q. 22, a. 1) et cap. « Cum ab Ecclesiarum » *(de off. Judic. ordin.)* id in *certis casibus* olim fuerit a jure concessum parochis; neque in Abbatissis, quia jurisdictionis ecclesiasticae sunt incapaces, saltem *jure humano;* unde si aliquando dicantur suas subditas vel etiam clericos sibi subjectos posse ab officio et beneficio suspendere, id non de suspensione quae sit censura, sed de simplici prohibitione celebrandi et substractione fructuum debet intelligi. Quod patet ex ipso cap. « Dilecta » *(de majorit. et obed.)*, ubi Pontifex jubet cuidem Abbati, ut *per censuras* compellat hos inobedientes parere Abbatissae, quod clare ostendit ipsam ferre non potuisse censuram.

2°) Potestas vero **delegata** est in iis, quibus est commissa legitime ab habentibus potestatem ordinariam. Dixi : **legitime**; unde excluduntur illi, qui sunt incapaces talis commissionis vel jure *divino*, ut non baptizati; vel jure *humano* tantum, ut laici, cum quibus proin R. Pontifex possit in hoc dispensare.

R. Ad 3^{um}) Ut potestas ferendi censuras *valide* exerceatur, requiruntur haec *quinque* sequentia.

Explanatur. 1°) *Ut jurisdictio non sit* **impedita,** puta ob legitimam appellationem debito tempore interpositam, aut si v. g. ferens censuram foret publice et nominatim excommunicatus aut suspensus, ut constat ex Cap. « Audivimus » (caus. 24, q. 1). 2°) *Ut ferens censuram* **libere** *agat,* et consequenter habeat usum actualem rationis. 3°) *Ut censura feratur in* **subditos.** 4°) *Ut in eam ferendo servetur forma* **essentialis.** 5°) *Ut causa eam ferendi non* **deficiat.** — Defectus autem causae *triplici* modo contingere potest :

vel quando delictum *non adest nec in judicio probatur;* vel quando *adest et non probatur;* vel quando *non adest et probatur*. In PRIMO casu, censura est nulla; in SECUNDO, DD. *disputant;* in TERTIO, non ligat *in conscientia*, servanda tamen est in foro *externo* (pag. 378).

Q. 10. *An* EPISCOPUS posset ferre censuram, si sit *extra* dioecesim?

R. *Negat.*, generatim loquendo.

Explanatur. Ratio est : quia nemo potest in alieno territorio jurisdictionem contentiosam exercere. Persaepe enim requiritur instructio et cognitio causae, quae communiter extra proprium locum fieri nequeunt.— Dixi : **generatim loquendo**; nam excipiunt DD. : 1°) Si contumacia sit **tam manifesta,** ut non indigeat cognitione causae (cap. « *manifesto,* » caus. 2, q. 1). 2°) Si causa jam sit cognita **in proprio territorio.** 3°) Si censura feratur non per modum sententiae, sed **per modum praecepti** ad futura crimina praecavenda. 4°) Si episcopus sit **injuste expulsus** a sua dioecesi, quo casu potest in locis vicinioribus suam jurisdictionem exercere, petita, licet non obtenta, licentia ab Ordinario loci. 5°) Si **Ordinarius illius loci consentiat,** dummodo ex S. LIG. (VII, 21) partium etiam consensus accedat, quia nemo invitus trahi potest extra suum territorium.

Q. 11. *Qualis* forma ESSENTIALITER requiratur in ferendis censuris?

R. Forma ESSENTIALIS cujusvis censurae est : 1°) *ut exprimatur per signum aliquod externum;* 2°) *ut determinetur quoad ipsam speciem;* 3°) *ut praecedat aliqua admonitio.*

Explanatur. Ratio **primi** est : quia nisi censura in lege exprimatur, non potest constare de voluntate censurantis. Ratio **secundi** est : quia si solum *in genere* ferretur, v. g. *qui hoc fecerit, sit censura ligatus*, non esset potior ratio de una quam de alia censura. Ratio **tertii** est : quia, cum censurae sint medicinales, ferri non possunt nisi in contumaces; atqui contumax esse non potest, nisi qui, praecedente monitione et censurae comminatione, superiori recusat obedire.— Interim *admonitio*, i. e. legitima inti-

matio a superiore facta subdito, **non semper** requiritur *formalis* et *expresa*, distincta nimirum ab ipsa lege vel prohibitione, quaeque vocatur **canonica,** quia fit a judice juxta SS. Canonum praescripta; sed **quandoque** sufficit *virtualis* et *implicita*, quae et vocatur **solemnis,** et continetur in promulgatione ipsius legis praecipientis vel prohibentis.

Q. 12. *Quandonam* requiratur ADMONITIO *canonica?*

R. Ad hoc determinandum, *distinguendum* est inter delicta *praeterita* et *futura*.

Explanatur. A) Si agatur de *delicto* **praeterito,** certo requiritur monitio *canonica*, antequam censura infligatur per sententiam ab homine. Ratio est, quod non sit contumax, qui antea non fuit admonitus de praecepto et de poena adnexa. Secus tamen foret, si quando suspensio vel interdictum infligantur non per modum *censurae*, sed per modum *poenae vindicativae*.

B) Si vero agatur de *delictis* **futuris,** tunc *subdistinguendum est*, et videndum, utrum censura sit sententiae **latae,** an vero sententiae **ferendae**. Itaque **1°**) si sit sententiae **latae,** sive *a jure*, sive *ab homine* per sententiam generalem, non requiritur **per se** monitio *canonica*. Ratio : quia jam adest monitio *solemnis*, siquidem ipsa lex vel praeceptum superioris, a subditis jam cognitum, eos satis et continuo monet de sua obligatione et de poena a transgressoribus incurrenda. Attamen, priusquam feratur sententia declaratoria, praemitti debet saltem rei *citatio*, i. e. quod coram judice citandus sit reus, ut se defendere valeat, modo ejus delictum et contumacia non sint notoria. Dixi : **per se**; nam excipe, quando Jus ipsum, censuram imponens, distinctam monitionem exigit, ut contingit (CLEM. I, *de Decimis*) circa Religiosos, qui Ecclesias Decimis defraudant. **2°**) Si sit sententiae **ferendae,** DD. *disputant*. Alii dicunt non requiri monitionem *canonicam*, bene vero citationem, antequam declaretur seu denuntietur, quod reus sit censura ligatus. Alii, et fore verius, censent cum BILL., CAJET., LAYM., monitionem *canonicam* esse necessariam.

Q. 13. *Quomodo* admonitio CANONICA fieri debeat?

R. Ut licite feratur censura, MONITIO, regulariter loquendo,

1°) debet esse *trina*; 2°) fieri a judice aut ejus nomine *personaliter* reo; et quidem 3°) *coram testibus*.

Explanatur. 1°) Monitio CANONICA, quoties exigitur, debet esse **trina**, non quidem *ad valorem* censurae (p. 377), nisi in casibus in jure expressis; sed tantum *de praecepto;* neque sic necessario debet esse trina *formaliter*, sed sufficit, ut sit trina *aequivalenter*, dato competente intervallo, ut si dicatur : « *Admoneo te semel pro tribus vicibus, ut intra tres hebdomadas, sex dies, etc., hoc facias; concedendo tibi singulas hebdomadas vel singulas dies pro singulis admonitionibus.* » Imo, urgente necessitate, etiam omitti potest aequivalenter trina, et *una* sufficit, ita ut censura statim irrogari valeat. 2°) Debet fieri reo **personaliter,** ex communi sententia DD., et quidem 3°) **coram testibus,** ut probari possit, saltem prima vice. Nihilominus fieri poterit *ad domum*, si reus se absentaverit; vel si domum non habeat, aut non potuerit inveniri, *in loco convenienti*, adeoque *publico*, unde possit ad ejus notitiam pervenire. Ceterum valida est, sive in faciem, si ad domum facta fuerit, et satis est, si ille eam postea utcumque cognoverit. Praeterea *fieri solet* **in scriptis**; sed *utrum* sic fieri debeat, DD. *disputant*. Conveniunt tamen, etsi oretenus facta fuerit, sententiam **valere**.

CAP. 3. De subjecto censurae.

Q. 14. *Quisnam* sit SUBJECTUM censurarum?

R. *Subjectum* censurarum, seu ille in quem censurae ferri possunt, est solus *homo viator*, *baptizatus*, *delinquens*, *contumax et subditus censuranti*, juxta dicta (p. 374 seq.).

Scholion. Interim **impuberes,** licet censuris *absolute* ligari possint, eas tamen non incurrunt, juxta sententiam practice tutam, nisi aliud in jure sit expressum, ut in percussores clericorum ex cap. LX *De Sent. excomm.* et violantes clausuram monialium ex TRID. (Sess. XXV cap. V *de Reg.*) Cfr. (tom. I, pag. 128). Similiter ex speciali privilegio, consuetudine legitime introducto, licet **Reges** et **Reginae** eorumque filii et filiae in spiritualibus subjiciantur episcopis, nequeunt tamen censura plecti ab ipsis, sed a solo Papa. Denique **Episcopi** non ligantur censura SUSPENSIONIS et INTERDICTI generaliter lata, nisi mentio ipsorum expressa fiat. Ita ex speciali privilegio juris in cap. IV *De Sent. excomm. in 6*, ne impediantur in exercitio officii sui. Secus dicendum de censura EXCOMMUNICATIONIS, cum haec non excipiatur.

Q. 15. *An* subditus, EXTRA SUAM DIOECESIM EXSISTENS, ligetur censuris *proprii sui episcopi?*

R. *Distinguendum* et videndum, utrum delictum commiserit vel commisisse censeatur *in proprio* territorio, an autem *in alieno*.

Explanatur. Si **primum** : *Affirm.* Hinc episcopus suspendere potest parochum si, delicto commisso in propria dioecesi, aufugiat; item beneficiatum illegitime absentem (tom. I, 151) : quia, fictione juris, censetur quis peccare eo in loco in quo non facit id quod facere ibidem debet. Nec obstat, quod citatio non possit fieri extra territorium : nam sufficit ad censuram incurrendam, ut reus in propria domo citetur aut in loco publico (p. 384). Si **secundum** : *Subdistinguendum est* et videndum, an censura lata sit per **legem** seu **statutum generale**, an vero per **praeceptum particulare**. — Si per **legem** seu **statutum generale** : *Negat.*, quia lex afficit solum territorium. Constat ex cap. « Ut animarum, » 2 (*De Constit.* in 6°), ubi Pontifex decernit, quod excommunicatio lata ab episcopo contra furtum facientes non afficiat delinquentes extra dioecesim exsistentes, si extra dioecesim furtum committant, addita ratione : « *Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* » **Hinc** si quis delictum, v. g. homicidium lege generali dioecesis suae sub censura prohibitum consummavit extra dioecesim suam, non incurrit censuram in homicidas latam. Et cum locus *exemptus* (licet situs sit infra fines dioecesis) quoad hoc comparetur cum locis extra territorium positis, **hinc** delinquens in loco exempto dioecesanas censuras non incurrit. Loca autem proprie *exempta* dicuntur quaedam parochiae et oppida, quae quoad jurisdictionem subjacent alii episcopo vel immediate Papae; non autem ecclesiae et monasteria regularium, quae nonnisi ratione talium personarum vocantur exempta; excipe tamen, si praelatus regularis separatum habeat territorium, quod sit *nullius dioecesis* et in quo plenam exercet jurisdictionem in subditos tam clericos quam laicos. — Si per **praeceptum particulare** : *Affirm.*, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, ut si episcopus clerico peregrinaturo sub poena suspensionis praecipiat, ne aleis ludat, ne arma prohibita ferat, vel ut singulis septimanis sacrificet.

Quia praeceptum vel sententia immediate personas afficit easque sequitur quocumque ierint, earumque ossibus cohaeret.

Q. 16. *An* PEREGRINI ligentur censuris *locorum* per quae transeunt sine animo ibi manendi?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Juxta sententiam *communiorem* et *probabiliorem*, non tenentur **generatim** censuris ab horum locorum episcopo latis, cum non ligentur legibus specialibus locorum. **Hinc** si episcopus ferat censuram generalem, v. g. *si quis tale crimen admiserit, sit excommunicatus*, eam non incurrit peregrinus. — Dixi : **generatim**; nam si delictum, quod ibi commiserint, prohibitum sit non tantum lege episcopali, sed simul jure communi, tunc, si adhuc sint in dioecesi, possunt citari et, si fiant contumaces, speciali censura ligari : quia, ratione delicti, sortiti sunt forum et facti sunt subditi.

Q. 17. *An* episcopi possint ferre censuras in *regulares exemptos?*

R. 1°) Id certo possunt in *duobus* casibus : A) Si alia arma ad vim vi repellendam episcopo non suppetant, nec facilis sit recursus ad superiorem. Constat ex cap. « DILECTO, » VI, (*de Sent. excomm.*, in 6). B) Si episcopus a S. Sede expressam receperit facultatem procedendi etiam per censuram, non obstante in contrarium privilegio.

R. 2°) Extra hos duos casus, *distinguendum est.*

Explanatur. Vel **1°**) regulares **privilegium habent,** ne ab episcopo, licet ut Sedis apostolicae delegato procedente, censuris, plecti possint ; vel **2°**) illud **privilegium non habent.** — Si hoc **posterius,** dicendum cum BENED. XIV (*de Syn.* l. IX, c. XV, n. 5) : « *In his, in quibus a jure communi, a S. Conc. Tridentino, a Constitutionibus apostolicis tributa est episcopo jurisdictio in regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere.* » — Si **prius,** *non una* est DD. sententia. — Existimat Card. PETRA (in Const. XI ALEX. IV) : episcopum in regulares per censuras procedere posse, non solum dum ejusmodi facultatem ei Conc. Trid. et Apost. Constitutiones *expresse* concedunt ; sed etiam dum dicunt eum posse regulares *cogere* vel *punire*, quamvis censurae non

exprimantur; secus autem si regularibus aliquid injungant, nulla facta mentione *coactionis* vel *poenarum*.

Q. 18. *An* PRAELATI *regulares* possint ferre censuram in suos subditos, *in quocumque loco existant?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Affirm.*, si agatur de censuris latis **per particularem sententiam,** aut *per statuta* **capituli** *seu* **superioris generalis,** quia eorum jurisdictio est magis personalis, quam territorialis. 2°) *Negat.*, si agatur de censuris latis per statutum superioris qui **speciale habet territorium**, v. g. provinciam: in hoc enim casu, attendi debet loci limitatio atque adeo exemptio eorum, qui extra territorium illud delinquunt. In hac tamen re singulorum Ordinum regulae et Constitutiones sunt consulendae.

Q. 19. *An* censurae *subjectum* possit esse INTEGRA COMMUNITAS?

R. Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 22, a. 5 ad 2) *distinguendum* inter *excommunicationem*, *suspensionem* et *interdictum*.

Explanatur. A) Quoad **excommunicationem**, dicendum est: 1°) Si feratur per modum *statuti* seu *praecepti*, certe omnes eam incurrunt, qui illud violant. 2°) Si feratur per modum *sententiae*, illicita est, immo, juxta plures, invalida, si in communitatem, qua corpus, feratur ab episcopo. 3°) Si omnes communitatis rei sint, omnes quidem possunt excommunicari, sed singulatim. **B)** Quoad **suspensionem,** ea ferri potest in communitatem, ita tamen, ut innocentes feriat solum quoad functiones et jura communitati, qua tali, collective competentia; non vero quoad functiones et jura privata, i. e. quae singulis singillatim competunt. Interea, recole dicta quoad suspensionem omnium confessariorum unius conventus (tom. III, pag. 316). **C)** Quoad **interdictum,** ferri potest in integram communitatem, et id habet singulare, quod etiam innocentes liget, si sit generale.

Q. 20. *Quomodo* se gerere debeat DUBITANS circa censuram?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Dubitat: vel utrum **censuram incurrerit,** vel utrum ab ea **sit absolutus** aut **appellationem interposuerit.**

Si **primum** : post debitam inquisitionem et praeciso scandalo, se liberum a censura considerare potest; sive sit dubium **facti**, veluti cum quis dubitat, an deliquerit, vel an graviter, v. g. an percussio clerici fuerit satis injuriosa : quia *in dubio melior est conditio possidentis;* sive sit dubium **juris** circa sententiam, v. g. an delicto censura cohaereat; an censura sit *lata* vel *ferendae* sententiae; an conditio apposita in sententia fuerit adimpleta vel non : quia *odiosa sunt restringenda.* **Excipitur** casus, juxta communem sententiam, cum dubitatur, utrum censura *justa* per se sit, vel an *juste* irrogata fuerit : quia sententia possidet. Si tamen postea apparuerit, eam *injuste* fuisse irrogatam, perinde erit quasi ab initio irrogata non fuerit, nisi forte propter scandalum servari debeat.

Si **secundum** : tanquam censura innodatum se habere debet : quia possessio stat pro censura.

Q. 21. *An* quis possit *pluribus* censuris SIMUL innodari?

R. Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 22, a. 6) *affirm.*, ut adeo possint plures censurae, non solum diversae, sed etiam ejusdem rationis, simul reperiri in eodem subjecto.

Explanatur. Ratio est : quia multiplicatis causis, multiplicari debent et effectus. Toties autem multiplicantur censurae, quoties peccata, sub censura prohibita, sive *specie*, sive *numero* multiplicantur. Imo propter unum delictum potest quis ligari a diversis : *a jure* et *ab homine*, a Papa et ab Episcopo, ita ut ab utroque absolvi debeat, modo alter superior novam intendat poenam imponere. Nec **objicias** : excommunicatio est quaedam privatio; atqui privatio non recipit *magis* et *minus*. **Resp.** cum S. THOM. (*l. c.* ad 2) : « *Privatio, quamvis non recipiat* MAGIS *et* MINUS *secundum se, recipit tamen* MAGIS *et* MINUS *secundum causam suam; et secundum hoc excommunicatio potest iterari; et magis est elongatus a suffragiis Ecclesiae qui pluries est excommunicatus quam qui semel tantum.* » (1).

(1) Si censura sit *reservata* R. Pontifici, eo ipso censetur Ordinariis subtracta facultas sibi eamdem reservandi. Imo ex S. C. EE. et RR. (20 Nov. 1602) prohibiti sunt Ordinarii, ne « *sibi superflue reservent casus... sedi Apost. reservatos.* » Quare si in quibusdam dioecesibus, v. g. MECHL., inter casus episcopo reservatos citantur haeresis et apostasia a fide, id intelligendum est de solis casibus haeresis et apostasiae in quibus excommunicatio Sedi Apost. reservata ob ignorantiam incursa non fuerit.

Resolvitur 1. Qui sectae haereticae se adjungit, duas censuras contrahit, quippe duo praecepta transgreditur : alterum contra obedientiam Ecclesiae debitam, alteram contra fidem. **Resol. 2.** Qui successive percuteret plures clericos, vel unum pluries cum morali interruptione, plures etiam excommunicationes incurreret. **Resol. 3.** Si quis clericum occideret in loco ubi homicidium sub censura episcopali est prohibitum, esset censuratus a Papa ob injuriam in clericum, et ab Episcopo ob homicidium in hominem.

CAP. 4. De materia censurarum.

Q. 22. *Quodnam peccatum* sit MATERIA censurae?

R. Ex BENED. XIV (*de Syn.* lib. x, c. I, n. 3) cum BILL. et communi DD., MATERIA censurae, saltem **gravis,** est peccatum : A) *mortale;* B) *externum;* C) *completum in suo genere* secundum proprietatem verborum, quae in praecepto vel lege continentur; D) *conjunctum cum contumacia* contra Ecclesiam.

Explanatur. Ratio **primi** est : quia poena gravis supponit culpam gravem. Interim, etsi *valide*, non tamen *licite*, pro quovis mortali ferri potest censura gravis, sed solum quando illud alia via corrigi aut impediri non possit, ut constat ex TRID. (Sess. XXV, c. III *de reform.*). — Ratio **secundi** est : quia Ecclesia non judicat de internis saltem in foro externo seu judicio poenali. Unde censura lata contra haereticos non ligat eos qui nulla haereseos signa dederunt. Sufficiunt tamen actus externi, etsi *occultissimi*, v. g. si quis haeresim, mente conceptam, etiam nemine praesente, actu externo profert.—Ratio **tertii** est : quia censurae, utpote poenales, stricte sunt interpretandae. Hinc si censura lata sit contra delictum aliquod *committentes*, non includit *mandantes* vel *consulentes*, si non sunt expressi; et quando sunt expressi, tum incidunt in censuram, quando *completum* est delictum, nisi aliter cautum sit in jure, uti cautum est contra *provocantes* et *acceptantes duellum*, qui statim in censuram incidunt, licet conflictus postea non sequatur.— Ratio **quarti** est : quia finis praecipuus censurae est, punire contumaciam contra legem Ecclesiae. Hinc **1°**) non sufficit, ut peccatum juri *naturali* aut *divino* repugnet, nisi alicui quoque *legi ecclesiasticae* adversetur. Hinc **2°**) ob peccatum *omnino praeteritum*, quod nullo modo perseverat, non potest infligi censura

quia non adest contumacia (pag. 375). Hinc 3°) si quis post delictum admissum, *ante effectum secutum*, delicti se poeniteat, effugit censuram, quia recedit a contumacia; praeterea, sanato morbo, ad quid medecina? Hinc 4°) qui dedit mandatum vel consilium et postea *revocavit*, etiamsi revocatio per accidens non innotuerit mandatario vel consiliario, probabiliter non incurrit censuram : nam quando postea evenit delictum, ipse non est contumax et evenit contra suam voluntatem. Ita S. Lig. (VII, 40) cum multis aliis, quibus libenter assentior. Advertas tamen quod, si agatur de homicidio clerici, mandans vel consulens teneatur monere laedendum, ut sibi caveat; alias non evaderet censuram, cum omitteret modum, quo possit impedire delictum, in quod jam influxit.

Dixi initio : *censurae* **saltem gravis**; quia *levis* aliqua censura, v. g. excommunicatio *minor* (de qua postea dicetur), levis aliqua suspensio aut leve aliquod personale interdictum, privans aliquo officio tantum ad unum vel alterum diem, ferri potest ob culpam *levem*, quae nimirum talis sit tum *in se*, tum ratione *finis*, cum levis hujusmodi censura non censeatur poena gravis.

Q. 23. *An* possit quis LIGARI censura ob peccatum *alienum?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si sermo sit de **excommunicatione**, nunquam; 2°) si sermo sit de suspensione vel interdicto **personali**, nec etiam; 3°) si de suspensione vel interdicto **generali**, potest.

CAP. 5. De causis excusantibus ab incurrendis censuris.

Q. 24. *Quaenam* sint CAUSAE *excusantes* a censura?
R. Communiter assignantur *quinque* sequentes : *ignorantia*, *metus*, *impotentia*, *legitima appellatio* et *consensus illius in cujus favorem lata est censura.*

Explanatur. Itaque excusat : 1°, **ignorantia**, sive sit *facti*, ut si quis percutiat clericum, laicum putans; sive sit *juris*, ut si quis percutiat clericum, nesciens talem percussionem esse prohibitam ab Ecclesiae; sive sit *poenae*, ut si quis percutiat clericum, sciens esse clericum et talem percussionem esse prohibitam ab Ecclesia, sed ignorat id esse prohibitum sub censura. Et quidem ignorantia non modo **invincibilis**, sed et **vincibilis**, si *leviter*

tantum sit culpabilis, immo, juxta probabilem sententiam, etsi *mortaliter sit culpabilis*, excusat semper; *crassa* et *supina*, quoties poena lata est in eos qui *temere* aliquid faciunt vel facere *praesumunt*; immo et *affectata*, si poena constituta est in eos qui *consulto*, qui *scienter* aliquid fecerint quae plurium sententia est (tom. I, p. 144). Et « id nequit dici improbabile, » ait S. Lig. (H. A, XIX. 8).

Excusat, *per se* loquendo : 2°) **metus**, nempe *gravis*, sive absolute sive relative, et *injuste incussus* ad extorquendum illum actum qui sub censura est prohibitus ab Ecclesia, etsi a peccato forte non excuset, eo quod concurrat lex naturalis; veluti si quis clericum occidat jussus, alias ipse occidendus. Ratio : quia contumax non est qui aliquid invite facit. Dixi : **per se loquendo**; nam **excipe A)** : si metus concutiatur in contemptum religionis, vel potestatis ecclesiasticae, vel res cederet in damnum commune, uti colligitur ex cap. « Sacris, » 5, *(de iis quae vi)*, ut si quis episcopum occideret, sacramentalem absolutionem daret sine jurisdictione, etc. Ratio est : quia tunc, sicut nec periculum mortis excusat a lege etiam ecclesiastica, ita neque a censura adnexa. **Excipe B)** : si lex aliter disponat, sive explicite, sive implicite v. g. quoad *duellantes*, uti constat ex Const. « *Detestabilem* » Bened. XIV.

Excusat : 3°) **impotentia**, sive *physica*, sive *moralis*, faciendi id quod sub censura praecipitur : quia ex regula 6 juris « *nemo potest ad impossibile obligari.* » Aliunde impotentia excusat a peccato, ergo et a censura. **Hinc** qui non habet unde restituat vel non possit sine gravi incommodo, non incurrit censuram latam in non restituentes.

Excusat : 4°) **legitima appellatio**; haec enim devolvit causam ad superiorem et suspendit usum jurisdictionis in inferiori. Ut tamen appellatio sit **legitima**, requiritur : **A)** Ut adsit **causa sufficiens**, dicente Innoc. III (cap. LXI *de Appell.*) : « *appellationis remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad praesidium innocentiae institutum.* » Et quidem in Const. « *Ad militantis Ecclesiae* » prohibet Bened. XIV, ne recipiatur appellatio « *a comminatione excommunicationis a jure latae, et a sententia excommunicationis ab homine, suspensionis et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite* nullitatis. » **B)** Ut fiat a **judice inferiori ad superiorem** : non enim quod majus est, coercetur a minori.

Unde frivola et nulla est appellatio ab Ecclesia dispersa ad Ecclesiam in Concilio congregatam. C) Ut fiat **ante illatam censuram** : nam jam lata censura, ea obtinet, donec a superiore, cui appellatum est, cassetur.

Excusat : 5°) **consensus illius in cujus favorem censura lata est,** ut si lata sit in debitorem, qui intra datum tempus debitum creditori non solvat, sed creditor ei tempus proroget. Nec **objicias** : Censuram suspendere est actus jurisdictionis : ergo, **Resp.** Suspendere directe, *conc.*; indirecte, ut in casu, *neg.*

CAP. 6. De absolutione censurarum.

Q. 25. *Quomodo* TOLLANTUR censurae?

R. Censurae, *stricte* dictae, *per solam* legitimi judicis seu superioris ecclesiastici *absolutionem* tolli possunt.

Explanatur. Ratio : quia censura est ligamen et vinculum, quod non tollitur, nisi solvatur. **Hinc 1°**) etiamsi censuratus desinat esse sub potestate censurantis vel jam sit emendatus, per haec praecise non desinit censura : alias quivis posset se ab ea eximere, vel exeundo e judicis, qui inflixit, territorio; vel praetendendo se jam esse conversum. Constat ex prop. damnata ab ALEX. VII sub n. 14 : « *Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censurae.* » **Hinc 2°**) non tolluntur per mortem rei, ut patet ex cap. « A NOBIS » et cap. « SACRIS, » *de sent. excomm.*; quapropter etiam mortuus privatur suffragiis et ecclesiastica sepultura. **Hinc 3°**) non tolluntur per mortem ferentis : nam post mortem excommunicantis, v. g. episcopi, qui jam excommunicatus est, manet ligatus, ut patet ex cap. « PASTORALIS, » *de officio jud. ord.* — Dixi : *censurae* **stricte** *dictae;* quia censurae quaedam, v. g. suspensiones et interdicta, interdum feruntur ad certum tempus, in modum *meae poenae*, potius quam censurae; ideoque sine alia absolutione tolluntur post elapsum tempus definitum. **Hinc** sacerdos ad sex menses suspensus, eo elapso tempore, absolutione non indiget, ut ab hac censura liber evadat. Sed hujusmodi poenae non sunt censurae proprie dictae, et sicut non supponunt necessario contumaciam nec requirunt praeviam monitionem, ita non tolluntur per absolutionem, sicut censurae stricte dictae.

Q. 26. *Quinam* a CENSURIS *absolvere* possint?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **urget necessitas,** vel **non urget.**

Si **primum** : dicendum est : — **A**) In *articulo* vel *morali periculo* **mortis**, quilibet sacerdos potest *directe* absolvere a **quibuscumque** censuris; cum onere tamen, si convaluerit poenitens, «**standi mandatis Ecclesiae,**» i. e. se sistendi superiori, si a censura Rom. Pontifici *speciali modo* reservata absolutus fuerit : non quidem ut denuo confiteatur, cum *directe* absolutus fuerit, sed ut congruam ab eo poenitentiam suscipiat. Constat ex Const. «*Apostolicae Sedis*» PII IX, ubi loquens de hujusmodi censuris, dicit : «*Dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio* STANDI MANDATIS *Ecclesiae, si convaluerint.*» Et quidem poenitens ad hoc tenetur sub poena **reincidentiae** in easdem censuras, ut constat ex declarationibus S. U. I. (19 Aug. 1891 et 16 Jan. 1892, ubi simul declaratur : «*obligationem* STANDI MANDATIS ECCLESIAE *importare onus sive per se sive per confessarium recurrendi ad S. Pontificem ejusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici* speciali modo *reservatis.*» Ap. N. R. T. (XXIV.166 et 170. Cfr. dicta alibi (tom. III, p. 305). — **B**) *Extra* **mortis** *periculum*, quando poenitens *personaliter* adire nequit *superiorem* vel ejus *delegatum*, tunc in sequentibus urgentibus circumstantiis scilicet : **1°**) «*In casibus* VERE URGENTIORIBUS, *in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur* S. U. I. (25 Jun. 1886); tum **2°**) «*in casu quo nec infamia nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed* DURUM VALDE *est pro poenitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis*» S.U.I. (16 Jun. 1897), tunc, inquam, simplex confessarius potest *directe* (1) absolvere ab omnibus censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub duplici tamen conditione, scilicet : tum « **injunctis de jure injungendis** », i. e. ut poenitenti injungantur quae de jure sunt injungenda (2);

(1) Constat ex S.U.I. (19 Aug. 1891) ap. N.R.T. (XXIV, 166); 30 Mart. 1892 et 16 Jun. 1897. — (2) Sic, ut latius dicetur infra (p. 396 seq.), absolvendo in-

tum «*sub poena* **reincidentiae** IN EASDEM CENSURAS, *nisi saltem* INFRA MENSEM *per epistolam et* PER MEDIUM CONFESSARII *absolutus recurrat ad S. Sedem*,» i.e. ad S. Poenit. Praefectum (1). Ita ex S.U.I. (*ll.cc.*).

Si **secundum** : *Subdistinguendum* est.

jungendum est, ut eo meliori modo quo fieri potest scandalum, si dederit, reparet: ut ei, ob cujus offensam censuram incurrit, prius, si potest, satisfaciat, vel si nequeat, cautionem idoneam praestet: vel saltem juret aut promittat se, quum primum poterit, satisfacturum; et si crimen sit de atrocioribus, aut de percussione clericorum agatur, se nunquam in illud relapsurum.—Insuper, pro varia delicti natura, speciales saepe conditiones poenitenti praescribendae sunt. Si quis v. g. obvium haberet sacerdotem qui complicem in peccato turpi absolvisset, eidem imponere deberet ut ab excipienda in posterum personae complicis confessione prorsus abstineat, vel, si id citra grave scandalum facere non possit, ut aliis saltem remediis severioribus periculum novi lapsus praecaveat, etc.; item pro absolutione illorum qui sectis vetitis nomen dederunt requiritur ut « *a respectiva secta omnino se separent eamque saltem coram confessario ejurent seu detestentur.* » S. U. I. (5 Aug. 1898). Cfr. *Coll. Brug.* (IV, 230 seqq.).

(1) Haec obligatio exsistit et quidem sub poena *reincidentiae*, etiam pro iis qui a censuris *simpliciter* Papae reservatis absoluti fuerint. S. U. I. (17 Jun. 1891). Neque ab ea excusat, ut alibi (tom. III, pag. 333) jam monuimus, « *hodiernum periculum ne aperiantur epistolae a potestate civili, cum in precibus nomina et cognomina sint supprimenda* » ut declaravit S. POEN. (7 Nov. 1888). Poenitens tamen « *non tenetur per eumdem confessarium qui eum absolvit recurrere, sed potest id praestare per alium confessarium, et etiam per se ipsum directe, quando intercedit rationabilis causa, mentito nomine.* » Ita S. POEN. (28 Maii 1888). Unde ad **dubium** : « *Quando missionario occurrit poenitens censuris innodatus et transiens obiter, ita ut missionarius non possit iterum poenitentem videre, numquid sufficit, posito casu urgentiori absolutionis, exigere a poenitente promissionem scribendi tacito si vult nomine ad S. Poenit. intra mensem et standi illius mandatis, quin confessarius ipse scribat?* » **Respondit** S. POENIT. (7 Nov. 1888) : « *Affirmative.* » Ap. N. R. T. (XXII, 363 seq.). Imo, « *quando neque confessarius neque poenitens epistolam ad S. Poenit. mittere possunt, et durum sit poenitenti adire alium confessarium, in hoc casu licet confessario poenitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis* **absque onere** *mittendi epistolam* » Ita S. U. I. (9 Nov. 1898). Casum tamen absolutionis **complicis** in peccato turpi « *non comprehendi* » in decreto praecitato (9 Nov. 1898), declaravit S. U. I. (7 Junii 1899) ap. *Il monitore eccles.* (XI, 201). Quod facile concipitur. Admitti enim nequit quod saltem poenitens, scilicet **sacerdos** et **confessarius**, nequeat scribere *reticito nomine* ad S. Poen. Cfr. R.T.F. (IV, 449 seqq.).

A) A censura *a jure* vel *ab homine generaliter lata*, si **non sit reservata**, regulariter absolvit omnis confessarius; hoc enim concedit superior, dum eam sibi non reservat, modo ad forum contentiosum non sit deducta, i. e. quando judici delatio nondum facta est et reo intimata. Dixi : **regulariter**; nam ab hac regula *excipienda* sunt : 1°) Suspensio in communitatem lata, quae ab eo solum tolli potest, qui in communitatem jurisdictionem habet in foro contentioso (S. Lig. VII, n. 522); 2°) Interdictum locale, sive speciale sit, sive generale, et interdictum personale generale, quod nec tolli potest nisi ab eo qui jurisdictionem habet in foro contentioso super locum aut communitatem interdictam.

B) Si censura *ab homine* lata sit *per sententiam particularem* aut *a jure* lata sit **reservata**, absolvit tantum ille qui eam tulit, vel ejus successor, vel superior quoad hoc, vel is cui haec facultas specialiter est concessa. Ratio est : quia ejus est absolvere, cujus est ligare. Dixi : *superior* **quoad hoc**; nam archiepiscopus, licet superior episcopo, non potest suffraganeorum suorum subditos absolvere, nisi in casu appellationis aut visitationis ex officio, quia in aliis casibus non gaudet proprie dicta jurisdictione. Constat ex cap. «Venerabilibus,» (*de sent. excomm.* in 6). **Hinc 1°**) Qui potestatem habent absolvendi a censuris R. Pontifici reservatis, non idcirco possunt absolvere a censuris, quas Episcopus sibi reservavit. Nec valet dicere : «*Qui potest plus, potest minus;*» id enim tantum verum est *in eodem genere*. Jam vero censurae papales et episcopales a principio diverso originem ducunt. **Hinc 2°**) Episcopi, ex concessione ipsis a Conc. Trid. (Sess. XXIV *de ref.* cap. «*Liceat*») facta, absolvere possunt suos subditos, et alienos subditos in sua dioecesi, ab omnibus censuris Papae *simpliciter* reservatis, quamdiu sunt *occultae* nec ad forum *contentiosum* deductae juxta dicta (tom. III, pag. 338). Nomine autem *Episcoporum* veniunt Vicarii Capitulares, Vicarii apostolici et alii jurisdictione episcopali gaudentes; non autem Praelati regulares, ut declaravit S. Poenit. (5 Dec. 1873), et constat ex dictis alibi (tom. III, p. 338 seq.). At nequeunt episcopi de potestate *ordinaria* absolvere a casibus papalibus *publicis* et *speciali modo* Papae reservatis, etiamsi subditus versetur in impossibilitate adeundi S. Sedem, ut constat ex declaratione S. U. I. (23 Jun. 1886), quam Leo XIII approbavit 30 Jun. ejusd. anni.

Q. 27. *Quid* requiratur in absolutione CENSURARUM : 1°) ex parte *absolventis*; 2°) ex parte *absolvendi*; 3°) ex parte *formae* absolutionis?

R. Ad 1^{um}) Ex parte ABSOLVENTIS requiruntur *tria*.

Explanatur. Requiritur : **1°) Legitima potestas**; **2°) Libertas** *a metu gravi injuste incusso* ad dandam absolutionem : secus invalida foret absolutio, et metum incutiens, uti constituerat GREG. X, cap. «ABSOLUTIONIS» *(de his quae vi*, etc.), incurrebat excommunicationem. Quae excommunicatio cum a Const. «*Apostolicae Sedis*» exulet, tanquam abrogata habenda est. **3°)** Ut *absit error circa causam* **finalem** : secus invalida foret absolutio, cum judex intendat absolvere, si vera sit causa finalis sibi expressa.

R. Ad 2^{um}) Ex parte ABSOLVENDI requiruntur *qualuor*.

Explanatur. Requiritur **1°)** Ut **petat** *absolutionem* et *sit* **praesens**, dum absolvitur. Sed, quamvis id requiratur regulariter, ut *licite* detur absolutio, id tamen ex S. THOM. (*Suppl.* q. 24, a. 2) non est *essentiale* : cum enim censura adinstar cujusdam vinculi sit, nihil obstat quominus concedatur vinculi relaxatio etiam *invito* et *distanti*, adeoque etiam ope **telephonii**, ut communiter tradunt recentiores, saltem si absolutio detur vi potestatis *ordinariae*. Quod addo : quia si absolvens *delegatam* tantum habeat potestatem, validitas pendet a facultate ipsi concessa. Unde hujus inspiciendus est tenor. Imo ex S. THOM. (*ibid.* ad 2) *valide*, et aliquando ex justa causa etiam *licite*, datur absolutio censurato *adhuc contumaci*, si is qui absolvit potest abrogare legem vel praeceptum quo censura lata fuit; et sic si episcopus parochum absentem a parochia et ideo a se excommunicatum, nondum reversum absolverit, *valet* absolutio; imo *licita* foret, si videatur saluti illius expedire.

Requiritur : **2°)** Ut *prius* **satisfaciat** *parti laesae* vel, si impossibile sit ante absolutionem satisfacere, praestet *cautionem*, vel in ejus defectu *juramentum;* aut, si res agatur in foro sacramentali, firmum emittat propositum, quod satisfaciet cum primum poterit. **Excipe : A)** Si pars laesa injuriam remiserit; **B)** si, in quantum potuerit, jam incoeperit justam dare satisfactionem; **C)** si sit perpetuo impotens ad satisfaciendum. Et haec quidem ad **licei-**

tatem absolutionis certo requiruntur. — Quod vero attinet **validitatem** absolutionis, *parte non satisfacta*, impertitae, duo penes omnes constant : 1^{um}) validam esse absolutionem, si conferatur ab *Ordinario* ; 2^{um}) invalidam esse a *delegato* collatam, si satisfactio partis injungatur *tanquam conditio :* quia facultas *cum conditione* delegata non conceditur, nec proinde valet, *conditione non adimpleta*. Verum, an quando a Pontifice datur facultas absolvendi cum illa clausula « *satisfacta parte*, » haec accipienda sit tanquam conditio, *sine qua non* conceditur facultas, inter DD. *disputatur*. Alii **affirmant** ; alii **negant**, quorum sententiam *non improbabilem* putat S. Lig. (VII, 121), « saltem ob auctoritatem DD. »

Requiritur : 3°) Ut *scandalum*, *propter quod censurae subjacebat*, **reparaverit**, aut saltem paratus sit quam primum illud reparare, meliori modo quo poterit, prudenti judicio Ordinarii seu confessarii. Constat ex S. Poenit. (5 Jul. 1857 et 18 Dec. 1860).

Requiritur : 4°) Ut *praestet* **juramentum** de non amplius committendo crimine ob quod lata est censura. Sed haec conditio praecipue intelligenda est quoad liceitatem absolutionis in foro *externo :* nam in foro *interno* poenitentiali non desideratur juramentum, nisi delictum sit enorme, v. g. gravis percussio clerici, scandalosa Ecclesiae violatio ; imo vix tunc est in usu.

R. Ad 3^{um}) Ex parte FORMAE *absolutionis*, requiritur : ut ea *verbo*, vel *scripto*, vel saltem *alio signo externo*, *sufficienter exprimatur*.

Explanatur. Quamvis autem nulla determinata verborum forma requiratur ad *valorem*, tamen *illicitum* est uti alia forma quam **consueta**. Haec autem *duplex* est : 1°) Si absolutio detur **publice** et pro foro **externo**, servanda est forma quae praescribitur in Rit. Rom., cum caeremoniis et precibus ibi appositis. 2°) Si detur in foro **interno**, sufficit forma : *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis* (*suspensionis*, si poenitens sit in sacris) *et interdicti, in quantum possum et tu indiges*. Imo in necessitate breviter dici poterit : *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine*, etc. — Ceterum si quis plures censuras contraxit, absolutio ei dari potest sive ab *omnibus*, sive ab *una* earum tantum : habentur enim ad instar catenarum quarum aliae sine aliis

solvi possunt. A quibus autem censuris data sit, hoc ex voluntate absolventis, voluntas autem absolventis, ex verbis, quibus ipse usus est, aestimari debet. Unde si dixerit : *absolvo te ab* OMNI *vinculo*, etc., ab omnibus absolvisse intelligitur, praesertim si absolverit in foro *sacramentali*, in quo non licet, vel una censura non absoluta, a peccatis absolvere; exceptis his quae poenitens dolo reticuit; quia *dolus et fraus nemini patrocinari debent*. At si quis extra forum *sacramentale* ab *una* tantum vel *altera* absolutionem petierit, ab his tantum absolutum fuisse tenendum est. Denique hic observandum est, quod absolutio data in foro *externo* semper valeat pro foro *interno;* at data in foro *interno* prodest quidem *toleratis* in foro *externo*, salvo tamen jure quod habet superior de crimine cognoscendi et poenam ac satisfactionem debitam exigendi. Data autem *vitandis*, quando id licet, ut in jubilaeo et in articulo mortis, non prodest omnino. Imo si censura sit *publica*, absolutio autem *occulta*, haec ne *toleratis* quidem proderit coram aliis quamdiu hos latet datam fuisse.

SECTIO 2ª.

DE CENSURIS IN SPECIE.

ART. 1us. De excommunicatione.

CAP. UNIC.

De natura excommunicationis, divisione et effectibus.

Q. 28. Dic : 1°) *quid*, et 2°) *quotuplex* sit EXCOMMUNICATIO?

R. Ad 1um) EXCOMMUNICATIO, si *generice* sumatur, est *censura ecclesiastica per quam fidelis separatur a communione Ecclesiae vel in* TOTO, *vel ex* PARTE, i. e. privatur bonis Ecclesiae communibus (pag. 375 seq.), vel *omnino*, vel *secundum quid*.

Explanatur. Ad majorem definitionis intelligentiam observandum est cum BILL. ex S. THOM. (*Suppl.* q. 22, a. 1 in corp. et ad 1), *triplicem* esse fidelium **communionem** : Unam **pure internam,** qua fideles per gratiam et charitatem inter se et cum

Christo uniuntur. Secundam **pure externam,** consistentem in convictu, colloquio, commerciis, ceterisque actionibus ad humanam societatem pertinentibus. Tertiam **mixtam,** consistentem in actionibus et caeremoniis exterioribus, sed interiorem et spiritualem fructum habentibus ex propria institutione, ut sunt usus tum activus, cum passivus sacramentorum, suffragia publica quae in sacrificiis et publicis officiis pro universa Ecclesia fiunt, satisfactiones Christi et Sanctorum, quae per indulgentias applicantur, etc. Porro EXCOMMUNICATIO non tollit nec tollere potest communionem *pure internam*, sed supponit per peccatum mortale, propter quod fertur, sublatam; tollere autem potest *mere externam* et *mixtam*, prout ex dicendis patebit. Cfr. dicta supra (pag. 376).

R. Ad 2^{um}; Ut patet ex definitione, excommunicatio in jure *duplex* distinguitur : *major* et *minor*.

Explanatur. *Prima*, seu **major,** proprie nomine *excommunicationis*, simpliciter et sine addito, a jure usurpatur, ut statuit GREG. IX, cap. « SI QUEM, » (*de sent. excomm.*).— *Secunda* vero, seu **minor,** nunquam simpliciter sub appellatione *excommunicationis*, sed semper sub explicito nomine *excommunicationis minoris* designatur.

Q. 29 *Quid* 1°) sit excommunicatio MINOR ; 2°) *quinam* sint ejus EFFECTUS, et 3°) *quotuplex* DISTINGUATUR?

R. Ad 1^{um}) Excommunicatio MINOR est *censura ecclesiastica qua fidelis privatur* SECUNDUM QUID *communione Ecclesiae.*

Explanatur. Aliis verbis : *est censura ecclesiastica separans tantum a* **participatione passiva** *seu susceptione sacramentorum.* Constat ex cap. « SI CELEBRAT » (*de clerico excomm.*). Haec excommunicatio potest absolvi a quovis confessario approbato, ut constat ex cap. « NUPER » (*de sent. excomm.*).

R. Ad 2^{um}) *Distinguendum* est inter effectus *directos* et *indirectos.*

Explanatur. Effectus **directus** est non posse sub gravi *recipi* sacramenta. **Indirecti** seu **per consequentiam** sunt : 1°) Quod

in ea *ministrans* sacramenta sine necessitate, peccat saltem *venialiter* propter quamdam irreverentiam, cum ipsi susceptio eorum sit prohibita *mortaliter*. 2°) Quod collatio beneficii hac censura irretito facta possit irritari.

R. Ad 3um) *Duplex* distinguitur : una *a jure*, altera *ab homine*.

Explanatur. Prima seu **a jure** contrahitur per communicationem cum *excommunicato vitando*, sive in divinis, sive in humanis, sine justa causa. Utrum haec adhuc hodiedum **exstet**, inter DD. *disputatum* fuit. Alii **negabant** : quia a Const. « *Apost. Sedis* » non fuit reproducta ; unde censenda est abrogata. Alii **affirmabant**, hoc innixi argumento : praefata Constitutio Piana utitur termino *excommunicationis* simpliciter prolato seu sine addito ; ergo solum loqui intendit de excommunicationibus majoribus, nullatenus vero de excommunicatione *minori* quam immutatam relinquit et quae proinde etiamnum in vigore permanet. Verum, ad **dubium** : « *Fere omnes Const.* Apost. Sedis *Commentatores docent, excommunicationem* MINOREM *vi hujus Constitutionis* ABOLITAM *esse. Utrum haec sententia* TUTO *doceri possit in Seminario?* » S.U.I. (10 Dec. 1885) **respondit** : « *Affirmative.* » — Secunda seu **ab homine** est, si episcopus aliquem privat perceptione sacramentorum vel saltem communionis.

Q. 30. *Quid* 1°) sit excommunicatio MAJOR, et 2°) *quotupliciter* excommunicati excommunicatione MAJORI *distinguantur?*

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 21, a. 1) excommunicatio MAJOR est *censura ecclesiastica separans a qualibet licita communione fidelium*.

Explanatur. Aliis verbis : *est censura ecclesiastica, qua fidelis privatur omnibus bonis spiritualibus in Ecclesia communibus*. Consequenter privat seu separat a participatione tam passiva quam activa sacramentorum, a suffragiis publicis Ecclesiae, et a fidelium convictu.

R. Ad 2um) *Dupliciter* distinguuntur : alii sunt *vitandi*, et alii *non vitandi* seu *tolerati*.

Explanatur. Olim quotquot censuram aliquam contrahebant, **vitandi** erant. Verum, post Bull. Martini V « *Ad evitanda* » (qua juris antiqui severitas mitigata fuit), ii tantum **vitandi** sunt : 1°) qui **nominatim** sunt excommunicati, suspensi et interdicti, et **publice**, ut tales, **denuntiati**, in ecclesia tempore missae vel concionis aut alias pro more regionis ; « unde non sufficit, ait Bull., quod quis *nominatim* excommunicetur, etiamsi constet omnibus esse excommunicatum ; sed debet esse *publice denuntiatus*, ut talis, ita ut, cum in Bulla dicitur *publicata vel denuntiata*, το *vel* non sumatur disjunctive, sed ad explicandum quomodo debeat esse publicata ; » vel 2°) *qui adeo* **notorie percusserunt clericum**, ut nec ulla possit tergiversatione celari vel ullo juris suffragio excusari. Et quoniam, ut scite notat Kenrick, vix constare potest, absque judicis sententia, percussionem omni juris suffragio carere, ideo raro admodum quisquam tenetur vitare alium hoc ex capite. Immo sunt qui existimant cum Avanzini, *notorios hosce percussores* **hodie** non amplius reputandos esse *vitandos*, nisi quemadmodum et ceteri excommunicati, **nominatim** et **publice** fuerint **denuntiati** ; tum quia, aiunt, Martini dispositio quoad percussores *ita non denuntiatos* in desuetudinem abiit ; tum quia haec dispositio, cum non fuerit in Const. « *Apost. Sedis* » reproducta, censetur abrogata. Ast dicendum esse arbitror cum Moullart, dictos percussores esse vitandos ut olim, etsi *nominatim* et *publice* non fuerint *denuntiati* : tum quia consuetudo de qua adversarii, si quibusdam in locis forte exsistat, non est sufficienter generalis, ut asserere liceat, quod per eam censenda sit generaliter abrogata *Martiniana* dispositio ; tum quia, si valeret argumentum de abrogatione hujus dispositionis quoad partem quae agit de percussoribus nominatim non denuntiatis, eo quod in *Piana* Constitutione non reproducatur, absurdum sequeretur. Consequens enim foret, quod abrogata sit *Martiniana* Constitutio *tota*, etiam quoad vitandos *excommunicatos*, cum neque haec Martini censura ullibi a Constitutione *Piana* reproducatur, sicque sequeretur, hodiedum nullos amplius exsistere *vitandos ;* quae consequentia sane a nullo, etiam inter adversarios, admitti posse videtur. Interim **priorem sententiam**, propter auctoritatem saltem extrinsecam DD., non impro-

babilem judico. Praeterea Bill. jam pridem ex Theologis Gallis docuit « non sufficere *in Gallia* notorietatem *facti*, sed requiri notorietatem *juris*, hoc est, quod quis per sententiam *judicis*, declaretur hoc crimen admisisse, seu hanc censuram incurrisse. » Tum addit : « Quod *absolute* et *sine restrictione* ad locum asserit Daelman scribens sic (obs. 4 de cens.) : Nequidem publicus clerici percussor, cujus crimen nulla tergiversatione celari potest, aut nullo juris suffragio muniri, *moderna praxi* vitandus est, nisi sit denuntiatus, et merito : quia labor infinitus et scrupulus fidelibus suboriretur, quinam nullo juris suffragio muniri possunt. »

Ceteri autem dicuntur **tolerati**, quos *jure ecclesiastico* fideles non tenentur vitare. Dico : *jure* **ecclesiastico** ; quia jure *naturali* et *divino* persaepe tenemur vitare consortium excommunicatorum, etiam tantum **toleratorum,** ubi scilicet ex eorum convictu et conversatione oritur scandalum aut periculum subversionis nostrae, aut quando spes est fore ut, eos vitando, contumaciam deponant et ad Deum convertantur. Interim quamvis fideles non teneantur excommunicatos toleratos vitare, ipsi tamen excommunicati tenentur fidelium vitare consortium tam in rebus humanis quam in divinis, donec absolvantur, ut patet ex eadem Const. Martini V, quae nullatenus eis favet, sed solis fidelibus.

Q. 31. *Quotupliciter* effectus excommunicationis majoris distinguantur?

R. *Dupliciter* distinguuntur : alii sunt *directi* seu *immediati*, alii sunt *indirecti* seu *mediati*.

Explanatur. Effectus **directi** seu **immediati**, qui nempe per se seu ex ipsa censura oriuntur, praecipui sunt *octo* sequentes : 1°) *Privatio activa et passiva sacramentorum.* 2°) *Privatio communium Ecclesiae suffragiorum.* 3°) *Privatio divinorum officiorum.* 4°) *Privatio jurisdictionis ecclesiasticae.* 5°) *Privatio sepulturae ecclesiasticae.* 6°) *Privatio communionis tum* civilis *tum* forensis *cum fidelibus.* 7°) *Inhabilitas ad beneficia.* 8°) *Nullitas rescriptorum pontificiorum.*

Effectus **indirecti** seu **mediati**, qui scilicet censuram sequuntur per accidens, ob novam excommunicati malitiam, sunt *duo* sequentes : 1°) *Irregularitas*, quam incurrit ligatus excommunica-

tione majori, si serio, scienter ac solemniter actum alicujus ordinis, quem habet, exercet, nisi excusetur ratione necessitatis proximi, vel infamiae vitandae, vel metus gravis, juxta dicta (pag. 362). 2°) *Suspicio haeresis*, in quam incidit ille qui *per annum* in excommunicatione contumaciter *insordescit*, i. e. animo obdurato et cum contemptu potestatis ecclesiasticae perseverat; ex quo fit, ut contra ipsum procedi possit usque ad beneficiorum ante excommunicationem obtentorum privationem. Sed episcopi, ut notat SCHMALZ., id facere non solent *ante triennium*.

Q. 32. *Quid* dicendum de 1°) effectu excomm. MAJORIS, seu de privatione 1°) *activa* et 2°) *passiva sacramentorum?*

R. 1°) Quod ad privationem *activam* sacramentorum, i. e. privationem facultatis ea conficiendi et ministrandi attinet, notentur sequentia.

Explanatur. 1°) Excommunicatus, sive *toleratus*, sive *vitandus*, **valide** quidem, servatis servandis, conficit et ministrat sacramenta : nam ubi omnia ad sacramentum necessaria occurrunt, nequit Ecclesia illud invalidare. **Excipitur** *Poenitentia* pro excommunicato *vitando*, cum ad illud ministrandum requiratur potestas non tantum ordinis, sed etiam jurisdictionis, qua excommunicatus *vitandus* caret ex praescripto Ecclesiae, extra casum necessitatis, aut nisi error communis cum titulo colorato aut etiam sine illo suppleat jurisdictionem (tom. III, p. 303 seq. et 306 seq.). **2°)** Extra casum necessitatis, i. e. nisi excusetur ratione necessitatis proximi, vel infamiae vitandae, vel metus gravis, excommunicatus *vitandus* semper, *toleratus* vero, nisi fuerit ad id expresse vel tacite requisitus, **graviter peccat,** si sacramenta conficiat vel administrat; imo, si collatio sacramenti exercitium *Ordinis* requirat, incurrit **irregularitatem** (pag. 362). Unde, si v. g. nullo modo rogatus celebret toleratus, fit ipso facto irregularis. Secus dicendum, si saltem *tacite* fuisset rogatus, ut si dies festus occurrat, neque alius adsit sacerdos qui missam valeret pro populo celebrare : quia tunc juste praesumitur populus missam petere ad implendum praeceptum.

R. 2°) Quod ad privationem *passivam* sacramentorum, i.e. privationem receptionis eorumdem attinet, notentur sequentia.

Explanatur. 1°) Excommunicatus, sive *toleratus*, sive *vitandus*, **valide** quidem recipit sacramenta, **excepto** *per se* sacramento *poenitentiae* : quia in aliis nullus est defectus essentialium ; in hoc autem est defectus dispositionis, cum suscipiens actu *mortaliter* peccet, nisi bona fide procedat ex ignorantia invincibili juris vel facti, aut necessitate compellatur, et ideo dixi : **per se. 2°)** Excommunicatus, etiam *toleratus*, per se **graviter peccat,** sacramentum aliquod recipiens, quia agit in re gravissima contra praeceptum Ecclesiae. Imo antea, si recipiebat sacramentum *Ordinis*, ab exercitio Ordinis suscepti suspendebatur ex cap. XXXII (*de sent. excomm.*), donec censura tolleretur. Sed haec suspensio per Const. « *Apost. Sedis* » abolita fuit.— **Excipe** : nisi excusetur ignorantia invincibili vel metu gravi, qui tamen non sit incussus in contemptum censurae, et ideo dixi : **per se.**

Q. 33. *An* et *qualiter* peccet et *in poenam* incidat, qui 1°) RECIPIT sacramenta ab *excommunicato ;* 2°) ADMINISTRAT sacramenta EXCOMMUNICATO?

R. Ad 1^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Qui etiam, absque causa, recipit sacramenta ab excommunicato **tolerato,** ubi praesumitur administraturus in statu gratiae et modo non sit *haereticus* aut *schismaticus notorius*, non peccat nec ullam poenam incurrit. **2°** Qui vero a **vitando,** aut ab *haeretico* vel *schismatico* **notorio,** scienter recipit sine necessitate, *peccat graviter*, cum transgrediatur praeceptum grave (tom. II, pag. 427 seq.). Praeterea **3°)** quod *poenam* attinet, qui in adulta aetate ab **haeretico notorio** baptismum suscipit, extra casum necessitatis, incidit in *irregularitatem* (p. 359 seq.). Imo, ex Const. « *Apost. Sedis*, » qui *mala fide* Ordinem suscipit ab *excommunicato* vel *suspenso* vel *interdicto* (a collatione ordinum) **nominatim denuntiatis,** aut ab **haeretico** vel **schismatico notorio,** suspensionem Rom. Pontifici reservatam, ab Ordine suscepto ipso jure incurrit ; sin vero *bona fide*, exercitio dumtaxat Ordinis interdicitur, quoad suus episcopus cum ipso dispensaverit (om. III, pag. 479 .

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Qui 1°) *scienter* administrat sacramenta excommunicato **vitando**, *peccat graviter :* tum contra praeceptum divinum, quod prohibet sacramenta indignis ministrari; tum contra praeceptum ecclesiasticum, quod sub gravi prohibet communicationem in divinis cum vitandis. Insuper, quod *poenas* attinet, ex Const. « *Apost. Sedis*, » si clerici *scienter* et *sponte* communicent in divinis cum personis a *Rom. Pontifice* **nominatim excommunicatis**, incurrunt excommunicationem Papae *reservatam* (sub n. XVII). Si vero **nominatim excommunicatos** ab *episcopis* vel *aliis ordinariis* scienter ad sacramenta admittunt, ipso jure incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint (inter *interd.* sub n. II). Qui 2°) *scienter* administrat sacramenta excommunicato **tolerato**, peccat mortaliter, *per se loquendo*, contra praeceptum divinum, nisi *per accidens* excusent infamia suscipientis, damnum ministrantis, aliorum scandalum et sigillum confessionis juxta dicta (tom. II, p. 408 seqq.). Non peccat tamen *vi censurae*, i. e. contra legem ecclesiasticam : quia haec non impedit communicationem cum excommunicato tolerato neque in divinis, si haereticos et schismaticos notorios excipias (pag. 402).

Q. 34. *Quid* dicendum de 2° effectu excom. MAJORIS, seu de privatione *communium Ecclesiae suffragiorum?*

R. Notentur sequentia.

Explanatur. 1°) *Communia Ecclesiae* **suffragia** dicuntur, per quae fideles nomine et auctoritate Ecclesiae se invicem juvant, et praecipue consistunt in his **tribus** : *sacrificio missae*, quod nomine totius Ecclesiae offertur; *indulgentiis*, quae ex communi Ecclesiae thesauro depromuntur, et *orationibus publicis*, quae in processionibus, choro vel alias nomine Ecclesiae funduntur. 2°) Certum est, excommunicatum **vitandum** istis privari. Unde graviter peccant, qui contra prohibitionem Ecclesiae similia applicant *vitando*, etiamsi sit vel ante mortem fuerit contritus, nec habuerit occasionem absolutionis ab hoc vinculo impetrandae. Secus dicendum, si solummodo *privatas* preces vel pia opera pro talibus offerant, inter quae etiam est *Memento in missa;* aut etiam *publice* pro ipsis orent aut missam offerant, non quidem *directe*, sed tan-

tum *indirecte*, i. e. ad impetrandam eorum conversionem (tom. I, p. 353 et tom. III, p. 109 seq.). 3°) Utrum vero excommunicati **tolerati** communibus Ecclesiae suffragiis priventur, DD. *disputant*. Probabiliter excommunicati *tolerati* communibus hisce suffragiis non privantur, si alii fideles ea sponte voluerint pro ipsis applicare. Ratio : quia fideles possunt cum his communicare tam in divinis quam in humanis; ergo etiam in communibus suffragiis. Dixi : **si sponte voluerint**; haec enim est disparitas inter alios fideles et istos excommunicatos, quod illis communia suffragia applicentur independenter a speciali applicatione per ipsam intentionem Ecclesiae; his vero solum ex intentione speciali arbitraria. Ceterum responsio tantum procedit *generatim loquendo :* nam certum est, non licere publica Ecclesiae suffragia offerre pro **haereticis** et **schismaticis,** nisi *indirecte*, juxta modo dicta.

Q. 35. *Quid* dicendum de 3° effectu excom. MAJORIS, seu privatione *divinorum officiorum?*

R. Notentur sequentia.

Explanatur. 1°) Per **divina officia** intelliguntur sacrae functiones quae fiunt a ministris Ecclesiae, ut missa, publicae processiones, horae solemniter decantatae, solemnes benedictiones et consecrationes, etc.— 2°) **Quilibet excommunicatus,** sive *vitandus*, sive *toleratus*, nisi excuset ignorantia vel necessitas, prohibetur sub gravi interesse missae aliisque divinis officiis publicis, etiam diebus praeceptis. Et quidem si, tempore dictorum officiorum, in ecclesia adsit **vitandus,** monendus est, ut exeat; quod si noluerit discedere, vi expellendus est; quod si nequeat expelli, nisi cum gravioris mali periculo, quod facile hisce diebus contingere posset, officia debent abrumpi, etiam die festo. HINC missa, nondum inchoato canone, abrumpenda est; si inchoato canone ante consecrationem, abrumpi potest (tom. III, p. 177 seq.); quod si non abrumpatur vel in casu quo adveniat post consecrationem, sacerdos debet cum unico ministro sacrificium perficere usque ad communionem inclusive, et reliqua supplere in sacristia aut loco decenti. Alii vero omnes debent recedere, ne cum illo *vitando* communicent in divinis; quod tamen de illo solum altari, cui *vitandus* ad audiendam missam assistit, intelligendum esse putat SUAREZ. Ast excom-

municatum **toleratum** expellere aut vitare ceteri fideles non tenentur. — 3°) Permittuntur **cuilibet excommunicato,** etiam *vitando*, illa omnia quae stricte non veniunt nomine *officiorum divinorum*. Sic **A**) extra tempus quo divina officia celebrantur, ecclesiam, in qua adsunt fideles, ingredi potest ad orandum, sed seorsim seu a coetu fidelium separatus; imo, ita potest assistere concioni, quia id ei libenter conceditur, ut ad conversionem adducatur. **B**) Licita sunt ipsi veneratio et usus privatus sacrarum imaginum, reliquiarum, aquae benedictae aliorumque sacramentalium. Non tamen lucratur indulgentias rebus sacris annexas, nec percipit ex sacramentalibus fructum quem ex benedictione Ecclesiae producunt. — 4°) Cum *nemo debeat reportare* **commodum** *ex propria iniquitate*, HINC **A**) excommunicatus, ad horas canonicas obligatus, ab iis non dispensatur. Sed eas privatim recitare debet, nec socium adhibere potest, nisi sit toleratus, vel necessitas cogat; et tenetur, sub veniali, loco : *Dominus vobiscum*, quae verba cum aliis indicant communionem, dicere : *Domine exaudi orationem meam*. HINC **B**) excommunicatus peccat contra praeceptum de confessione et communione annua, si non petat absolutionem, ut possit illis praeceptis satisfacere; non tamen probabilius propterea peccat contra praeceptum de audienda missa : quia praecepta divina strictius urgent quam humana; praeterea priora per se ordinata sunt ad mundandam conscientiam, non sic tertium (tom. I, pag. 157 seq.). Peccaret tamen, si non peteret absolutionem ideo praecise, ne liberatus teneatur missae de praecepto adesse : quia sic adesset fraus et aequivalens legis violatio (S. LIG. VII, 177 in fine).

Q. 36. *Quid* dicendum de 4° effectu excom. MAJORIS, seu de privatione *jurisdictionis ecclesiasticae?*

R. Notentur sequentia.

Explanatur. *Excommunicatus* **vitandus** privatur omni, si quam antea habebat, jurisdictione ecclesiastica, pro foro tam *externo* quam *interno*. Quare nec *licite* nec *valide* potest eligere vel praesentare ad beneficia, multo minus ea conferre; condere leges, ferre sententias, nec absolvere in foro poenitentiae extra mortis periculum aut nisi error communis suppleat jurisdictionem (p. 403). 2°) *Excommunicatus* **toleratus,** etsi *notorius*, jurisdictionem

exercet *valide*, quia alias magna in Ecclesia oriretur confusio; sed eam exercet graviter *illicite*, nisi fuerit a fidelibus expresse vel tacite requisitus, aut nisi excuset metus, ignorantia aut grave damnum proximi. Dixi : **nisi fuerit requisitus**; cum enim concessa sit fidelibus communicatio cum *toleratis*, indirecte etiam his indultum est cum fidelibus petentibus communicare.

Q. 37. *Quid* dicendum de 5° effectu excom. MAJORIS, seu de privatione *sepulturae ecclesiasticae?*

R. Notentur sequentia.

Explanatur. 1°) *Excommunicatus* **vitandus**, etsi decesserit cum signis poenitentiae sed sine absolutione ab excommunicatione, nequit in loco sacro sepeliri. Quod si ante absolutionem sit sepultus in loco sacro, debet exhumari, si adhuc possibile sit, et locus sacer, quia ex tali contactu *pollutus* fuit (tom. III, p. 149 et 455), reconciliari. **2°)** *Excommunicatus* **toleratus**, si poenitentiae signa dedit, *per se loquendo*, sepeliri in loco sacro potest, quamvis *deceat* eum prius ab excommunicatione absolvi. Dixi : **per se loquendo**; nam recolenda sunt dicta *de duellantibus* (tom. III, pag. 450 seq.). **3°)** Quod **ad poenas** attinet, ex Const. « *Apost. Sedis,* » excommunicationem latae sententiae nemini reservatam incurrunt « *mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos*, » ut explicatum fuit (tom. III, p. 432 seq.). Praeterea clerici « *nominatim excommunicatos ad ecclesiasticam sepulturam admittentes* (quo nomine intelliguntur ad quorum curam spectat prohibere vel admittere aliquem ad hujusmodi actum, adeoque qui regimen habent ecclesiae vel coemeterii), *interdictum ab ingressu ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.* » (Interd. sub n. II.)

Q. 38. *Quid* dicendum de 6° effectu excom. MAJORIS, seu de privatione *communionis*, tum *civilis*, tum *forensis?*

R. Noter sequentia.

Explanatur. NOTETUR : **1°)** Privatio communionis **civilis** consistit in privatione actuum qui per modum sive commercii, sive societatis, sive conversationis, inter homines ordinarie locum

habent, uti sunt : contractus, cohabitatio, colloquia, litterae, salutationes, missio et acceptatio munerum, invitationes reciprocae ad mensam, etc. Hujusmodi actus communiter cum S. Thom. (*Suppl.* q. 21, a. 1) designantur hoc versu :

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Per Os enim intelliguntur oscula, amplexus, colloquia, litterae, munera, etc. Per Orare designatur societas in cultu divino; sed hoc potius ad communionem *spiritualem* attinet. Per Vale significatur honorifica salutatio. Per Communionem indicantur contractus, commercia, cohabitatio, iter, etc. Per Mensam intelligitur convivium.

Privatio communionis **forensis** importat prohibitionem actuum ad judicium pertinentium in foro sive *civili*, sive *ecclesiastico*, adeo ut nequeat quis esse judex, scriba, testis, notarius, advocatus, procurator, etc. — Notetur : 2°) Hac *duplici* communione cum fidelibus privantur excommunicati **vitandi**, ac insuper eadem cum *vitando* prohibetur ipsis *fidelibus;* ita ut *vitandi* communicando in istis cum fidelibus, et vicissim *fideles* cum vitandis, peccent saltem leviter, nisi adsint causae, quae communicationem istam reciprocam excusent. Imo, ex Const. «*Apost. Sedis*» excommunicationem Papae *reservatam* incurrunt : «*Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in* crimine criminoso, *ei scilicet impendendo auxilium vel favorem,*» i. e. in eodem crimine ob quod fuit excommunicatus, ut si quis excommunicato *nominatim a Papa* (et non ab alio) propter *haeresim*, et a se ut tali cognito, *auxilium* praebet ad *errorem* diffundendum.—Notetur : 3°) Excommunicati **tolerati** non possunt quidem cum fidelibus communicare in *divinis*, nisi in necessitate, aut nisi fuerint a fidelibus expresse vel tacite rogati (pag. 403) : quum privilegium seu concessio Martini V *fidelibus*, non vero *toleratis*, faveat (pag. 402). Attamen, ex hodierna consuetudine, cum fidelibus communicare possunt in *humanis*, i. e. in *civilibus* et *forensibus*, etiamsi ab eis non fuerint rogati.

Q. 39. *Quae* sint causae licitam reddentes communionem cum *vitandis* in rebus *humanis*, seu in *civilibus* et *forensibus?*

R. Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 23, a. 1) causae hujusmodi hoc versu exprimi solent :

« Utile, lex, humile, res ignorata, necesse. »

Explanatur. 1°) Vox **utile** significat *notabilem utilitatem* spiritualem aut corporalem, tum nostram, tum aliorum, tum ipsius excommunicati. Hinc licitum est, petere ab excommunicato *vitando* eleemosynam, consilium, medicinam, sicut licet ei dare ea quibus indiget, ne damnum notabile vel injuriam patiatur in anima, corpore, fama vel bonis corporalibus. 2°) **Lex** significat *legem matrimonii*, ob quam conjugati secum invicem cohabitare tenentur. Hinc tam excommunicato *vitando*, quam ejus *conjugi*, licet petere et reddere debitum, et in aliis omnibus mutuo conversari. **Excipe,** si factum fuerit divortium, vel si excommunicatio lata fuerit ob haeresim, aut ob dubium de valore matrimonii. 3°) **Humile** designat *subjectionem domesticam*, juxta quam filii communicare possunt cum excommunicatis *vitandis* parentibus, domestici cum heris, opifices cum patronis, milites cum ducibus, subditi cum principe, et generatim inferiores cum superiore; sicut a pari, dicti superiores communicare possunt cum *vitandis* inferioribus. 4°) **Res ignorata** intelligitur *ignorantia*, sive juris, sive facti, etiam culpabilis et crassa, modo non sit affectata; imo et *dubium* de excommunicatione vel denuntiatione : quia in dubio nemo praesumitur malus. 5°) **Necesse** denotat *notabilem necessitatem*, sive se teneat ex parte excommunicati *vitandi*, sive communicantis cum eo, sive tertii, et in quocumque genere bonorum : quia necessitas non habet legem, praesertim humanam, ut est praesens. A fortiori intelligitur *violentia* et *metus gravis*, quibus etiam excusari potest communicatio in divinis. **Excipe,** nisi metus incutiatur, in contemptum censurae, et ideo nunquam licet communicare in ipso crimine criminoso formaliter.

Q. 40. *Quid* dicendum de 7° et 8° effectu excom. majoris, seu 1°) de *inhabilitate ad beneficia* et 2°) de *nullitate rescriptorum pontificiorum?*

R. Ad 1^{um}) Quod *inhabilitatem ad beneficia* attinet, dicenda sunt sequentia.

Explanatur. Dicendum est : 1°) **Quilibet excommunicatus**, non tantum *vitandus*, sed etiam *toleratus*, est incapax beneficii obtinendi, nullaque ei in hoc suffragatur ignorantia, etsi invincibilis, excommunicationis contractae vel nondum sublatae. Ratio primi est : quia ex una parte excommunicatis prohibitum est exercere officium ecclesiasticum, propter quod datur beneficium; ex altera parte collatio beneficii est favor directus ipsius obtinentis : jam vero Constitutio Martini V excommunicatis, etiam tantum toleratis, nullum intendit favorem concedere. Ratio secundi est : quia ignorantia invincibilis excusat quidem a culpa, sed inhabilitatem non tollit. **Excipe**, nisi collatio fiat a Superiore cum absolutione *ad cautelam*, uti dari solet ad solum effectum evadendi actus nullitatem. — Dicendum est : 2°) *Excommunicatus*, etiamsi sit *vitandus*, **non privatur** beneficiis jam obtentis *ante excommunicationem* : quia nullo jure hoc cavetur; imo nec eorum fructibus ante sententiam judicis; quia haec poena non satis probatur. Si tamen per annum in excommunicatione insordescat ac negligat procurare absolutionem, poterit obtento beneficio privari; imo ex Trid. contra eum tanquam de *haeresi suspectum* procedi potest (pag.403). — Dicendum est : 3°) *Excommunicatus* accipiens beneficium, et ille a quo accipit, **peccant graviter**, quippe qui contra gravem Ecclesiae prohibitionem agunt.

R. Ad 2^{um}) Quod spectat ultimum effectum, excommunicatio major *irrita reddit rescripta apostolica;* i. e. gratiae et concessiones R. Pontificis non prosunt excommunicato, ut constat ex cap. I *de rescriptis* in 6°.

Explanatur. Hic tamen effectus vix locum habet, propter clausulam apponi solitam, qua R. Pontifex absolvit *ad cautelam* ab omnibus censuris ad effectum praesentium assequendum, excepta excommunicatione lata ob haeresim, quae quidem non comprehenditur sub generali absolutione.

ART. 2us. De suspensione.

CAP. UNIC. De quidditate suspensionis, divisione, effectibus et absolutione.

Q. 41. *Quid* 1°) sit SUSPENSIO, et 2°) *quomodo* DIFFERAT ab aliis censuris?

R. Ad 1um) *Suspensio*, proprie dicta, communiter a DD. definitur : *censura ecclesiastica per quam clericus privatur usu aut* OFFICII, *aut* BENEFICII, *aut* UTRIUSQUE *simul.*

Explanatur. Dicitur 1°) **censura** : quia *per se* fertur *in medicinam* per modum monitionis, ut delinquens a contumacia desistat. Quandoque tamen fertur per modum *poenae vindicativae* aut *ad cautelam ;* sed tunc vim *censurae* non habet, ut postea dicetur. Dicitur : 2°) **clericus**; unde solus clericus suspendi potest, quia ipse solus est *subjectum* suspensionis. Dicitur : 3°) **usu**; quia non privat ipso officio vel beneficio, sed tantum illorum exercitio. Dicitur : 4°) **officii**; quo nomine intelligitur omnis potestas spiritualis sive *ordinis*, sive *jurisdictionis*. Dicitur : 5°) **beneficii**; quo verbo heic venit jus percipiendi fructus ejus illudque administrandi. Et quoniam suspensio clericum usu potestatis ecclesiasticae sibi competentis ratione officii et beneficii privare potest *in toto* vel *ex parte*, hinc : — Dicitur : 6°) AUT *officii* tantum, AUT *beneficii* tantum, AUT *utriusque* simul.

R. Ad 2um) Differt ab *excommunicatione* et *interdicto* : tum quia hae censurae etiam afficere possunt *laicos;* tum quia licet etiam privent exercitio divinorum officiorum, attamen *diverso modo* a SUSPENSIONE : haec enim illo privat, quatenus est quidem usus potestatis ecclesiasticae; *excommunicatio* autem (quae multis aliis bonis privat), quatenus est communicatio cum fidelibus; *interdictum*, quatenus est cooperatio actionis sacrae.

Q. 42. *Quotupliciter* SUSPENSIO *distinguatur?*

R. *Multipliciter* distinguitur.

Explanatur. *Distinguitur :* 1°) Ratione **extensionis** seu

effectuum; et sic alia est *totalis*, si privat usu officii et beneficii simul. Alia est *partialis*, si tantum ab alterutro; et haec quidem in multas alias subdividi potest : **A**) *Ab ordine*, idque sive unius tantum ordinis parte, sive uno, sive pluribus, sive omnibus. **B**) *A jurisdictione*, idque interna solum, sive solum externa, sive ab ulterutrius parte, sive utriusque, sive tota. **C**) *A beneficio*, idque vel tantum a fructuum perceptione; vel tantum a beneficii administratione, ita ut suspensus vetatur bona beneficii locare, fructus vendere, judicio agere; vel denique ab utroque simul. — *Distinguitur* : 2°. Ratione **causae efficientis**; et sic alia est *a jure*, alia *ab homine*. — *Distinguitur* : 3°) Ratione **formae**, qua fertur; et sic alia est *latae sententiae*, alia *ferendae sententiae*. — *Distinguitur* : 4°) Ratione **motivi**, ob quod fertur; et sic alia est *medicinalis*, si ad emendationem, et haec quidem *sola* est censura stricte dicta; alia est mere *poenalis*, si detur ad vindictam; alia denique *ad cautelam*, quae infligitur clerico, ob solam criminis suspicionem, si haec graviter existimationem onerat, cum non deceat non integrae famae clericum operari sacris. — *Distinguitur* : 5°) Ratione **ministri**, ad quem pertinet facultas absolvendi; et sic alia est *reservata*, alia *non reservata*.

Q. 43. *Quaenam* sint REGULAE ad dignoscendum quousque se extendat suspensio, seu an sit *totalis*, an vero *partialis*?

R. Sunt *duae* sequentes.

Explanatur. A) *Prima* **regula** est : Quando suspensio fertur *absolute* et *simpliciter* i. e. sine ulla determinatione ad hoc vel illud, censetur esse *totalis*, i. e. tam ab officio quam a beneficio, cum non sit ratio, cur potius intelligatur de uno, quam de alio, nisi ex adjunctis colligatur. — **B**) *Secunda* **regula** est : Quando suspensio fertur *determinate* ad hoc vel illud, tunc non suspendit, nisi ab eo quod exprimitur, vel quod in eo necessario includitur.

Resolvitur 1. Suspensus *ab* **Ordine** non ideo est suspensus *a* **jurisdictione** et vicissim. Ita docet S. Thom. (*Suppl.* q. 22, a. 3), et merito quidem : *Ordo* enim est quid distinctum a *jurisdictione* et sine ea reperitur. Neque suspensus *a* **beneficio** hoc ipso est suspensus *ab* **officio** : quia potest quis in poenam privari fructibus beneficii ejusque administratione, manente onere illud deserviendi;

quare talis tenetur in ecclesia, a cujus beneficio est suspensus, divina officia exercere, quia poena non relevat ab onere. Neque suspensus *ab* **officio** hoc ipso suspensus est *a* **beneficio** : quia nomine officii non venit beneficium. **Resol. 2.** Suspensio *ab* **officio,** absolute seu simpliciter prolata, privat omni usu *ordinis* et *cujuscumque jurisdictionis* tam *internae* quam *externae :* qui enim totum prohibet, omnes partes censetur prohibere. **Resol. 3.** Suspensio *a* **jurisdictione,** simpliciter prolata, privat omni usu jurisdictionis spiritualis, tam internae quam externae : quia propositio indefinita in materia doctrinali aequivalet universali. **Resol. 4.** Suspensio *ab* **ordine,** absolute lata, prohibet omnem actum cujuscumque ordinis etiam minoris solemnem. Qui tamen suspensus est ab ordine *superiori*, v. g. a sacerdotio, non ideo suspensus est ab inferiori, v. g. diaconatu : quia potest aliquis ut indignus arceri a majori et admitti ad minus. Contra suspensus ab ordine *inferiori*, suspenditur quoque a superiori : nam cui non licet minus, nec licebit majus, cum minus sub majori contineatur. **Resol. 5.** Suspensio *a* **beneficio,** simpliciter prolata, privat — tum fructibus (quo nomine veniunt *reditus* temporales ex beneficio, adeo et *census*, *decimae, primitiae ;* non vero aliunde provenientes, ut incerta obventionum seu stolae, nec probabiliter distributiones quotidianae) ; — tum fructuum administratione. Et si quis plura habeat beneficia, suspensus a beneficio, ab omnibus beneficiis suspensus intelligitur, etiam ab iis quae possidet in aliena dioecesi, nisi aliud exprimatur. Nihilominus benigna interpretatione receptum est, suspensione lata jure dioecesano, aut sententia vel praecepto Ordinarii, ea tantum beneficia contineri, quae quis possidet in ejus dioecesi, nisi aliud fuerit expressum. Non tamen reddit eum inhabilem ad novum beneficium obtinendum, saltem ipso jure : quia talis collatio nullo jure expresse irritatur et suspensus a beneficio adhuc aptus est ad exercendum actus officii propter quod datur beneficium. Nec etiam eumdem privat jure eligendi et praesentandi : quia licet potestas eligendi proveniat a beneficio, ipsa tamen actualis electio non est actus seu fructus beneficii, sed potius officii. Praeterea suspensus a beneficio si sit pauper, et suspensus sit in poenam criminis omnino praeteriti, non privatur reditibus qui ad sui sustentationem sunt necessarii ; secus si suspensio lata sit ob contumaciam : quia

non debet ab Ecclesia subveniri ei, qui voluntarie Ecclesiae disciplinam vilipendit, cum libere possit a sua contumacia recedere. Imo, licet beneficiarius suspensus teneatur per se restituere fructus, si tamen fuerit occulte suspensus et onera adimpleat, probabiliter potest retinere partem, quam dare deberet substituto : quia esset stipendium laboris.

Scholion. Circa **decimas**, de quibus modo facta est mentio, placeat per transennam ex S. THOM. (2. 2. q. 87, a. 1-4) sequentia adnotare. **1°**) Decimarum **nomine**, intelligitur decima vel alia quota pars, plerumque duodecima, quintadecima, imo alicubi vigesima seu trigesima pars, fructuum et proventuum juste acquisitorum, Deo in recognitionem supremi ejus dominii debita et ministris Ecclesiae solvenda. **2°**) Decimarum **triplex** distinguitur genus : Aliae sunt *praediales*, quae proveniunt ex agrorum seu praediorum fructibus, ut ex vino, tritico, etc.; aliae sunt *personales*, quae proveniunt ex lucro per industriam et laborem aquisito, v. g. ex negotiatione, opificio, militia, etc.: aliae sunt *mixtae* quae proveniunt partim ex labore et industria, partim ex praediorum fructibus, ut animalium foetus eorumque fructus, lac, caseus, butyrum, etc. **3°**) Quod attinet **jus** decimas persolvendi, *distinctione* opus est : **A**) Si decimae considerentur *materialiter*, i. e. *secundum substantiam*, debentur jure NATURALI. Nam ratio naturalis dictat, ut eis, qui divino cultui ministrant ad salutem totius populi, ipse populus necessaria victus ministret, sicut his qui communi utilitati invigilant, ut sunt Principes, milites, etc., stipendia victus debentur a populo. Quod eleganter exponit Apost. (1 COR. IX, 7 seqq.) inquiens : « *Quis militat suis stipendiis unquam ?* » et reliqua. Unde quoque illud Christi (LUC. X, 7) : « *Dignus est enim operarius mercede sua.* » **B**) Si vero decimae considerentur *formaliter*, i. e. *secundum determinatam quotam*, earum solutio non est juris naturalis. Ast in *veteri* Lege erat juris DIVINI ; in *nova* Lege est juris ECCLESIASTICI tantum. **4°**) Ad **modum** solvendi quod attinet, decimae olim solvebantur *episcopo*, qui eas Ministris distribuebant ; sed, facta bonorum divisione, de jure communi ad *Parochum* pertinent : *praediales* quidem Parochi sunt, in cujus territorio praedia exsistunt ; *personales* vero Parochi, a quo sacramenta recipiuntur. **5°**) Qui decimas (vel pensiones loco decimarum a Gubernis assignatas) **defraudant**, *dupliciter* peccant : tum **contra RELIGIONEM** ; quia decimae etiam debentur in contestationem dominii universalis Dei super nos, ut habetur in cap. « TUA NOS » 26 *(de dec.)*, et consequenter in cultum Dei ; tum contra JUSTITIAM, quia sunt justa merces Ministrorum Ecclesiae, et ideo defraudantes a TRID. (Sess. XXV cap. XII *de ref.*) obligantur ad restitutionem ; imo si detinens sit contumax, potest et debet excommunicari, non quidem a parocho, quia jurisdictionem fori externi non habet, sed

ab episcopo. Non ergo sunt purae eleemosynae, et idec debentur etiam ministris *divitibus*, quin et *improbis*, cum officio suo funguntur. Hinc damnata fuit a MART. V in Conc. CONST. sequens WICLEFFI prop. sub n. 18 : « *Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre.* » 6°) Decimarum obligatio variis de causis **cessare** potest : **A**) *Privilegio* Pontificis aliquos eximentis ; **B**) *Consuetudine* legitime introducta, modo secus tribuatur pars congrua, quae debetur jure naturae : et ita decimae *personales* jam dudum obsoleverunt et earum loco nunc vigent *jura stolae*, v. g. quarta funeraria ; **C**) *Remissione* facta ab eo cui debentur ; **D** *Transactione* seu compositione sive cum privatis, sive cum gubernis. Ast jus percipiendi decimas a **lege civili,** quemadmodum nuper in Italia factum est, minime auferri potest. Quo spectant *Litt ae* S. POENIT. (25 Aug. 1887) ejusdemque *Instructio* (2 Sept. 1887).

Q. 41. *Quomodo* intelligenda sit SUSPENSIO quae dicitur *a divinis*, sine alio addito?

R. Non *concordant* DD. Ast, nisi alicubi forsan ea verba aliter explicet usus, cum SUAREZIO dicendum est, suspensionem *a divinis* eamdem esse ac suspensionem *ab officio* simpliciter prolatam.

Explanatur. Haec sententia est conformior juri canonico, ubi ea verba indiscriminatim videntur sumi ad unum significandum. Unde sic intellecta suspensio **a divinis** importat suspensionem ab *omni officio ecclesiastico*, sive illud ab *ordine*, sive a *jurisdictione* dependeat. Quare sic suspensus prohibetur celebrare missam, audire confessiones vel alios ad confessiones approbare ; item praedicare, solemniter benedicere et baptizare, canere evangelium, imo et epistolam, cum vestibus sacris ; item beneficia conferre, excommunicare, divinis officiis interesse ut clericus, sive in choro, sive extra, v. g. processionibus, funeribus ; item quascumque functiones agere nomine Ecclesiae. Poterit tamen divinis officiis interesse ut laicus, et canere ut laici faciunt. — An vero eo in casu possit distributiones accipere, DD. *disputant*. Alii **affirmunt** : quia illae dantur praesentibus. Alii **negant** : quia esto sit praesens, non tamen est talis ex officio. Alii **dicunt** cum SANCHEZ, quod, etsi possit distributionibus privari, nullibi tamen constat hanc privationem ipso jure esse impositam.

Q. 45. *Quaenam* SERVANDA sint in inflictione *suspensionis?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Suspensio ferri seu irrogari potest : vel qua proprie **censura** est, vel qua solum **poena**, vel qua **cautio** seu moderatio quaedam, seu, ut dicitur, *ad cautelam.*

A) Si feratur qua est **censura**, omnia servanda sunt, quae in censuris ferendis servanda esse diximus. Hinc ferri non potest : **1°**) nisi propter *delictum*, et quidem grave, si ipsa suspensio gravis sit (pag.389 seq.); **2°**) nisi propter *contumaciam*, adeoque irrogari nequit propter peccatum omnino praeteritum, quod tractum successivum non habeat (pag.375); **3°**) nisi praemissa aliqua *monitione* et nisi *signo externo* exprimatur (pag.382seq.). Et quamvis censura *sine scriptis* lata valeat, quia tamen hoc grave est, ideo si suspensio *oretenus* fiat, ut si episcopus verbo tenus clerico dicat : *Suspendo te a celebratione*, magis prohibitio seu poena praesumitur quam censura : quia non praesumitur superior velle peccare, illicite eam ferendo sine scripto, nisi aliud constet, aut nisi superior privilegium habeat absque scripto eam ferendi.

B) Si feratur qua est **poena**, irrogari quidem potest ex levi culpa, dummodo et ipsa levis sit, adeoque suspensio sit vel ab officio tantum, vel a beneficio tantum, vel ab utroque, sed ad tempus valde breve, puta ad diem vel hebdomadam.

C) Si feratur **ad cautelam**, irrogari potest vel ob solam criminis suspicionem, sed tantum ab ordine vel a jurisdictione, non vero a beneficio. — Praeterea qua *poena*, vel qua *cautio*, monitione non eget et oretenus ferri potest.

Q. 46. *An* 1°) SUSPENSIO ferri possit *ex informata conscientia*, et 2°) *an* tunc VIM *censurae* obtineat?
R. Ad 1um) *Affirmative.*

Explanatur. Ratio est : quia hodie, ex Conc. Trid. (Sess.XIV, c.1*de ref.*), ferri potest ab Ordinariis «*ex quacumque causa*, ETIAM *ob occultum crimen*, *quomodolibet*, *etiam* EXTRAJUDICIALITER,» seu, ut dici solet, **ex informata conscientia**, i. e. ex causis sibi notis, quas proinde ipsi reo non tenentur manifestare, sed tantum S.Sedi, si suspensus ad eam recursum habuerit, atque ideo nullo formato

processu, nullaque praemissa monitione. Constat praeterea ex Bened. XIV (*de Syn.* lib. XII, c. 8) et patet ex Bulla «*Auctorem fidei*» quae sub n. 49 propositionem Synodi Pistoriensis docentis : «*nullas et invalidas esse suspensiones ex* informata *conscientia*,» solemniter damnavit ut «*falsam, perniciosam et in* Tridentinum *injuriosam.*» — Opinatur quidem Bouix, episcopum posse suspendere *ex informata conscientia* etiam quando delictum est omnino **publicum** : tum quia Trid. concedit episcopum posse procedere «*extrajudicialiter ex quacumque causa,* etiam *ob occultum crimen*;» porro illud «*etiam*» aperte supponit, eum id posse et quando crimen non est occultum; tum quia haec sententia menti Trid. magis congruit, quippe ei propositum fuit, non famae clericorum, sed praelatorum indemnitati consulere : jam vero, etsi delictum sit *publicum* seu fama vulgatum, contingere potest, aliquibus in locis, ut formalitates servari nequeant absque difficultatibus, vel ob populi commotionem, vel ob gubernii minas, vel ob temporum calamitatem. Verum penes Romanos Canonistas contraria viget opinio, qua docetur extrajudiciale *ex informata conscientia* puniendi remedium, quale decrevit Tridentinum, nonnisi ad reatus **occultos** spectare, ideoque in casu *publici* delicti non posse usurpari. Hanc doctrinam aperte tradit *Instructio* S.C.EE. et RR. (11 Jun. 1880) sub n. IX; item *Litterae* Card. Praef. ejusdem S.C.EE. et RR. (21 Dec. 1883), necnon *Instructio* S. C. de Prop. Fide (20 Oct. 1884), ap. N. R. T. (XVIII, 469 seqq.) in qua legitur sub n. 6 : «*Suspensioni* ex informata conscientia *justam ac legitimam causam praebet crimen, seu culpa a suspenso commissa. Haec autem debet esse* occulta, *et ita gravis, ut talem promoreatur punitionem.*» Tum sub n. 7 : « *Ad hoc autem ut sit* occulta *requiritur, ut neque in judicium, neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper ejusmodi numero et qualitati personarum cognita sit, unde delictum censeri debeat notorium.*» Additur sub n. 8 : « *Verum tenet etiam suspensio si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus; aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.*» Nihilominus, si episcopus ob publicum delictum *extrajudicialiter* procederet, sic censuratus judicium sui superioris revereri deberet, et sententia episcopalis taliter lata firma maneret, quoadusque fiat recursus ad S. C. C. a qua illa rescindatur, si in

aliquo substantiali forsan peccaverit, prout actum est in causa S. Agathae Gothorum (26 Febr. 1853).

Scholion. Ex citata *Inst.* S. C. de P. F. (20 Oct. 1884) placeat circa suspensionem **ex informata conscientia** haec insuper adnotare. **1°**) Ad illam ferendam sufficit, ut Praelatus simplici utatur *praecepto*, quo declaret se suspensionem *ab exercitio ordinis* vel *officii* indicere. **2°**) Hujusmodi praeceptum semper *in scriptis* intimandum est, die et mense designato, ab ipso Ordinario vel ab alia persona de expresso ipsius mandato, exprimendo insuper quod ejusmodi punitio irrogatur in vim Trid. ex informata conscientia vel ex causis ipsi Ordinario notis. **3°**) Debent exprimi *partes* exercitii ordinis vel officii ad quas extenditur suspensio; item *tempus* durationis ejusdem poenae. Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda *in perpetuum*. **4°**) Quamvis a decreto hujusmodi suspensionis *non detur appellatio* ad tribunal superioris ordinis, semper tamen patet *aditus ad S. Sedem*. Quo casu, decretum suspensionis in vigore permanet, usque dum ab ipso Pontifice seu a S. Congregatione, quae de recursu judicare debet, non fuerit rescissum, aut moderatum. **5°**) Cum istiusmodi poena sit remedium omnino extraordinarium, hinc, ut monet Bened. XIV (*de Syn.* lib. XII. c. 8. n. 6): « *reprehensibilis foret episcopus, si in sua Synodo declararet, se deinceps ex privata tantum scientia cum poena suspensionis a divinis animadversurum in clericos, quos graviter deliquisse compererit, quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari, aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere.* »

R. Ad 2^um^) *Disputant* DD.

Explanatur. Alii **affirmant**, quibus favet S. C. C., quae *in Sagonensi* (21 Jun. 1725) declaravit, *irregularitatem* contraxisse parochum, qui a proprio episcopo *ex informata conscientia* ab omni suae paroeciae exercitio indeterminate suspensus, appellatione interposita, adhuc in celebratione et curae exercitio manebat. Accedit *Inst.* S. C. de P. F. (20 Oct. 1884) in qua legitur sub n. XI: « *A decreto suspensionis* ex informata conscientia *non datur appellatio ad tribunal superioris ordinis. Postquam idcirco clericus intimationem suspensionis habuerit, si nihilominus appellationem interponere ejusque obtentu in altari ministrare seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere praesumat, statim incidit in* irregularitatem. » Jam vero contrahitur *irregularitas* ex violatione suspensionis, qua censura est, non vero qua poena. Alii **negant**, quos tacito nomine refert Bened. XIV (*de Syn.* XII, cap. 8, n. 5). Quibus

accedit Adnotator *in Bibl.* Lucii Ferraris, verbo : *Suspensionis* (n.2 et 15). Nec forte improbabiliter : si enim lata fuit ob crimen omnino praeteritum, deest censura; si vero ob crimen quod in futurum pendet, deest monitio et contumacia. Quid enim emendet, qui ignorat cur puniatur?

Resolvitur. Sive suspensio *ex informata conscientia* vim censurae obtineat, sive non, **certum** est, quod incurratur **irregularitas,** licet violetur suspensio mere poenalis, uti declaravit S.C.C. (8 April. 1848), cujus resolutionem confirmavit Pius IX (22 Maj. ejusdem an.).

Q. 47. *An* suspensio lata in *definitum* tempus, sive longum, sive breve, sit *proprii nominis* censura?

R. *Disputant* DD.

Explanatur. Alii **negant** : quia si feratur ad tempus limitatum, puta ad mensem, ad annum, vel addita particula : *in perpetuum*, aut *sine spe relaxationis*, aut *donec judex judicaverit*, aut *ad beneplacitum judicis*, etc., non pendet ejus relaxatio a poenitentia delinquentis, ac proinde suspensio tunc non est *medicinalis*, sed *vindicativa*. Alii **affirmant** ex cap. I *de sent. et re judic.* in 6°, ubi quidam, cum fuerat suspensus ad tempus et sic ministraverat, fuit expresse declaratus *irregularis*. Alii **distinguunt** cum Roncaglia, quos sequitur S. Lig. (VII, 314), nempe : negant, si lata sit ob delictum omnino *praeteritum*; affirmant vero, si *ob futurum* aut etiam *ob praeteritum*, quod tamen *tractum habeat successivum*, **ut si quis pro injuria atroci jam irrogata satisfacere contumaciter detrectet.**

Q. 48. *Quinam* sint effectus suspensionis?

H. *Effectus* suspensionis sunt sequentes.

Explanatur. 1°) Privat clericum **usu** potestatis ecclesiasticae *in toto* vel *ex parte*, prout suspensio *totalis* est, vel *partialis*, juxta dicta (pag. 413). Hinc **A**) suspensus etiam occultus, si violet suspensionem exercendo actum, a quo est suspensus, **mortaliter peccat,** quia in re gravi violat praeceptum Ecclesiae; nisi eum excuset *ignorantia*, vel *metus*, vel *parvitas materiae* (ut si presbyter suspensus subdiaconum egerit in missa solemni absque manipulo),

vel nisi id fecerit, quamdiu est *toleratus*, requisitus expresse vel tacite. Hinc **B**) actus eliciti a suspenso, si sint **actus Ordinis**, a jurisdictione non pendentes, ut si suspensus baptizet, consecret, semper sunt *validi :* quia suspensio prohibet quidem usum seu exercitium Ordinis, non vero tollit characterem seu potestatem Ordinis. Si vero sint **actus jurisdictionis**, v. g. absolutio a peccatis, tunc *subdistinguendum* est. Si sint eliciti a suspenso **vitando**, i. e. ab eo qui per sententiam particularem, ut talis nominatim et publice denuntiatus est, sunt *nulli :* quia talis privatur omni jurisdictione extra casum necessitatis aut nisi error communis suppleat jurisdictionem. Si vero eliciti sint a **tolerato**, sunt *validi* : quia ipse non privatur jurisdictione, sed tantum prohibetur illam exercere.

2°) Sive suspensio sit **veri nominis** censura, sive **non**, clericus, eam violando, i. e. si suspensione ligatus *serio*, *scienter* ac *solemniter* Ordinem *sacrum* exercet (vel etiam *minorem*, si alicubi vigeat consuetudo, ut hi Ordines a solis clericis his Ordinibus initiatis exerceantur), **irregularitatem** incurrit, nisi excusetur ratione necessitatis proximi, vel infamiae vitandae, vel metus gravis, juxta dicta (pag. 362).

Q. 49. *An* peccet, qui a suspenso *petit* exercitium illius, a quo est suspensus?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si petat a **tolerato**, quamvis *notorio*, non peccat. Si vero a **vitando**, peccat, ut quando v. g. a suspenso nominatim ab officio petit, ut missam celebret; in nullam tamen poenam incidit, quia nulla exstat in jure. Et quoniam nullo jure prohibemur communicare cum suspensis, etsi **vitandis**, possum, secluso scandalo, audire missam quam, a me non requisitus, celebrat.

Q. 50. *Quid* dicendum circa *absolutionem* suspensionis?

R. Notentur sequentia.

Explanatur. 1°) Si suspensio habeat rationem **censurae**, tollitur per solam absolutionem, et quidem superioris, si suspensio sit *reservata ;* sed illa absolutio necessario debet concedi cuique convenienter satisfacienti. **2°**) Si suspensio habeat rationem **poe-**

nae, et lata sit *ad certum tempus* vel *sub conditione*, cessat elapso tempore vel supervenienti conditione. Si lata sit *in perpetuum*, tamdiu durat, donec vel auctor aut successor vel superior eam relaxaverit, quia tunc non est vera censura nec requirit contumaciam. 3°) Si suspensio **occulta** sit, tollitur per absolutionem, illa generali forma : *absolvo te ab omni vinculo suspensionis*. Si sit **publica**, tunc in foro *interno* tollitur eadem forma; in foro vero *externo* adhibenda est forma Rit. Rom., et fieri debet ab ipso superiore vel ab ejus delegato tantum. 4°) Insuper hic notandum est, quod simplex confessarius possit **a peccatis** absolvere eum qui est suspensione *reservata* ligatus, antequam is ab hac censura per superiorem solvatur : quia effectus suspensionis non est privare receptione sacramentorum. Sufficit ergo, quod sit rite dispositus, adeoque paratus sit ad curandam liberationem a suspensione et quod interea abstineat ab exercendo illo, a quo est suspensus.

ART. 3^us^. De interdicto.

CAP. UNIC. De quidditate interdicti, divisione, effectibus et absolutione.

Q. 51. *Quid* 1°) sit INTERDICTUM, et 2°) QUOMODO *differat* a suspensione et excommunicatione?

R. Ad 1^um^) INTERDICTUM est censura ecclesiastica prohibens usum tam activum quam passivum divinorum officiorum, quorumdam sacramentorum et sepulturae ecclesiasticae.

R. Ad 2^um^) Differt a SUSPENSIONE : tum quia haec solos afficit clericos; tum quia privat quidem usu *activo* divinorum, v. g. ne quis celebret; INTERDICTUM vero etiam usu *passivo*, puta ne celebrationi eorum assistat; tum quia INTERDICTUM privat pluribus, quam SUSPENSIO. Differt etiam ab EXCOMMUNICATIONE : tum quia haec pluribus privat; tum quia privat divinis, quatenus sunt quaedum cum fidelibus communicatio; INTERDICTUM vero privat illis secundum se, seu prout sunt cooperatio rei sacrae.

Q. 52. *Quotuplex* sit INTERDICTUM?

R. *Multipliciter* distinguitur.

Explanatur. INTERDICTUM potest esse : 1°) **personale** vel **locale**, prout immediate afficit personam *vel* locum. Quibus aliqui cum BILL. addunt interdictum **mixtum**, quod complectitur *utrumque;* et tunc habetur, quando locus *et* personae illius loci immediate interdicuntur. INTERDICTUM tam *personale* quam *locale* potest esse : 2°) **generale** et **speciale.** Porro interdictum *personale* GENERALE est, quo interdicitur aliqua hominum communitas, prout constituit unum corpus; est vero *personale* SPECIALE, quo una vel plures particulares personae interdicuntur. Interdictum autem *locale* GENERALE dicitur, quo territorium, i. e. aliquis locus generalis, continens sub se plura specialia, interdicitur, ut si fertur in regnum, provinciam, civitatem, parochiam, modo non intelligatur sola ecclesia parochialis, sed totum districtum locale; dicitur *locale* SPECIALE, quo certus locus sacer interdicitur, ut si fertur in unam ecclesiam vel etiam plures ecclesias, ut particulares. INTERDICTUM potest esse: 3°) **totale** vel **partiale.** *Primum* est, quod habet omnes effectus in definitione recensitos; et tale censetur, quando absolute fertur et sine determinatione ad aliquos speciales effectus. *Secundum* est, quod aliquos tantum habet effectus, et ita est interdictum quod vocatur *ab ingressu ecclesiae*, de quo postea.

Q. 53. *Quaenam* sint REGULAE observandae in interdicto 1°) *locali*, 2°) *personali?*

R. Ad 1^{um}) Quoad interdictum *locale* observentur sequentia.

Explanatur. Observandum est : 1°) Quod in interdicto *locali* **generali** etiam comprehendantur ecclesiae regularium exemptorum, sive emanatum sit a S. Sede, sive ab Ordinario loci, ut constat ex TRID. (Sess. XXV *de regular.* cap. XII); idque etiamsi foret invalidum, dummodo illud servet ecclesia matrix. Ita Clem. « EX FREQUENTIORIBUS, » 1, (*de sent. excomm.*).— Observandum est: 2°) Quod interdicta **civitate,** censeantur etiam interdicta *suburbia* et *aedificia continentia*, i. e. propinqua, adjacentia, licet alii episcopo sint subjecta : et *interdicta* **ecclesia**, etiam *cappellae* et *coemeterium*, si ei sint *contiguae*, non autem vicissim : quia accessorium sequitur principale, non e contra. — Observandum est : 3°) Quod interdictum *locale* sit etiam **personale** respectu eorum qui sua culpa causam dederunt interdicto, ut adeo illi etiam extra locum interdictum non possint interesse divinis.

R. Ad 2um) Quoad interdictum *personale* observentur sequentia.

Explanatur. Observandum venit : 1°) Quod in interdicto *personali* **generali** etiam comprehendantur *innocentes*, ut sunt partes communitatis interdictae ; item *absentes* quando interdictum imponitur, quia absentia non impedit, eos esse membra ; imo etiam qui post latam sententiam communitati seu populo *aggregantur*, quia vere evadunt ipsius membra. — Si **objicias** : videri injustum innocentes poena interdicti puniri, **respondet** tibi Bill. : « Innocentes *per se* interdicto non ligari, sed *per accidens*, quatenus sunt in tali loco interdicto, vel sunt membra communitatis interdictae. Unde si locum mutent, cessat in illis interdictum. Quapropter non proprie puniuntur per interdictum, licet per accidens damnum sentiant, quatenus id est bono communi necessarium. » Non autem comprehenduntur *episcopi*, nisi de ipsis fiat expressa mentio ; nec *infantes* doli nondum capaces et *amentes*, quia non sunt capaces prohibitionis per tale interdictum appositae, ideoque absque ullo peccato admitti possunt ad divina officia ; neque comprehenduntur *hospites* et *peregrini*, quia non sunt partes et membra illius communitatis seu populi ; neque probabilius etiam *exteri habentes ibi quasi domicilium*, uti scholastici, litigantes, negotiatores, famuli, quia esto plerumque legibus illius populi adstringantur, non tamen illis quae afficiunt personas quatenus sunt partes et membra illius communitatis ; neque *transferentes alio domicilium* : quia sic desinunt esse partes et membra illius communitatis, modo non dederint causam interdicto, quia sic ei subjacent specialiter.

Observandum venit : 2°) Quod, ex cap. « Si sententia » (*de sent. excomm.* in 6), interdicto **populo,** non censeatur interdictus *clerus ;* nec interdicto **clero,** censeantur interdicti *religiosi*, etiam clerici, nisi habeant pastoratum aut simile beneficium, ratione cujus censeantur cum saeculari clero unum corpus efficere ; nec interdictis **religiosis,** censeantur interdicti *clerici ;* at interdictis **omnibus personis ecclesiasticis** alicujus civitatis vel provinciae, etiam censeantur interdicti tam *clerici* quam *religiosi*.

Q. 54. *Quinam* sint effectus interdicti?

R. Ut patet ex definitione, interdicti, *absolute* lati, *tres* effectus numerantur.

Explanatur. Primus effectus est : *Prohibitio tam* celebrationis *quam* auditionis *divinorum* **officiorum.** Quo nomine intelliguntur missae sacrificium, omnis publica ac solemnis deprecatio, publica recitatio horarum canonicarum in choro (nam privatim clerici beneficiati vel in majoribus constituti in interdicto locali vel personali utique tenentur recitare horas); item benedictio publica aquae lustralis, olei, cereorum, templi, vasorum, altarium in ecclesia interdicta, quae benedictiones nomine Ecclesiae a sacerdotibus fiunt; non item aliae privatae benedictiones, v. g. mensae, nec etiam concio, ad quam, teste Laymann, dari potest pulsus campanae. Nihilominus tempore interdicti *localis*, si interdictum est **speciale,** licet in ecclesia interdicta sacrum facere *semel* in hebdomada ad renovandam Eucharistiam, ne desit morituris; et in conventualibus ecclesiis legere horas canonicas binis et binis vel simul tribus. Immo, ex cap. « Alma mater, » 24 (*de sent. excomm.* in 6°), in interdicto *locali*, si sit **generale,** permittitur clericis non interdictis (quo nomine comprehenduntur etiam religiosi, imo et moniales), ut illius tempore possint *quotidie* in suis ecclesiis et monasteriis celebrare missas et cetera officia divina, « *submissa tamen voce et januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis,* » nequidem campanula ad elevationem. Praeterea conceditur pro eo tempore, ut « *in festivitatibus Natalis Domini, Paschae ac Pentecostes et Assumptionis Virginis gloriosae;* » item, ex privilegio Martini V, *in festo corporis Christi et per ejus Octavam*, imo, testibus Salm., in festo *Imm. Conc.* B. M. V. per octavam, sed tantum pro solo regno *Hispaniae*, divina de more celebrentur, pulsatis campanis et apertis januis « *excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis,* » ita tamen, ut qui interdicto causam dederint « *altari nullatenus appropinquent,* » i. e. ut explicat Coninck, non communicent, ut proinde interdicti possint istis diebus ad communionem admitti. Quocirca, ut notat Bill., « plures et graves Auctores, Palud., Soto, Avila, etc. existimant nomine *Nativitatis*, *Paschatis* et *Pentecostes*, non unum diem, sed duos vel tres dies festos sequentes intelligi, ipsamque festivitatem

Resurrectionis et Pentecostes inchoari a missa vigiliae quae cantatur sabbato praecedenti. »

Secundus effectus est : *Prohibitio tam* receptionis *quam* administrationis **quorumdam sacramentorum.** Excipiuntur autem : 1°) *Baptismus*, utpote sacramentum necessitatis, et *Confirmatio*, utpote complementum Baptismi. Quae sacramenta tempore interdicti etiam in ecclesia interdicta, palam ac solemniter conferri possunt, sicut ad hunc finem *Chrisma* suo tempore solemniter consecrari potest. 2°) Sacramentum *Poenitentiae*, quod etiam sanis conferri potest tempore interdicti, non tamen excommunicatis et iis qui causam dederint interdicto : hi enim absolvi nequeunt, nisi satisfecerint aut saltem de satisfaciendo sufficientem cautionem dederint. 3°) *Matrimonium*, sed sine nuptiarum benedictione tam extra quam intra sacrificium impertienda. — Itaque tempore interdicti per se prohibentur tantum : *Eucharistia*, *Extrema unctio* et *Ordo*. Dico : **per se**; nam potest etiam ad personaliter interdictos deferri *Eucharistia* sumenda per modum *Viatici*, si sint in probabili mortis periculo. Imo licet, eam ad aegrotos solemniter deportare cum lumine, campanula et fidelium comitatu. Permittitur etiam illam administrare in certis festivitatibus supra nominatis (p. 425). Similiter administrari potest *Extr. Unctio :* tum privilegiatis, quales sunt religiosi mendicantes, dummodo non sint specialiter interdicti ; tum iis, qui aliud sacramentum recipere non potuerint. Tandem, casu magnae necessitatis, v. g. penuriae sacerdotum, cui alio modo non posset subveniri, etiam sacramentum *Ordinis* conferri posse illis qui non sunt personaliter interdicti, multi DD. colligunt ex cap. « Non est, » *de sponsal.*

Tertius effectus est : *Prohibitio ecclesiasticae* **sepulturae,** de qua dicenda sunt sequentia. 1°) Quando *locus* est interdictus, vetitum est dare *cuivis* sepulturam ecclesiasticam, *infantibus* quoque et *amentibus*, cum haec prohibitio magis ad viventes pertineat. Excipiuntur *clerici*, qui nisi ipsi sint personaliter interdicti, vel causam interdicto dederint, aut interdictum violaverint, in eo loco interdicto sine pulsu campanarum et ecclesiastica solemnitate sepeliri possunt. **Excipe** rursus festivitates supra recensitas, in quibus, uti per totam octavam Corporis Christi, licet non tantum clericos, sed etiam probabiliter laicos in tali loco solemniter sepelire : quia

tunc interdictum *locale*, saltem *generale*, suspenditur. 2°) *Personaliter* interdicti nequeunt in loco sacro sepeliri ex CLEM. I. *de sepult.* Id tamen hodie solummodo stringit *nominatim* denuntiatos et interdictos; imo nec hos, si poenitentes decesserint et post mortem absoluti fuerint. 3°) Qui ob interdictum inhumatus est in loco profano, sublato postea interdicto, transferendus est in locum sacrum, dummodo non sint corpora personaliter interdictorum qui absque signo contritionis decesserint.

Q. 55. Dic : 1°) *qualiter* PECCENT, et 2°) in *quam* POENAM incurrant *violatores* interdicti?

R. Ad 1^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Violantes *scienter* interdictum, si sit **personale**, peccant *mortaliter* : quia violant praeceptum Ecclesiae in materia gravi; si vero sit **locale**, tunc *subdistinguendum* est : **clerici** peccant *mortaliter*, juxta communem; **laici**, satis probabiliter, peccant tantum *venialiter*. Ratio *disparitatis* est : quod interdictum *locale* directe respiciat clericos, ne ipsi in tali loco divina celebrent; indirecte tantum laicos, ne ipsi intersint, quando divina contra interdictum celebrantur.

R. Ad 2^{um}) POENAE sunt *tres* sequentes.

Explanatur. 1°) Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis, ab ecclesiastica auctoritate interdictis, incidunt in interdictum **ab ingressu Ecclesiae**, donec satisfecerint ad arbitrium ejus qui interdictum posuit. **2°)** Clericus, qui interdictum violat per exercitium Ordinis, incidit in **irregularitatem**; ut si ipse interdictus Ordinem exerceat, aut si non interdictus in loco interdicto illud faciat. **3°)** Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae nominatim interdictos incurrunt in **excommunicationem** nemini reservatam.

Q. 56. *Quis* possit ABSOLVERE ab interdicto.

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Ab interdicto **locali** (sive SPECIALE sit, sive GENERALE) et *personali* **generali** absolvit solus ille qui jurisdictionem habet in foro externo super locum aut communitatem inter-

dictam (pag.395). **2°)** A mere *personali* **speciali**, potest absolvere qui potest a culpa mortali, nisi specialiter reservetur.

Q. 57. *Quid* sit INTERDICTUM, quod vocatur *ab ingressu ecclesiae?*

R. Est interdictum *partiale* (pag. 423), seu censura ecclesiastica qua haec *tria* prohibentur : 1°) *celebratio divinorum in ecclesia ;* 2°) *auditio divinorum in ecclesia ;* 3°) *sepultura in ecclesia vel cœmeterio.*

Resolvitur 1. Interdictus ab ingressu ecclesiae non prohibetur ecclesiam ingredi, ut non pauci existimarunt. **Resol. 2.** Potest sacra celebrare eisque interesse non solum extra ecclesiam, in oratorio privato, sed etiam in coemeterio, licet ecclesiae contiguo, quamvis non possit ibi sepeliri, nisi poenitens decesserit : quia hoc secundum, non primum exprimitur in jure et aliunde sumus in odiosis. **Resol. 3.** Potest privatim orare in ecclesia; quin imo, quando divina non celebrantur, potest in ecclesia recipere sacramenta : quia non est privatus usu passivo sacramentorum. **Resol. 4.** Privilegium concessum pro certis festivitatibus supra enumeratis (pag. 425), in quibus permittitur interdictis interesse divinis, ad interdictos ab ingressu ecclesiae extenditur : quia hi non efficacius excluduntur a divinis officiis, quam absolute interdicti. **Resol. 5.** Violantes tale interdictum per exercitium Ordinis incidunt in irregularitatem.

Epilogus.

Haec dicta sunto de censuris *in genere* et *in specie*. Reliquum est, ut ad singulas censuras *latae sententiae*, quae hodiedum *de jure communi* vigent, **in particulari** descendamus, prout nimirum in Bulla « *Apostolicae Sedis* » recensentur, eas, inquam, *singillatim* considerando.

Quocirca quamvis non pauci jam, iique praeclari, prodierint COMMENTARII, liceat equidem mihi *de singulis* istis censuris simplicissimo modo, «**Adnotationum**» instar, verbum habere, breviter quidem, non tamen sine ordine aut claritatis studio.

APPENDIX I

SEU

ADNOTATIONES IN CONSTITUTIONEM

« *APOSTOLICAE SEDIS* »

QUA CENSURAE LATAE SENTENTIAE LIMITANTUR.

Praeambulum.

Vi Constitutionis «*Apostolicae Sedis*« (12 Oct. 1869), illae nunc tantum censurae *sententiae latae*, de *jure communi*, vigent, quae vel in ipsa *expresse continentur*, vel ipsi a tempore, quo promulgata est, *accesserunt*, vel postmodum *accedent*.

Explanatur. Dixi : **A**) **censurae sententiae latae.** Nam per hanc Const. nihil omnino immutatum est.: **1°**) quoad censuras *ferendae sententiae*, ideoque quoad illas procedendum est secundum veteres canones; nec **2°**) quod *poenas* ecclesiasticas mere *vindicativas*, quales sunt DEPOSITIO, DEGRADATIO, PRIVATIO DIGNITATIS, NULLITATES ACTUUM, aut INHABILITATES, quae antea viguerunt. Quia tamen a jure alienum est *ob idem crimen pluribus legibus reum fieri*, » has quoque poenas abrogatas fuisse DD. existimant quoad ea crimina, in quae Const. « *Apost. Sedis* » censuris latae sententiae *nunc primum*, quamvis levius, animadvertit.

Dixi : **B**) **de jure communi,** i. e. quoad censuras quae vocantur *generales*. Nam per Const. nihil prorsus immutatum fuit quoad censuras latæ sententiae, quae non ad Ecclesiam universam, sed vel ad instituta vel ad loca particularia spectant, adeoque censurae *particulares* nuncupantur. Quin imo eas omnes et singulas, quales erant antea, confirmavit PIUS IX, ac in suo robore permanere declaravit. Hinc, ut constat ex S. U. I. (4 Dec. 1872) et S. C. de P. F. (29 Mart. 1873), adhuc viget excommunicatio lata *adversus ecclesiasticos et missionarios quocumque modo, sive per se, sive per alios, mercaturam in Indiis orientalibus vel in America tam Australi quam Septentrionali, etiam semel tantum exercentes, necnon eorum Superiores qui ejusmodi reos non puniant, eos saltem removendo e loco delicti*, juxta Const. URB. VIII « *Ex debito* » (22 Febr. 1633) et CLEM. IX « *Sollicitudo* » (17 Jul. 1669). A qua excommunicatione, etsi nulli reservata, nemo tamen ex praedictis delinquentibus absolvi potest, ex CLEM. IX, praeterquam in mortis articulo, « *nisi lucris hujusmodi prius restitutis locorum Ordinariis vel Vicariis Apostolicis, qui ea in usum pauperum, hospitalium, seminariorum etc. applicabunt.* »

Dixi : **C**) quae in ipsa **expresse continentur.** Jam vero declarat Pontifex quod, *praeter* excommunicationes, suspensiones et interdicta, in dicta Const. recensita, *insuper* vigere pergant excommunicationes, suspensiones et interdicta : **1°**) quae in re disciplinari Conc. TRID. *invexit;* **2°**) quae spectant ad electionem Rom. Pont., quatenus « *hactenus in suo vigore perstiterunt;* » **3°**) quae pertinent ad *internum regimen* Ordinum Regularium necnon quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, quatenus iterum « *hactenus in suo vigore perstiterunt,* » i. e. quatenus desuetudine vel alia de causa non cessarunt in aliquo loco vel instituto. De quibus omnibus dicemus suo loco. — Et quoniam scopus Constitutionis est, censuras antiquas latae sententiae limitare, nedum quod ex eis quaedam exciderant « *a pristina utilitate atque opportunitate,* » sed et propter « *earum magnum numerum* » et ad tollendas sive a confessariis sive a poenitentibus « *dubietates, anxietates, angoresque conscientiae,* » adeo ut vere **beneficium** *Principis* habenda sit, hinc sequitur : eam **latissime** esse interpretandam : et, si sensus veterum canonum non videatur congruere cum sensu hujus Constitutionis, praeferendum esse Constitutionis sensum, non secus ac si primum canones illi ab ea editi fuerint.

Dixi : **D**) **vel ipsi accesserunt.** Atqui per Bullam « *Romanus Pontifex* » (28 Aug. 1873) **nova accessit censura,** nimirum : **1°**) In *canonicos ac dignitates,* qui *curam, regimen et administrationem* ecclesiae cathedralis vacantis, *remoto vicario capitulari, concedere et transferre praesumunt in nominatum ac praesentatum a saeculari potestate ante exhibitionem litterarum apostolicarum.* **2°**) In ipsos *nominatos et praesentatos qui eam suscipere praesumunt.* **3°**) In eos qui *praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, favorem praestiterint, cujusvis status, praeeminentiae ac dignitatis fuerint.* Et quidem hi omnes incidunt in excommunicationem et privationem fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque aliorumque reddituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, Rom. Pont. *specialiter* reservatas. Praeterea nominati et praesentati, jure, quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerit, eo ipso privati declarantur. Demum, si ex praedictis *episcopali charactere* sint insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae, ipso facto, absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter reservatam. — Praeter hanc censuram, **alia accessit.** Cum aliquot abhinc annis societas cui nomen : « *Societas catholica italica ad vindicanda jura populi christiani, praesertim populi Romani* » in eum finem, ut quandocumque Apost. Sedes vacaverit, populus Rom. concurrat in S. Pont. electione, in Italia fuerit instituta, cujus membra expresse declarare debent se

assentire doctrinis in programmate enuntiatis et obligationem coram duobus testibus contrahunt, se operam daturos, ut tales doctrinae propagentur et societas ipsa dilatetur: hinc ad **dubia** : « *An omnes et singuli praedictae societati nomen dantes, vel eam promoventes, aut eliquomodocumque faventes vel adhaerentes excommunicationis majoris poenam ipso facto incurrant? Et quatenus* affirmative, *an hujusmodi excommunicatio sit R. Pontifici reservata?* » S. POENIT. (4 Aug. 1876), approbante PIO IX, **respondit** : « AD PRIMUM, *affirm.* AD SECUNDUM, *incurri excommunicationem latae sent.* SPECIALI MODO *Pont. reservatam.* » — Denique hisce censuris **aliae nuper accesserunt** contra violatores decretorum quae S. C. C. (9 Sept. 1874), approbante PIO IX, tulerat ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda missarum ope utebantur. Scilicet ex decreto S. C. C. (25 Maii 1893), quod ratum habuit LEO XIII, statutum fuit : « *Ut in posterum si quis ex* SACERDOTALI *Ordine contra enuntiata decreta deliquerit*, suspensioni a divinis *S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit;* CLERICUS *autem sacerdotio nondum initiatus eidem* suspensioni quoad susceptos ordines *similiter subjaceat*, et inhabilis *praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos;* LAICI *demum excommunicationi latae sententiae Episcopis reservata obstringantur.* » Ap. N. R. T. (XXV, 354 seqq.). Cfr. dicta (pag. 359); item (tom. III, pag. 132). **Accesserunt** et aliae **plures**, ut in decursu dicetur.

TENOR CONSTITUTIONIS

CUM NOTIS APPOSITIS AD SINGULAS CENSURAS.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

« Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per sin-

gulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.»

« Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae. »

«Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus : »

NOTAE. Sequuntur **duodecim** excommunicationes, quae omnes, praeter *decimam* de absolvente complicem in peccato turpi, desumptae sunt ex Bulla « *Coenae* » sic dicta : quia olim in Coena Domini legi solebat. Porro facultas absolvendi a XII hisce censuris *specialiter* reservatis non comprehenditur in facultate etiam generali absolvendi a casibus papalibus, nisi *expresse* enuntietur; immo, quamvis expresse enun-

tiaretur, non ideo censeretur concessa facultas pro casu absolutionis complicis in peccato turpi, qui *specialissima* mentione indiget. Constat ex S. U. I. (17 Jun. 1866 et 4 April. 1871).

I.

« Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae exsistant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores. »

NOTAE. Recole dicta (tom. I, pag. 299 seq.). Hanc itaque excommunicationem incurrunt hi **quatuor** sequentes : 1°) **Apostatae a fide,** i. e. qui a fide catholica totaliter recesserunt, sive transeant ad falsam religionem, puta ad Judaismum vel Paganismum : sive nullam deinceps religionem profiteantur, quales sunt Athei, Rationalistae absoluti aut illi qui *liberi cogitatores* nuncupantur. Ut enim recte scribit Soglia : « *Ad crimen apostasiae non requiritur ad aliam religionem transitus, sed satis est christianam deseruisse.* » Quia tamen ad censuram requiritur peccatum *mortale*, non tantum *internum*, seu et *externum* (p. 389), hinc non ligat apostatas, qui nulla apostasiae signa dederint. 2°) **Haeretici,** modo tales sint *formaliter*, non tantum *interne*, sed et *externe*, ita ut errorem suum, immo et dubium positivum, exterius prodiderint actu manifesto, humano et graviter malo, etsi tantum sint occulti. 3°) Haereticis **credentes,** i. e. qui haeresim implicite profitentur, dicentes v. g. vera esse quae Lutherus docuit, licet in particulari nesciant, quaenam ea sint. 4°) Haereticorum, *qua talium*, **receptores, fautores, defensores,** sive doctrinas sive personas defendant. — Dixi **qua talium** : i. e. *quia haeretici sunt*, quamvis sint *occulti* et haeretici *materiales* tantum, cum eorum bona fides non excuset peccatum aliorum. Requiritur itaque ut receptio, favor, defensio, sint **formales,** i. e. cedant in favorem haeresis ideoque fiant in causa haeresis. Et ideo censura non incurritur, si recipiant, foveant, defendant haereticos, ne occidantur a latronibus, vel ne incidant in manus judicis procedentis ratione homicidii vel alterius criminis; immo nec, si eos recipiant, etc., ut amicos vel consanguineos, esto ut haeretici a judice sint quaesiti. Et quoniam ad censuram requiritur, ut peccatum mortale sit *in suo genere completum* (p. 389), nisi aliter cautum sit in jure, ideo requiritur, ut defensio, favor, receptio **effectum** habuerint; ut adeo, si nihilominus ex alicujus favore, defensione, etc., actu non sequatur haeresis favor, ut si haereticum receptaveris, defenderis eique faveris, ne caperetur, et ille

tamen captus fuerit, putant RONCAGLIA, SANCHEZ, BONAC., alii, contra PALAO, MAZZOTTA, alios, posse excusari ab excommunicatione : nam intelligi potest excommunicari fautores, receptores, defensores, *effectu secuto*. Unde, stante *dubio juris* (p. 388), excommunicatio non incurritur, nisi ex tali favore impenso sequatur malus effectus, v. g. incolumitas haereticorum, liberior diffusio haeresis, etc., ut plerumque fit.

Resolvitur. EX INSTR. *Emi. Card. Vicarii pro parochis et confessariis Romae* (12 Jul. 1878) italice conscripta, cujus versio *latina* occurrit ap. ACTA S. SED. (XI, 168), *gallica* vero ap. N. R. T. (X, 427 seqq.), **excommunicationem** incurrunt *Pontifici reservatam inter speciales :* « **1°**) *Omnes illi, qui etiam sine voluntate adhaerendi haeresi, et solummodo humani respectus gratia, sua dant nomina haereticorum sectis, denominationis cujuslibet* **2°**) *A fortiori poenam incurrunt eamdem, qui intersunt acatholicis functionibus aut* servitiis, *ceu dici solet, aut praedicantem audiunt eo consilio, ut eidem sese dedant, quatenus, uti impie dicunt, ab eo persuaderi possint.* **3°**) *Ita etiam eamdem incurrunt excommunicationem, qui alterius spiritualis ruinae fautores effecti, inducunt quomodocumque, et curant ut alii eant, aut veniant ad aulas vel templa haereticorum ad audiendas* collationes. **4°**) *Tandem eadem innodantur poena omnes qui typis publicant invitationes ad praefatas* collationes, *et themata earumdem, propter favorem, quem tali actione praebent haeresis propagationi aut confirmationi.* »

« *Strictissime autem vetatur ingredi, mera curiositate et scienter, aulas et templa protestantium, tempore* collationum ; *et graviter peccant omnes, qui mera curiositate* collationes *protestantium auscultant, et adsistunt, quamvis materialiter, caeremoniis acatholicis ; et omnes artifices, qui etiam sola lucri ratione cantant, aut sonant in protestantium templis ; et typographi, etiam secundarii ministri, qui ne a superioribus ejiciantur litteras colligunt ad excudendos haereticorum libros ; quin imo,* **5°**) *si de haereticorum libris agatur, quibus haeresis edoceatur atque sustinetur, etiam ministri typographi secundarii majorem incurrunt excommunicationem speciali modo Pontifici reservatam.* » Quam « *Instructionem* » Card. Vicarius Urbis edidit « *juxta declarationem* S. ROM. et UNIV. INQ. » ipsi factam, ut fatetur in STATUTIS quae idem Cardinalis, deinceps episcopus ALBANENSIS renuntiatus, pro dioecesi sua promulgavit (an. 1887) ap. N. R. T. (XX, 401 seqq.), ubi simul reperies textum integrum latinum *Declarationum authenticarum* quae ex S. OFF. (12 Jul. 1878) circa haereticos prodierunt.

Constat praeterea **6°**) ex decreto S. OFF. (22 Mart. 1879) excommunicationem R. P. speciali modo reservatam incurri ab illis qui *matrimonium ineunt coram ministro haeretico vel schismatico sacris addicto.* Quod confirmatur ex resp. S. OFF. (18 Maii 1892) juxta dicta superius (p. 111).

II.

« Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes. »

Nota. Eumdem tenorem servavit Leo XIII in Const. « *Officiorum ac munerum* » qua novas regulas statuit promulgavitque « *de prohibitione et censura librorum.* » Eapropter praesentem excommunicationem R. Pontifici specialiter reservatam explicabimus in Appendice 2ª, ne bis eadem dicamus.

III.

« Schismaticos, et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt. »

NOTAE. Communiter DD. existimant cum Suar., Palao, Ronc., Schmalz., aliis, hujus censurae posteriorem partem esse prioris explicativam, quasi verbum *et* poneretur pro *scilicet*, hoc modo : *schismaticos*, nempe *eos qui* etc. At plerique recentiores commentatores unam clausulam ab alia distinctam habent, ita ut censurentur *schismatici* **duplicis speciei** : scilicet 1°) non tantum **totales** et **perfecti**, qui schismatici simpliciter nuncupari solent, quales sunt ex S. Thom. (2. 2. q. 39, a. 1) : « *Qui subesse renuunt Summo Pontifici et qui membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusant,* » seu, aliis verbis : qui a capite simul et membris pertinaciter, i. e. voluntarie, scientes et volentes, recedunt, ut si ad novam ac separatam Ecclesiam constituendam voluntarie discedunt a centro unitatis : sed etiam 2°) **partiales** seu **imperfecti**, qui a capite tantum, i. e. a R. P. pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt. Quidquid sit, in excommunicationem incidunt **schismatici**, tam *primi* quam *secundi* generis, licet eorum schisma sit *purum* (tom. I, pag. 300 seq.), i. e. sine haeresi conjunctum ; non tamen schismaticorum *fautores, defensores*, etc. ; hos enim censura praeterit.

Resolvitur 1. Itaque censurae **non subjacent** : **A**) Qui recedit ab obedientia *episcopi* et communione *particularis ecclesiae*, dummodo subjectus maneat auctoritati R. P., quia nondum separatur a capite et communione Ecclesiae universalis. **B**) Qui nolit obedire Papae, ut est princeps *temporalis*, vel *in odium* ipsius seu *vindictam;* aut qui ejus praecepta, v. g. jejunia, observantiam festorum, adimplere recuset, quia

sibi sunt *gravia, molesta, incommoda :* non ideo enim auctoritatem spiritualem R. P. abjicit. **C**) Qui renuit subesse Pontifici, quia eum *non legitimum* putat, vel quia ex duobus electis quisnam sit legitimus, *non apparet :* non enim recedit pertinaciter. **Resol. 2.** Contra **non excusatur** qui a moderni Pontificis seu pro tempore exsistentis obedientia recedens, *ejus successori* obtemperaturum se promittit; sicut nec ille, qui se *externe* tantum schismaticum prodit, quamvis *interne* aliud teneat, ut qui regi haeretico tanquam supremo ecclesiae capiti externam obedientiam praestant, etsi non credentes et inviti. Ratio : quia schisma in facto consistit.

IV.

« Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit. »

NOTAE. Hoc loco **duae classes** hominum censurantur : tum **1°) appellantes** a R. P., pro tempore exsistente, ad futurum Concilium generale; tum **2°**) ii, quorum **auxilio, consilio** vel **favore** appellatum fuerit. — Nihil refert, cujusnam *status, gradus* seu *conditionis* fuerint horum criminum rei; nec a quibus *ordinationibus* seu *mandatis* appellatio fiat, an fuerint sententiae, praecepta, leges, censurae, poenae; aut an fuerint justa vel injusta. — At quod **appellantes** attinet, requiritur, ut appellatio, i. e. provocatio, fiat : **A**) a Rom. Pont., qua *Papa*, non qua *Rege* : sumus enim in odiosis et aliunde finis hujus censurae est sartam tectamque servare Christi Vicarii spiritualem auctoritatem; **B**) a R. P. *pro tempore exsistente*, adeoque eo nondum e vivis sublato : secus haec verba frustra fuissent adjecta; **C**) ad *futurum Concilium generale*, adeoque censuram non incurrit : **a**) qui ad futurum Pontificem appellat; vel **b**) ad praesens Concilium, licet forte interruptum; vel **c** ad Provinciale futurum, licet tunc injuria adhuc atrocior evadat : quia in legibus poenalibus non valet argumentum a fortiori. — Quod vero **cooperantes** attinet, *duo* requiruntur : **A**) Ut auxilium, consilium, vel favor appellationem antecedant; unde censura non ligat approbantes appellationem jam factam, vel appellantibus faventes post appellationem. **B**) Ut appellatio cum effectu sequatur, secus enim non verificatur quod vi auxilii, consilii, vel favoris appellatum sit.

V.

« Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, car-

cerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem. »

NOTAE. Hac censura, per quam puniuntur determinatae quaedam injuriae *in corpus*, *libertatem* et *dignitatem* certorum Ecclesiae Praelatorum, ligantur : Omnes qui voluntarie hujusmodi injurias inferunt, sive *physice* seu *immediate*, eas nimirum per seipsos exsequendo: sive *moraliter* seu *mediate*, iisdem injuriis ab aliis illatis positive cooperando. — Pauca dicamus : 1°) de injuriarum **exsecutoribus** ; 2°) de iisdem **cooperatoribus** ; 3°) de **personis** *injuriatis*.

Ad **primum** quod attinet, injuriantes **A**) **in corpus** sunt : **a**) *Interficientes*, i.e. quovis modo necantes, sive gladio, sive veneno, sive fame, etc., dummodo occisio sit injusta et peccatum mortale sive in se, sive in causa. Unde a censura excusatur qui volens leviter percutere, graviter per accidens vulneraret, ita ut percussus interiret : vel si leviter percusserit, incuria medicorum percussus obiret. **b**) *Mutilantes*, i. e. abscindentes membrum proprie dictum. Unde recolenda heic sunt dicta supra (pag. 365 seq.). **c**) *Percutientes*, i. e. laedentes cum dolore, sive virga, sive ligno, sive pugno.—Injuriantes **B**) **in libertatem** sunt : **a** *capientes*, i. e. comprehendentes : **b**) *carcerantes*, i. e. quovis loco, etiam privato, continentes : **c**) *detinentes*, i. e. captum, etiam ab alio, impedientes, ne libere possit quo voluerit abire. « *Quae detentio*, ait Ronc., *maxime cum versemur in poenalibus, importat physicam actionem* VIOLENTAM, *qua detineatur et impediatur persona capta : unde non incurreret excommunicationem qui solo* PRAECEPTO *impediret.* » Addit praeterea heic dari posse parvitatem materiae, « *ut si per unum diem quis detineretur.* » — Injuriantes **C**) **in dignitatem** sunt : **a**) *Hostiliter insequentes*, i. e. fugientem prosequentes animo *infesto*, ut nimirum ei malum inferant, etsi eum non adsequantur, vulnerent aut capiant. Unde censura non ligantur, qui insequuntur contumeliae causa vel perterrefaciendi animo. **b**) *A suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes*, i. e. receptum expellentes quovis modo ex locis sibi *subjectis*, i. e. in quibus jurisdictionem spiritualem vel temporalem exercet, non vero ex loco originis vel domicilii, ubi nulla jurisdictione gaudet. Quocirca si expelleres episcopum ex uno loco dioecesis in alium, censuram non incurris, quia non ejicis ex dioecesi.

Ad **secundum** quod attinet, **cooperatores** sunt : *mandantes*, praestantes *auxilium, consilium* vel *favorem*, qui omnes censura tenentur, dummodo praefatae injuriae cum effectu subsequantur vi mandati,

auxilii, consilii vel favoris. Citantur quoque hujusmodi delicta *rata habentes;* verum, ut hi ligentur, non sufficit delicta jam facta animo approbare, sed necesse est : tum **a**) ut ea suo nomine vel in sui gratiam sint patrata, quia juxta regulam 9 juris in 6° : « *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non sit gestum;* » tum **b**) ut ratihabitionem externe significent : tum **c**) et quo tempore delicta perpetrata fuerunt, habiles fuerint, saltem habitualiter, ad illa perpetranda vel mandanda; quare, si eo tempore fuerint amentes, censuram non incurrunt; secus si dormiebant, aut ebrii erant.

Ad **tertium** quod attinet, **personae laesae** sunt : **a**) *S. R.E. Cardinales*, ex quo electi sunt et electionem acceperunt, licet capellum nondum obtinuerint; **b**) *Patriarchae;* **c**) *Archiepiscopi;* **d**) *Episcopi*, dummodo sint consecrati : quia ante consecrationem, tametsi jurisdictione gaudeant, non sunt episcopi proprie dicti; **e**) *Legati* vel *Nuntii*, qui a R. P. causa negotiorum ad Principes mittuntur, dum durat eorum legatio.

VI.

« Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes, ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes. »

NOTAE. *Finis* hujus censurae est : tueri libertatem jurisdictionis ecclesiasticae, fori sive interni sive externi. Qua de causa, excommunicatione plectuntur **triplicis generis** rei : **1°**) *Impedientes* directe vel indirecte, per se ipsos, ejus exercitium. **2°**) *Recurrentes*, ut impediatur, ad forum saeculare ejusque mandata *procurantes*. **3°**) Mandata hujusmodi *edentes*, aut in iisdem actionibus *auxilium*, *consilium* vel *favorem* praestantes. — Itaque in **prima** reorum classe veniunt : **impedientes**, i. e. vi vel metu gravi efficientes, ut alter invitus et contra suam voluntatem cesset ab opere : sive id faciant *directe*, obstando *ipsimet* jurisdictionem exercere volenti et in *ea re* obstando, quam is facere intendit, ut si quis minetur necem Episcopo, si beneficium tali contulerit; sive id faciant *indirecte*, obstando in *alia re* vel in alia *persona*, ut si ei necem minetur praetextu injuriae sibi illatae, aut si prohibeat scribas, apparitores, praecones, etc., curiae ecclesiasticae addictos ea obire, quae sui muneris sunt. Nihil autem refert, utrum impediverint exercitium jurisdictionis ecclesiasticae *ordinariae*, an vero *delegatae;* utrum fori *interni*, an vero *externi;* dummodo impedimentum *effectum suum* habuerit, et agatur de jurisdictione ecclesiastica *spirituali*, non vero *temporali*. Hinc censuram hanc incurrunt qui obstant, ne parochus vel alius sacerdos, in

casu necessitatis, moribundum adire possit, sacramenta ei administraturus; vel ne parochus aut alii praecones ab episcopo deputati verbum Dei praedicent, vel ne episcopus pontificalia exerceat aut ecclesiam consecret, etc. — In **secunda** classe reorum sunt : **recurrentes** *ad forum saeculare, ejusque mandata* **procurantes**, ut idem exercitium impediatur. Unde ad incurrendam censuram satis non est recurrere ad curias saeculares, etiamsi a judice laico nihil obtineretur; sed insuper opus est, ut mandatum seu prohibitio contra judices ecclesiasticos obtineatur et etiam exsecutioni mandetur. Quare sacerdos, qui ab interdicto contra se lato, vel a sententia episcopi, eum ab officio amoventis, appellaret ad judices saeculares, quamvis graviter peccaret, excommunicationem tamen non incurreret, si apud ipsos causam perderet, aut forte ab ipsis condemnaretur. — In **tertia** classe veniunt : **A**) hujusmodi *mandata* **edentes**; quo nomine veniunt depositarii auctoritatis civilis, a quibus emanant decreta exercitium jurisdictionis ecclesiasticae impedientia; **B**) *auxilium, consilium vel favorem* **praestantes** in iisdem scilicet actionibus, i. e. sive impedientibus, sive recurrentibus, sive mandata edentibus, qui omnes censura ligantur, dummodo vi patrocinii, consilii, vel favoris impedimentum jurisdictionis ecclesiasticae, vel recursus ad curias saeculares, vel iniqui decreti exsecutio subsequatur.

VII.

«Cogentes, sive directe, sive indirecte, judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.»

NOTAE. Haec censura **duabus** constat **partibus**, quarum **prima**, quae favet privilegio *fori* (tom. II. 319 seq.), attiugit : *cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones;* **altera**, quae favet libertati et juribus Ecclesiae, animadvertit in *edentes leges, vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.*

Itaque in **prima parte** censurantur : **cogentes**, i. e. imperio vel metu adigentes *judices laicos*, i. e. potestate laica judicium exercentes, *ad trahendum ad suum tribunal*, i. e. ut jus dicant *in personas ecclesiasticas*, i. e. in eos qui gaudent privilegio fori, *praeter canonicas dispositiones*, i. e. non servatis conditionibus quibus licet; sicuti licet v. g. in casu quo persona aliqua ecclesiastica fuerit degradata et laico judici punienda tradita; aut in aliis casibus in jure canonico determinatis, ut si clericus in majoribus Ordinibus constitutus habitum et tonsuram clericalem non deferat et ter canonice admonitus, sub expressa poena

amissionis privilegii clericalis obedire noluerit; item in causa *reconventionis*, quando clericus ut actor convenit laicum coram judice laico, quo casu potest a suo adversario coram eodem judice in eadem causa reconveniri, non vero in causa criminali; aut si intervenerit concordatum Principem inter et S. Sedem. — At quoniam sumus in odiosis, necesse est, ut *cogentes* id fecerint *volentes;* et ideo, ut constat ex S. U. I. (1 Feb. 1871) praesens excommunicatio « *non attingit eos, qui* SUBORDINATI *sunt, etiamsi judices fuerint, sed eos tantum, qui a* NEMINE COACTI *vel talia agunt vel alios ad agendum cogunt.* » Unde ad hanc censuram incurrendam requiritur coactio *auctoritativa*, ut declaravit eadem S.U.I. (23 Jan. 1886), inquiens : « *Caput* COGENTES *non afficere nisi legislatores et alias auctoritates cogentes;* i. e. excommunicationi R. P. specialiter reservatae subjacere solos *legislatores* qui legem ferunt qua judices coguntur personas ecclesiasticas ad suum tribunal trahere, et *magistratus* qui nulla necessitate compulsi sed sponte sua cogunt judices sibi subjectos. Non tamen requiritur, ut cogant *directe*, sed sufficit, quod id faciant *indirecte*, i. e. alterius, forte potentioris, imperio, vel metu aliis incusso, puta judicum laicorum agentibus, familiaribus, consanguineis, amicis, etc. Quocirca *indirecte* cogere nequaquam dicendus est ille, qui crimen clerici prodiderit judici, quo crimine cognito, judex necesse habet, pro officio et munere suo, trahere clericum ad suum tribunal : quia tunc magis lex cogit judicem, quam denuntians; multo minus, qui clericum debitorem suum convenit coram judice laico : non enim cogit judicem, ut illum in jus trahat, sed ut in eum, quem ipse traxit, jus dicat. — Quia tamen Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum **immunitas**, docente TRID. (Sess. XXV *de ref.* cap. XX), « *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus* » constituta fuit, ac proinde sequentes propositiones in Syll. tum sub n. XXX : « *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit;* » tum sub n. XXXI . *Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus, sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apost. Sede* » a PIO IX merito fuerunt damnatae, **hinc** S.U.I. (23 Jan. 1886), uti alibi jam monuimus (tom. II, p. 320), hanc edidit declarationem : « *In iis locis, in quibus* FORI *privilegio per SS. Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur jura sua persequi nisi apud judices* LAICOS, *tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario* VENIAM *petere, ut clericos in forum* LAICORUM *convenire possint : eamque Ordinarii nunquam denegabunt tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes consiliandis frustra operam dederint.* EPISCOPOS *autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad judicem seu judices laicos vel* CLERICUM *sine venia Ordinarii, vel* EPISCOPUM *sine venia S. Sedis, in potestate eorum-*

dem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit CLERICUS, *animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae uti violatorem* FORI, *si id expedire in Domino judicaverint.*»

In **secunda parte** censurantur : **edentes,** i.e. condentes auctoritate laica, sive laici sint, sive clerici, *leges*, i. e. ordinationes quae a suprema potestate in perpetuum constituuntur, vel *decreta*, i. e statuta quae a quavis potestate, v. g. a Praefecto urbis, a Municipiis, etc. generaliter eduntur, *contra libertatem et jura Ecclesiae*, uti sunt leges et decreta de *placito regio* seu de *regio exsequatur*, aliaque vincula, quibus intercipitur, restringitur aut perturbatur, nedum exercitium potestatis ecclesiasticae, sive jurisdictionis, sive ordinis; sed quodvis aliud jus, ut puta jus docendi, promovendi ad ordines, publicas supplicationes extra templa obeundi, beneficia conferendi, etc. : imo et jura quae Ecclesiae, non uti Ecclesiae, sed uti societati competunt, velut jus acquirendi actibus, sive ultimae voluntatis, sive inter vivos, alienandi, elocandi, etc. Interim non prius excommunicatio contrahitur quam leges vel decreta hujusmodi fuerint *promulgatae*, et si suffragio, v. g. populi, senatus, etc., fuerint rogatae, illam incurrunt quotquot iisdem sint efficaciter suffragati. Quocirca recole dicta (tom. II, p 123 seq.). — Placet heic referre, quid S. POENIT. (10 Dec.1860. responderit circa *Regium placitum* et *Exsequatur*, quod gubernium italicum sibi arrogat super Bullis, Brevibus et Rescriptis Pontificiis, nimirum : « *Non esse inquietandas privatas persona, quae, ut se servent indemnes, ad gubernium pro* REGIO PLACET *seu* EXSEQUATUR *recurrunt; verum Ordinarii hac in re, quantum poterunt, passive se habeant; et, si a gubernio super hujusmodi petitionibus interrogati fuerint, juxta leges justitiae et ad formam SS. Canonum sententiam suam patefaciant.*» Eadem die, S. POENIT., ad **dubium** : « *An Ordinarii, parochi, beneficiarii ceterique bonorum ecclesiasticorum administratores, si gravibus sub poenis expostulentur, redditiuum respectivorum inventarium gubernio tradere possint?* » **respondit** : «*Permitti, emissa tamen in scriptis protestatione in singulis actibus a respectivis administratoribus super necessitate traditionis ad evitanda majora mala et pro tuitione jurium Ecclesiae. Mens autem est SS. Domini, ut Ordinarii ante vel post traditionem, si fieri possit, super praemissis collectivam faciant protestationem reverenter quidem, sed cum evangelica libertate.*»

VIII.

« Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas Litteras vel Acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel ex-

secutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.»

NOTAE. Praesens censura **triplex genus** personarum attingit : 1°) **Recurrentes** : *ad laicam potestatem ad impediendas Litteras vel Acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta*. Porro per *acta a S. Sede profecta* designantur non tantum acta quae immediate a SS. Pontificibus proficiscuntur, sed etiam quae mediate a SS. RR. CONGREGATIONIBUS proveniunt, ut constat ex S. OFF. (16 Jan. 1892) ap. N. R. T. (XXIV, 170). 2°) **Prohibentes** *directe vel indirecte eorumdem* Actorum vel Litterarum *promulgationem vel exsecutionem*. 3°) **Laedentes** *vel* **perterrefacientes** sive *ipsas partes*, i. e. eos ad quos pertinent Litterae vel Acta Apostolica, quales sunt ii qui a S. Sede vel ab ejus Legatis vel Delegatis obtinuerunt rescriptum aliquod gratiae aut justitiae vel sententiam aliquam sibi favorabilem; sive *alios*, non quosvis, sed vel eos ad quos pertinent publicatio vel exsecutio Litterarum, quales sunt *procuratores, agentes, notarii, exsecutores;* vel eos quos laedendo, quis partes ipsas, agentes, notarios, etc., laedere, terrerre intelligitur, ut puta eorum *parentes, conjuges, liberos*. Et hi quidem excommunicationem **illico** incurrunt, dummodo laesio fuerit gravis et perterrefactio, i. e. minae tantum terrorem injiciant, ut nemo regulariter contra facere audeat. — **Quandonam** vero *recurrentes* et *prohibentes* excommunicationem incurrant, an *statim* scilicet, an tantummodo *post effectum secutum*, inter DD. *disputatur*. Habetur igitur dubium *juris*, ac proinde locus datur benigniori interpretationi.

IX.

«Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Ejusdem Romani Pontificis signatarum; necnon falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes Supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.»

NOTAE. Hac censura **tria reorum genera** excommunicantur : 1°) **Falsarii** Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac Supplicationum, propria manu propriove signo Pontificis, vel aliena quidem, sed ejus nomine aut de ejus mandato signatarum. 2°) **Falso publi-**

cantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis. 3°) **Falso signantes** Supplicationes. — De singulis pauca. Itaque 1°) **Falsarii** Litt. Apost. et Supplicationum dicuntur, qui iisdem aliquid addunt vel tollunt, ex quo eorum sensus mutetur. Unde mutatio verborum, retento sensu, falsitatem non inducit. Porro *Litterae Apost.* dicuntur quae expediuntur nomine Summi Pontificis; cujusmodi non sunt litterae S. Poenitentiariae, SS. Congregationum, Nuntii aut Legati etiam *a Latere*, proindeque, qui has falsificat, non incurrit hanc excommunicationem. — Quae Litterae Apost., si sint plumbatae, dicuntur *Bullae;* si sigillo cereo signatae, vocantur *Brevia.* Sub nomine autem *Supplicationes* veniunt petitiones ad Pontificem directae pro gratia vel jure obtinendo; seu potius, juxta stylum curiae, significant Pontificis responsum, sive fiat simplici appositione sigilli ad petitionem aut subscriptione nominis; sive fiat per rescriptum in quo petitio memoretur. 2°. **Falso publicantes** sunt, qui falsas Litteras Apostolicas pervulgant voce praeconis vel affixione ad valvas, vel alio quovis modo auctoritativa publicatione usitato. Et quoniam censura hoc loco silet de *Supplicationibus,* hinc qui falso publicaret rescripta gratiae seu justitiae, excommunicationem non incurreret. 3°) **Falso signantes** sunt qui *Supplicationibus* falsum sigillum vel falsam subscriptionem apponunt.

X.

«Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.»

NOTAE. Quae ad hanc censuram pertinent, copiose explicata fuerunt (tom. III, pag. 340 seqq.) (1).

(1) Ut ibi monuimus, facultas absolvendi confessarium qui absolvendo complicem **in peccato turpi** excommunicationem R. P. specialiter reservatam incurrisset, non conceditur nisi **sub certis clausulis,** quas clausulas heic referre placeat, juxta novissimum exemplar quod ex Cancellaria Diocc. N.... anno (1888) prodiit **in sequenti tenore :** «*Vi Rescripti* S. Poenitentiariae *concedimus Revdo N., facultatem absolvendi pro solo foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum a censuris et poenis ecclesiasticis sacerdotem qui personae complicis in peccato turpi confessiones excipere eamque absolvere ausus fuerit, et cum eodem super irregularitate ex violatione dictarum censurarum quomodocumque contracta misericorditer dispensandi ; injuncta gravi pro modo culparum poenitentia salutari; quodque ab audiendis confessio-

XI.

«Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes.»

NOTAE. Haec censura attingit : **usurpantes** *aut* **sequestrantes** *jurisdictionem*, seu spiritualem seu temporalem, *bona* seu immobilia seu mobilia, *redditus* i. e. quidquid res fert vel percipitur intuitu rei, dummodo adsint sequentes conditiones : **A**) ut pertineant *ad personas ecclesiasticas;* et quidem **B**) ad ipsas pertineant *ratione* sive *suarum ecclesiarum*, quibus videlicet sunt adscripti, sive *beneficiorum*. — Hinc **praesenti** censura non ligantur qui usurpant aut sequestrant : **1°**) quae competunt Montibus pietatis, Nosocomiis, Confraternitatibus laicorum: aut **2°**) quae competunt alicui capellaniae laicali : quia licet ad capellanos pertineant, non tamen ad eos pertinent sive ratione *ecclesiae*, cum non sint bona Ecclesiae; sive ratione *beneficiorum*, quia capellaniae laicales non sunt vero sensu beneficia, sed resolvuntur in pias fundationes vel pia legata; aut **3°**) bona monasteriorum : quia ad nullas personas Ecclesiasticas pertinent: sed vel ad ipsa monasteria vel ad R.Ecclesiam pertinent; aut **4°**) quae clerici percipiunt quasi mercedem, vel stipendia, vel ex proprio labore, licet occasione beneficii. —

nibus personae complicis abstineat, et si iterum ad ipsum accesserit, monitum de nullitate praeteritarum absolutionum ad alios confessarios non complices remittat. Insuper si ille sacerdos unam tantum personam complicem semel absolvere ausus fuerit, abstineat, ut supra, ab audiendis ejusdem confessionibus; sed si in posterum aliud hujusmodi absolutionis crimen, quod absit, patraverit, similemque absolutionis et dispensationis gratiam a S. Poenitentiaria sive directe et immediate sive indirecte ac mediate consecutus fuerit, sciat illam nequaquam ipsi profuturam, nisi alias jam obtentae gratiae mentionem fecerit; qui vero duas, vel bis unam similiter absolvere attentaverit, officium parochi seu confessarii, quo tam perdite abusus est, curet dimittere; qui tandem sic absolveril tres aut plures, vel unam ter aut pluries, praefutum officium infra terminum ab absolvente, pensatis circumstantiis, praefiniendum, sed non ultra sex menses quatenus fuerit parochus, et non ultra tres menses quatenus fuerit simplex confessarius, dimittat, dimissumque amplius non resumat. Verum si ob aliquam gravem et justam causam infra praescriptum terminum dimittere nequeat, recurrat suppresso nomine litteris secretis et signatis ad eamdem S. Poenitentiariam, rem totam exponendo, ut opportune in Domino discerni possit; aliisque injunctis de jure injungendis. »

Dixi signanter : **praesenti** censura: quia sedulo animadvertendum est, ne incurrant excommunicationem latam a Conc. TRID. (Sess. XXII *de ref.* cap. XI) de qua postea. — Porro **usurpare** est rem a domino occupare quasi ad se pertinentem. Unde ut quis rem usurpare dici possit, *tria* requiruntur : 1°) ut eam occupet; 2°) ut a domino; 3°) ut quasi ad se pertinentem. Defectu *primi*, praesenti excommunicationi non subjacet, qui aliquid, citra occupationem, detinet, licet injuste: ut v. g conductor, fructuarius, qui dominum suo tempore rem suam reposcentem injuste repellit, aut haeres qui rem beneficio relictam beneficiario tradere recusat. Defectu *secundi*, eam non incurrunt, qui v. g. emunt ecclesiastica bona ab usurpatoribus usurpata, ut eruitur ex S. U. I. (8 Jul. 1874) ap. N. R. T. (VII, 32), quae tamen addit : « *Nulli dubium esse potest, quin comprehendatur a clarissima dispositione capitis XI de ref., Sess. XXII Concilii* TRIDENTINI. » Item ad **dubium** : « *An ementes bona religiosorum quae fiscus vendit eo quia iidem religiosi solvere recusant taxam a lege civili impositam, vulgo* loi d'abonnement, *incidant in excommunicationem Rom. Pontif. reservatam?* » S. POENIT. (21 Maii 1897) **respondit** : « *Emptores de quibus agitur incidere in excommunicationem R. P.* simpliciter *reservatam vi capitis XI* Sess. XXII *de ref. Conc. Trid.* » Ap. R. T. F. (III, 211). Defectu *tertii*, sub nomine *usurpantes* non comprehenduntur *fures*, qui furarentur beneficiariis fructus suorum beneficiorum, ut declaravit S. U. I. (9 Mart. 1870) ap. N. R. T. (VII, 27) quia, licet fures rem alienam et ipsi invadant, illam tamen tanquam *alienam* invadunt, nullum jus in eam praetendentes, quo eam, tanquam sibi propriam occupatam jam retineant. — Quod tandem ad **sequestrantes** pertinet, eo nomine veniunt, qui *injuste*, i.e. nullo jure, nulla cogente necessitate, vel ut dicitur in Bulla COENAE, « *sine S. P. vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia*, » officio judiciali, rem alicui tertio custodiendam injuste committunt, vel ipsimet custodiunt, atque ita impediunt illius rei liberum usum iis, quibus de jure competebat.

Resolvitur. Ex decreto S. C. C. (23 Maii 1874) « *ea omnia quae pro* HELVETICA *foederatione, quoad populorem parochorum electionem, sapientissime constituta sunt in nuperrimis Litteris Encyclicis diei 21 Nov. 1873,* » etiam **alibi** sunt applicanda, ita « *ut quicumque,... suffragante populo, ad parochi vel vicarii officium electi audeant sive Ecclesiae sive jurium ac bonorum praetensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii, ipso facto incurrant in excommunicationem majorem* PECULIARITER *reservatam S. Sedi.* »

XII.

« Invadentes, destruentes detinentes per se vel per alios civitates,

terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.»

NOTAE. Praesens excommunicatio, cujus scopus est defendere dominium temporale ad Sedem Apostolicam pertinens, **triplex** personarum genus complectitur : 1°) *Invadentes, destruentes, detinentes per se, vel per alios, civitates, terras, loca aut jura* (nimirum temporalia eaque principalia) *ad Ecclesiam Romanam pertinentia.* 2°) *Usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis*, i. e. jurisdictionem quae R.P. competit, ut est princeps temporalis, circa res magni momenti, ut est jus vitae et mortis, jus indicendi tributa, jus creandi magistratus, et similia. 3°) *Ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes*, effectu scilicet secuto, et dummodo cooperatio fuerit *formalis.* — **Utrum** vero *adhaerentes*, (i. e. qui praedictorum partes sequuntur, nullo tamen cum eis inito pacto nulloque auxilio, consilio eis faventes) quos Constitutio praeterit, recensendi sint inter eos qui favorem praebent, inter DD. *disputatur.* Habetur itaque dubium *juris.* Interim, ut plures existimant, *adhaerentes* excommunicationem R. P. simpliciter reservatam subeunt ex Litter. Apost. 1 Nov. 1870.—**Quaestio** pariter hic est, an *auxilium* et *favorem* praebeant *in retinendo*, qui **publica munia** gerunt? Qua de re ad **dubium** : «*An retineri et suscipi possint sub intruso gubernio officia?*» S. POENIT. (10 Oct.1860) **respondit** : «*Dummodo non agatur de officiis, quae* DIRECTE *et* PROXIME *influunt in spolium vel in ejusdem spolii manutentionem, et exerceri possint absque periculo laesionis legum divinarum et ecclesiasticarum posse tolerari.*» Unde distinguendum est inter : officia **politica**, quae directe et per se tendunt ad usurpatorem probandum vel confirmandum, quales sunt qui primum seu supremum magistratum gerunt in quavis provincia aut civitate, aut terra, aut oppido, qui proinde censura tenentur, si ab officio possint abstinere sine incommodo gravi tum *proprio*, tum *publico;* et officia **civilia**, quae mere ad bonum civium spectant, qualia sunt munera municipalia aliaque pro tuenda tranquillitate necessaria et ex ipsa natura societatis profluentia, quae assumi et exerceri possunt, dummodo juramentum fidelitatis usurpatori non praestetur, et si jurare omnino necesse sit, jurantes palam profiteantur, se nihil facturos quod legibus divinis et ecclesiasticis adversetur.

APPENDIX. Hisce XII excommunicationibus **duae aliae addendae sunt** excommunicationes latae sententiae *speciali modo* R. P. reservatae, quae accesserunt Const. «*Apostolicae Sedis :*» Scilicet :

XIII.

« Excommunicationi speciali modo R. P. reservatae subjiciuntur qui indicantur in Const. « *Romanus Pontifex* » quam edidit Pius IX (28 Aug. 1873. — De qua supra (pag. 430).

XIV.

« Incurrunt excomm. lat. sent. speciali modo R.P. reservatam nomen dantes vel adhaerentes societati cui nomen : *Società cattolica italiana per la rivendicazione dei diritti spettanti al populo cristiano ed in specie al populo romano nella elezione del sommo Pontefice.* Constat ex resp. Poenit. (4 Aug. 1876) juxta dicta (p. 431).

« A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari ; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici [simpliciter] reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint. »

NOTAE. Itaque **quatuor** hic animadvertenda veniunt : 1°) Absolutio a praefatis excommunicationibus Rom. Pontifici *speciali modo* reservatur. Unde principium seu regula generalis est : quod **ipse solus** ab iisdem absolvere potest, aut *is cui haec* **facultas** *est delegata.* 2°) Circa hanc **delegationem** *duo* declarantur : **A**) Facultatem absolvendi a memoratis excommunicationibus non comprehendi in facultate *generali* absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus R. Pontifici reservatis ; unde necesse est, ut haec facultas *specialiter* exprimatur. **B**) *Revocata* esse desuper quaecumque indulta sub quavis forma concessa quibusvis personis, sive sint episcopi, sive regulares. Ut tamen constat ex Litteris Assessoris S. U. I. ad Secretarium S. C. de

PROP. FIDE (12 Jan. 1870) italice scriptis, « *per dictam Constitutionem SS. Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem, detrimentum inferre facultatibus cujuscumque indolis, quae a S. Sede ante promulgationem ejusdem Const. concessae fuerint, sive hae quinquennales sint, sive extraordinariae, sive respicientes praesens jubilaeum; atque vult ut in suo pleno vigore permaneant, tempore perdurante in dictis concessionibus sive indultis praefinito.* » Quod vivae vocis oraculum promulgatum fuit in *Instructione* S. U. I. (15 Febr. 1870). **3°**) Infligitur **excommunicatio** R. P. *simpliciter* reservata in *praesumentes absolvere* a quavis ex praefatis censuris R. P. *specialiter* reservatis. Quare, addendus est hic casus XVII casibus Papae *simpliciter* reservatis, qui in Constitutione memorantur. **4°**) Ab allato principio seu generali regula indicatur **exceptio,** nimirum : « *dummodo non agatur de mortis articulo* « seu morali periculo; in quo tamen firma esse debet quoad absolutos obligatio *standi mandatis Ecclesiae*, si convaluerint.

« Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici [simpliciter] reservatae. »

«Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus : »

NOTAE. Numerantur casus XVII, quibus juxta modo dicta addendus est sequens : « *Absolvere praesumentes, sine debita facultate, etiam quovis praetextu, ab excommunicationibus R. P. reservatis* SPECIALI MODO. » — Item excommunicatio lata a CONC. TRID. (Sess. XXII, cap. XI *de ref.*) *contra bonorum cujuscumque ecclesiae aut pii loci occupatores.* Unde in toto numerandi sunt casus XIX.

I.

« Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a BENEDICTO XIV in Const. *Suprema*, 7 Julii 1745; *Ubi primum*, 2 Junii 1746; *Ad eradicandum*, 28 Septembris 1746. »

NOTAE. Haec censura **duplicem** personarum classem attingit.

In **prima** classe veniunt : *docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab Apostolica Sede*, i.e. a R. Pontifice *damnatas*, dummodo damnatae fuerint *sub excommunicationis poena latae sententiae.* Itaque **huc non spectant : 1°**) Propositiones damnatae a

Conciliis generalibus, multo minus a SS. Congregationibus, v. g. *Inquisitionis* vel *Indicis*, nisi per organum S. Congregationis damnatae fuissent a R. Pontifice. 2°) Propositiones damnatae quidem a R. Pontifice, sed sine poena excommunicationis latae sententiae, quales sunt propositiones quae in *Syllabo* continentur; quamvis aut liber, in quo continentur hujusmodi propositiones, damnatus fuerit sub excommunicatione latae sententiae, aut propositiones ipsae damnatae fuerint sub *censuris* et *poenis* in jure statutis. Contra **huc pertinent** propositiones damnatae a R. P. sub poena excomm. latae sententiae, quamvis excommunicatio non sit *reservata*, et propositiones nulla censura theologica fuerint notatae, sive *singillatim*, i. e. singulis propositionibus singulis censuris inustis, sive *in globo*, ut dici solet, dum multae propositiones sub variis respective notis damnantur, non suam cuilibet propositioni notam in particulari affigendo, ut explicavi in opere meo : PRINCIPIA ET ERRORES (pag. 51 seq.). — Nihil autem refert *quomodo* docuerint aut defenderint : an *scripto* scilicet, an *verbo* tenus; an *privatim*, an *publice*. Sufficit quod hujusmodi propositiones *docuerint* i. e. aliis tradiderint, aut *defenderint*, i. e. earum patrocinium susceperint, quasi fuerint damnatione indignae. Et si praeterea damnatae fuerint ut *haereticae*, tunc eas docendo vel defendendo, praeter praesentem censuram, incurrunt in excommunicationem latam in haereticos (pag. 433), R. P. *speciali modo* reservatam : quia duo praecepta transgrediuntur : alterum contra obedientiam Ecclesiae debitam, alterum contra fidem (1).

(1) Inter **propositiones**, quas *docere* vel *defendere* interdictum est *ab Apost. Sede sub excommunicationis poena latae sententiae* sunt **sequentes : 1°)** Articuli 45 JOAN. WICLEFF et 30 articuli JOAN. HUSS damnati a MART. V Const. « *In eminentis Apostolicae* » (13 Febr. 1420). **2°)** Errores 41 MARTINI LUTHERI per Bul. LEON. X « *Exsurge Domine* » (16 Maii 1520). **3°)** Propositiones 79 MICH. BAII per Bul. S. PII V « *Ex omnibus* » (1 Oct. 1567). **4°)** Prop. de confess. sacramentali et absolutione obtinenda *per litteras* ex CLEM. VIII per decret. S. U. I. (20 Jun. 1602). **5°)** Prop. 45 damnatae ab ALEX. VII per decret. S. U. I. (24 Sept. 1665 et 18 Mart. 1666). **6°)** prop. 65 damnatae ab INNOC. XI (4 Mart. 1679). **7°)** Prop. 68 MICH. DE MOLINOS damn. ab INNOC. XI Const. « *Coelestis Pastor* » (20 Nov. 1687). **8°)** Prop. 2 damnatae ab ALEX. VIII (24 Aug. 1690). **9°)** Prop. 31 damnatae ab ALEX. VIII per decret. S. U. I. (7 Dec. 1690). **10°)** Prop. 101 QUESNELLI damnatae a CLEM. XI « *Unigenitus* » (8 Sept. 1713). **11°)** Prop. 5 *de duello* damn. a BENED. XIV Const. »

In **secunda** classe veniunt : *docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitentibus nomen complicis, prouti damnata est a* BENED. XIV in citatis Constitutionibus. **Praxis** autem, ab hoc Pontifice damnata, erat : qua confessarii *requirebant nomen complicis sub poena denegandae absolutionis*. Ex duobus itaque coalescit : nempe *ex inquisitione complicis* et *denuntiata reticenti denegatione absolutionis*. Et ideo ad censuram incurrendam necesse est, ut quis *utrumque* simul licitum esse doceat vel defendat, nempe : et exquirere nomen complicis et reticenti absolutionem denegare. Recole quae scripsi de praesenti materia (tom. III, pag. 267 seq.).

II.

«Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos vel, utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.»

NOTAE. Haec est celebris excommunicatio, quae vulgo **Canonis** nuncupatur, eo quod contineatur in speciali canone : « *Si quis, suadente diabolo* » exarato in Conc. LATER. II sub INNOC. II, de quo egi (tom. II, p. 319). Ad hanc censuram incurrendam **tres** requiruntur conditiones : tum ut habeatur *violenta manuum injectio ;* tum ut fiat *suadente diabolo;* tum ut exerceatur *in clericum* vel *monachum*. De singulis pauca.

Itaque **A**) **violenta manuum injectio** denotat actionem violentam, quae scilicet non *verbis*, sed *re* fit (sive manibus, sive pedibus, sive baculo, sive alio quocumque modo), in personam vel res aliquo pacto ei adhaerentes, ita ut violentia redundet in personam. **Hinc** non incurris excommunicationem : **1°**) si tantum verbis contumeliosis aut minacibus afficias, expellas clericum aut monachum ; **2°**) si manus violentas inferas in ejus domum, familiares, vestes non indutas, etc., etiamsi in odium et injuriam ipsius : quia nihil horum ei adhaeret ; **3°**) si pallium, crumenam per furtum ab eo abscindas, cum non sit actio violenta. **Contra** incurris : si, suppositis supponendis, violenter noceas personae, sive **1°**) laedatur **in corpore**, ut si venenum clam propines, idque statim ac venenum incipit agere, quamvis non sequatur mors ; si ita persequaris, ut sis moraliter causa quod in fluvium vel fossam cadat, vel ab equo excutiatur ; sive **2°**) laedatur **in libertate**, ut si capias absque auctori-

Detestabilem » (10 Nov. 1752). **12°**) Prop. 85 Syn. PISTORIEN. a PIO VI Bul. « *Auctorem fidei* » (28 Aug. 1794).

tate ecclesiastica, aut detineas in carcere vel loco unde sine dedecore exire non possit, ut si se lavanti in balneo vestes depositas auferas; sive 3°) laedatur **in honore** seu **dignitate**, ut si sputum, aquam, pulverem, lutum, pileum in eum per injuriam projicias; si vestem, pileum, pallium per vim et injuriam auferas; si equum, cui insidet, occidas, vulneres, caedas, per frenum sistas : quia, licet hae actiones sint leves respectu corporis, non tamen respectu honoris. — Dixi : *suppositis supponendis*, nam oportet, ut haec violenta manuum injectio fiat *suadente diabolo;* quae verba nunc veniunt explicanda.

Itaque **B**) verba **suadente diabolo** significant ad excommunicationem requiri, ut violenta manuum injectio sit mortaliter peccaminosa, ita ut actio tum interna tum externa pertingat ad culpam lethalem. Ratio ex Bill. est : « *Quia Ecclesia intendit punire peccatum mortale externum gravis injuriae illatae Clerico, quale non est nisi internum peccatum mortale et gravis injuria exterior exsistat.* » **Hinc** excommunicationem non incurris : 1°) Si clericum percutias ex motu primo-primo seu secundoprimo; aut jocose vel casualiter, licet percussio sit gravis et sanguis effundatur; aut correctionis gratia, dummodo non sit excessus in modo. Et ita Praelatus aut Magister causa disciplinae percutiens clericum etiam in sacris constitutum non incurrit excommunicationem ex cap. « Si vero » et cap. « Ex tenore » (de sent. excom.), dummodo tamen percussio fuerit moderata, i. e. juxta Bill. « *attenta ratione tum culpae, tum percutientis et percussi; si enim excessus foret enormis et valde indecens, non evitaretur excommunicatio.* » 2°) Si facias ob justam defensionem tuae vel alterius personae, honoris, rerum; dummodo fiat *incontinenti*, ut loquuntur DD., i. e. in ipso actu aggressionis et cum moderamine inculpatae tutelae, ut si mulier tentetur a clerico, nec aliter potens suum honorem tueri illum occidat; aut si clericum asportantem tua bona insequaris, detineas et per vim auferas, dummodo sint alicujus valoris nec sint in tuto deposita. 3°) Si graviter percutias clericum turpiter inventum cum tua uxore, matre, filia aut sorore (non vero, si cum alia, etiamsi tibi conjuncta, ut notant DD., ob difficultatem temperandi dolorem et impetum vindictae, dummodo fiat incontinenti. Censetur autem clericus turpiter inventus, etiamsi inveniatur tantum osculans, amplectens, turpiter tangens vel in loco suspecto, ita ut ex circumstantiis merito conjici possit turpitudo. 4°) Si clerico eripias ensem vel equum, ut ab invasore te defendas aut fugias : aut si eum domo extrudas, eo quod « *causet perturbationes, insolentias et rixas,* » ut habet Ronc. 5°) Si ex intentione graviter injuriosa, ita tamen leviter tangas, ut judicio prudentium censeatur actio externa tantum venialiter mala. 6°) Si percutias clericum quem putas esse laicum, aut volens percutere laicum praeter intentionem percutias clericum. — **Utrum**

vero incurras censuram, si volens percutere clericum *Petrum*, per errorem percutias clericum *Paulum?* DD. *disputant.* Alii **negant** cum DIANA et SUAR. : quia respectu Pauli percussio illa non fuit voluntaria, sed mere casualis seu affectiva. Alii **affirmant** cum BILL. et S. LIG. (III, 628) : « *quia*, ut dicit BILL., *in isto casu percutis voluntarie et ex intentione clericum*, » sicque injuriam irrogas statui clericali. Alii **distinguunt** hoc modo : si volueris percutere Petrum *quasi clericum*, incurris ; sin vero non ut clericum sed quasi *Petrum*, non incurris. — **Contra** incurris excommunicationem, si sciens volens graviter percutias clericum etiam *consentientem* (tom. II, pag. 68), si talis percussio, non obstante consensu clerici, *non desineret esse injuriosa;* quod addo : quia secus esset, si consensus auferret injuriam, puta si clericus petat caedi ab alio, ut luat sua peccata.

Tandem **C**) nomine **clericorum** veniunt : omnes non solum majoribus, sed etiam minoribus Ordinibus, imo sola Tonsura insigniti, etiamsi sint excommunicati, suspensi, irregulares, degradati tantum *verbaliter* (pag. 372), iis solummodo exceptis, qui privilegio *Canonis* exciderint, quales sunt : **1°**) clericus *conjugatus*, qui non defert habitum et tonsuram ; **2°**) *bigamus*, etsi deferat ; **3°**) *realiter* degradatus ; **4°**) qui *enormitati* et *tyrannidi* se immiscuerit ; **5**) qui lubricam exercet artem, seu, ut dicitur in cap. un. (*de vita* et *honest. cleric.* in 6°), « *qui... sejoculatores seu goliardos faciunt aut buffones;* » sed ii post annum, nisi prius ter moniti ab episcopo, non resipuerint ; immo **6°**) juxta DD., communiter, qui excidit privilegio *fori*, ipso facto excidit privilegio *canonis* (tom. II, pag. 320). Contradicunt tamen nonnulli (*ibid.*) — Nomine autem **monachorum** veniunt : omnes religiosi utriusque sexus, etiam novitii, conversi ; item tertiarii et tertiariae SS. Francisci et Dominici, si collegialiter vivant sub habitu et voto aliquo expresso (non si in propriis domibus habitent, ut, teste BILL., declaravit LEO X) ; etiam eremitae si collegialiter vivant voto adstricti, aut de mandato episcopi alicui ecclesiae vel aediculae inserviant ; non vero si sint *vagi*, habitum eremiticum pro lubito suo suscipientes aut dimittentes, quos melius *sarabaitas* dixeris. Imo ex ROTA ap. FAGNANUM in Cap. *Nullus 2 de foro competenti*, n. 59, comprehenduntur membra Congregationum religiosarum, sive virorum sive mulierum, a solis Episcopis approbatarum. Cfr. N. R. T. (XXIII, 115).

Et **olim** quidem huic excommunicationi obnoxii erant etiam **impuberes**, et non tantum criminis *executores*, sed etiam **cooperatores** tam positivi quam negativi. Verum, **utrum** *adhuc* teneantur *impuberes* et *cooperatores*, inter DD. *disputatur*. Alii **affirmant :** quia ubi est eadem lex et eadem ratio legis, ibi eadem esse debet interpretatio. Alii **negant :** quia ubi Const. « *Apost. Sedis* » hos quoque teneri voluit, illos

recensuit. Accedit censuras hujus Constitutionis robur habere eo modo quo in ea insertae sunt « *non secus ac si primum editae ab ea fuerint,* » ut ipse declarat Pius IX. Quidquid sit, habetur *dubium juris*, et ideo quod minimum est sequimur. Neque excommunicationem contrahere opinamur cum S. Lig. (VII, 274) clericum, qui se ipsum ex malitia vel passione injuriose percuteret, quia lex percussorem a percusso aperte distinguit. — Dictum est in corpore censurae : **exceptis, quoad reservationem, casibus**, etc. Et quidem ab hac excommunicatione, licet Papae sit reservata, **jure** tamen absolvere potest episcopus : **1°**) quando percussio, etsi mortaliter mala tam interne quam externe, est *levis*, comparative scilicet ad *gravem* et *enormem*, quae Papae reservantur, juxta dicta (tom. III, pag. 337). **2°**) Quoties percussio est *occulta*, etsi fuerit *enormis*, facta scilicet cum mutilatione membri. *Ex* **privilegio** autem ab hac excommunicatione absolvere possunt : **1°**) *Legati a latere* et *Legati missi*, sed in provincia quisque sua tantum; **2°**) juxta plures, quos inter S. Lig. (VII, 279 et 107), *praelati regulares* possunt ab hac censura absolvere subditos suos. Et haec sententia ex pluribus S. C. C. decisionibus constare videtur, dummodo percussio non sit enormis.

III.

« Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. »

NOTAE. Haec censura **sex** personarum classes comprehendit : **1°**) *Duellum* **perpetrantes**, sive sit *solemne* seu *publicum*, sive sit *simplex* seu *privatum;* sive sit *fatale* sive *non fatale*, dummodo sit duellum *proprie dictum* juxta explicata (tom. I, pag. 460 seq.). **2°**) *Simpliciter ad illud* **provocantes**, quamvis alter non acceptet duellum, ideoque illud non sequatur. **3°**) *Ipsum* **acceptantes**, sive inde sequatur, sive non. **4°**) *Quoslibet* **complices** *et qualemcumque operam aut favorem* **praebentes**, ut sunt patrini, testes, consilium dantes, socii, ceterique quos citavi (tom. I, pag. 463). **5°**) *De industria* **spectantes**, non vero qui vel casu transeunt, vel in secreto vel a longe duellum spectant, multo minus qui comitantur, ut duellum impediant S. Lig. (VII, 220). **6°**) *Illud* **permittentes** *vel quantum in illis est* **non prohibentes**, si nempe ex officio prohibere debuissent, ut Principes in suis territoriis, militum duces suis; non vero comprehenduntur, ut antea, « *post*

commissum crimen veniam et impunitatem concedentes ; » hos enim Const. « *Apost. Sedis* » praeterit. — Cetera vide t. I, p. 460 seqq.

IV.

« Nomen dantes sectae *Massonicae* aut *Carbonariae*, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint. »

NOTAE. Haec censura **triplicem** personarum classem complectitur : **A**) In **prima** classe veniunt : **Nomen dantes**, i. e. scientes volentes sese aggregantes, quocumque ceteroquin ritu, et etiamsi absque ritu, initientur *sectae* i. e. societati *Massonicae* aut *Carbonariae*, aut *aliis ejusdem generis sectis*, quae nimirum, ut habetur in *Instr.* S. U. I. (10 Maii 1884), « *contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam sive palam fecerint, sive exegerint sive non a suis asseclis secreti servandi juramentum,* » et licet a gubernio tolerentur, ut constat ex Pii IX Const. « *Quanta cura* » (8 Dec. 1864). Ad hujusmodi sectas pertinere « *societatem Americanam seu Hibernicam*, Fenianorum *appellatam*, » declaravit S. U. I. (12 Jan. 1870). Item hujus generis sunt : societas *Solidariorum* in Belgio et alibi; societas *Mazziniana*, societas *emancipatrix ab Ecclesia Romana catholica* in Italia; *Excubiae libertatis* et *Foedus Americanum* in P. F. A. S.; societas *Nihilistarum* in Russia, *Socialistarum* (1), *Communistarum* et *Internationalistarum* in universo orbe, aliae. De secta *Massonum*, « *quae cujusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae* » sectae, spendide, pro more suo, tractat Leo PP. XIII in celebri Encycl. « *Humanum genus* » (20 April. 1884). — **B**) In **secunda** classe veniunt : **Iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes**, quae verba quam late patent; et ideo hanc excommunicationem incurrunt qui, ut dicitur in Bulla « *In eminenti* » Clem. XII (28 April. 1738), hujusmodi sectis praebent « *consilium, auxilium.... palam aut in occulto, directe vel indirecte, per se vel per alios ;* » vel audent eos « *in suis aedibus, seu domibus vel alibi*

(1) In Litt. Encycl. Leon. XIII (28 Dec. 1878) **Socialistae** manifeste *Nihilistis* et *Communistis* assimilantur. Dicit enim Pont. : « *Intelligitis Nos de illa hominum secta loqui, qui diversis ac pene barbaris nominibus* Socialistae, Communistae, *et* Nihilistae *appellantur* » Quare jure meritissimo putat N. R. T. (XXVIII, 178), quidquid dicant aliqui, **Socialistas** sectam constituere huic censurae obnoxiam.

receptare atque occultare.... vel potestatem seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur.... necnon alios hortari, inducere, provocare aut suadere, ut hujusmodi societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant » (1). Unde quoque, ut constat ex S. U. I. (5 Jul. 1837), Massones « *quos licet emissi juramenti poeniteat, communicando tamen cum ceteris eidem sectae adhaerentibus, vel eorum conventicula adeundo, vel alio quolibet modo, veros ejusdem societatis cultores se palam exhibere perseverant,* » ad Poenitentiae aut SS. Eucharistiae Sacramenti participationem legitime per confessarium nequeunt admitti. — C. In **tertia** classe veniunt : Earum sectarum **occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint.** Itaque praesenti censura mitigatur excommunicatio olim lata in *non denuntiantes* : nam **1°**) obligatio sub hac poena omnibus imposita per Bullas Pii VII et Leonis XII denuntiandi : « *eos omnes quos noverint* » his societatibus nomen dedisse, limitatur ad denuntiationem *occultorum coryphaeorum ac ducum;* et **2°**) excommunicatio reservata, quae hucusque perpetua erat, manere tantum, saltem quoad reservationem, « *donec non denuntiaverint.* » Unde facta denuntiatione, ipso facto cessat reservatio excommunicationis incursae, et ideo ille qui culpabiliter denuntiare neglexerit ac proinde excommunicationem R. P. simpliciter reservatam incurrerat, absolvi poterit a quovis confessario, postquam, licet excommunicatione incursa, oneri denuntiandi tandem satisfecerit. — Porro omnes Christi fideles tenentur denuntiare harum sectarum *occultos coryphaeos ac duces*, quamvis hodie eorum nomina per libros et ephemerides passim evulgari soleant; et denuntiatio facienda est Inquisitori vel Ordinario et in locis Missionum Vicario vel Praefecto Apostolico vel ab eis ad hoc officium delegato. Utrumque constat ex *Instr.* S. U. I. (1 Febr. 1871). Constat praeterea ex declaratione ejusdem Congr. (19 April. 1893) quae ad **dubia : 1°**) « *An occulti sectae massonicae coryphaei ac duces sint denuntiandi juxta Const.* Apost. Sedis, *quando sunt publice noti ut* liberi muratorii, *sed non sunt publice noti ut coryphaei vel duces hujus sectae massonicae!* » **2°**) « *An denuntiationis obligatio cesset apud eas regiones in quibus* liberi muratorii *et ideo ipsorum coryphaei a gubernio civili tolerantur,*

(2) Ad **dubium :** « *Utrum catholici* **choreis** Massonum *convenientes incidant in hanc excommunicationem?*» S. C. Inq., praemissis pluribus animadversionibus, ita **concludit :** « *Hinc retinendum esse quod catholici censura innodentur eo in casu quo eorum praesentia ac participatio hujusmodi conventibus reapse affert eidem sectae aut sectatoribus emolumentum aliquod.* » Ex Litt. S. C. de P. F. (15 Jul. 1876). Idem concludimus quoad convenientes choreis **Socialistarum.**

et ab ecclesiastica potestate puniri non possunt nec ullo modo cohiberi? » ita **respondit** : « Ad 1^um^ : *Affirmative.* Ad 2^um^ : *Negative.* »

Ut autem **absolvi** valeant qui praedictis sectis nomen dederunt, satis non est, ut supra (pag. 455) declaravit S. U. I. (5 Jul. 1837), quod ipsos emissi juramenti poeniteat, si externe cum iisdem sociis communicent : quia satis non est, si quis erroribus suis interne renuntiet, cum eosdem externe profiteri videatur. Quapropter facultas absolvendi eos qui vetitis Massonicis aut Carbonariis sectis aliisque similibus nomen dederunt a S. POENIT. non conceditur nisi sub certis **conditionibus**, videlicet : « *Postquam tamen a respectiva secta omnino se* SEPARAVERINT *eamque* ABJURAVERINT ; *libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia, si quae retineant, confessarii manibus* CONSIGNAVERINT *ad Ordinarium quam primum caute transmittenda aut saltem, si justae gravesque causae id postulent,* COMBURENDA, *veraeque poenitentiae signa exhibuerint ; firma obligatione sectae duces ac coryphaeos occultos* DENUNTIANDI, *si quos noverint ; injuncta pro modo culparum* GRAVI POENITENTIA *salutari cum frequentia sacramentalis confessionis aliisque injunctis de jure injungendis,* » ut est reparatio scandali aliorumque damnorum. Unde pro absolvendis sectarum damnatarum sodalibus sequentes clausulae apponuntur : 1°) omnimoda a secta separatio atque ejus abjuratio ; 2°) traditio librorum, manuscriptorum ac signorum sectam respicientium vel saltem eorum combustio ; 3°) obligatio denuntiandi sectae duces ac coryphaeos occultos ; 4°) injunctio gravis poenitentiae cum frequentia sacramentalis confessionis aliisque de jure injungendis. — Quod si agatur de absolvendis iis « *qui ejusmodi sectarum duces et magistros occultos denuntiare culpabiliter neglexerint,* » facultas absolvendi non conceditur, nisi « *injuncta pariter salutari poenitentia, et firma obligatione sub reincidentia eosdem Ordinario loci vel aliis, ad quod spectet, prout de jure denuntiandi.* » Cfr. N. R. T. (VIII, 613 seq.) (1). — In casu vero **moribundi**, ubi adest periculum in mora, confessarius imprimis attendat ad conditiones *substantiales*, scilicet ad separationem a secta et reparationem scandali, minus vero urgeat, saltem pro tempore quo videntur moraliter impossibiles, ad eas conditiones quae requiruntur *ex praecepto ecclesiastico*. Praeterea memorandae hic sunt **responsiones** datae a S. U. I. (8 Jul. 1874) ad **dubia** proposita : 1°) « *An pa-*

(1) Nuper ad **dubium** : « *An vi facultatum in solita* S. POENIT. APOST. *pagella contentarum absolvi queant massones tam occulti quam publici, et, cum ex dicta pagella praescribatur* UT EJURENT, *an ab omnibus exigenda sit abjuratio formalis et notoria, quae in curia servetur ?* » S.U I. (5 Aug. 1898) **respondit** : « *Episcopus utatur facultatibus quae Ordinariis a* S. POENIT. *concedi solent quarum vi et ipse et alii ab ipso de-*

rochus sive missionarius ad aegrotum vel morientem, praesertim non baptizatum vel protestantem vocatus, quem certe scit ad liberos muratores *pertinere, ac bona fide versari in praedicta secreta societate, possit sine ulla admonitione quoad relinquendam damnatam societatem, illum* baptizare *vel* absolvere? » 2°) *An missionarius interrogare debeat morientem, si solum dubitet de morientis affiliatione ad* liberos muratores?» 3°) «*In utroque casu, si tempus vel morientis status discussionem non permittat, debetne missionarius quaestionem ullam proponere eidem morienti circa societatem secretam* liberorum muratorum? » Quibus propositis **dubiis** ita **responsum** fuit : «*Ad primum* generice loquendo *Negative* juxta decreta jam adita. Cum vero juxta ea quae habet Albitius (1), pueri et morituri non abjurent, si agatur de morti proximis, ac materialiter seu in bona fide sectis a S. Sede damnatis adscriptis (et nisi praevideatur quod specialis admonitio profutura sit), sufficere quod in genere hortentur, ut se sincere subjiciant Ecclesiae auctoritati atque mandatis S. Sedis, deinde baptizari atque absolvi possint. Scandalum vero reparetur eo meliori modo, quo fieri possit, etiam post obitum. — Ad *secundum* et *tertium* provisum in praecedenti.» Ap. N. R. T. (X 120 seq.).

V.

«Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubentes aut violantes. »

NOTAE. Hac excommunicatione **duo** delinquentium genera tenentur : qui *immunitatem asyli ecclesiastici* aut **A**) **violant,** vim nimirum adhibendo, aut **B**) illam violare **jubent,** effectu scilicet secuto; dummodo tamen in *utroque casu* id fecerint **ausu temerario.** Ex quo intelligitur, ut habet *Inst.* S. U. I. (1 Febr. 1871) : «*eum tantum excommunicationem incurrere, qui ab aliis* MINIME COACTUS, PRUDENS *ac* SCIENS *immunitatem asyli ecclesiastici aut violare* JUBET, *aut exsequendo* VIOLAT, *quem porro utpote omnis excusationis expertem excommunicationi subjacere mirum esse non debet.*» Quare milites, qui nollent violare immuni-

legati confessarii absolvere possunt eos qui sectis vetitis nomen dederunt, sive notorii sint, sive non, dummodo a respectiva secta omnino se separent, eamque saltem coram confessario ejurent seu detestentur, reparato scandalo eo meliori modo quo fieri potest, et aliis injunctis de jure injungendis, juxta praefatas litteras S. Poenit. » Ap. R. T. F. (IV, 156); N. R. T. (XXXI, 96); *Collat. Brug.* (III, 644).

(1) *De inconstantia in fide*, part. I, cap. IX. n. 38; et cap. XIV, n. 58.

tatem asyli, tamen contra vel praeter voluntatem coguntur a suis ducibus eam violare, hanc censuram non incurrunt. Neque eam incurrunt magistratus catholici necessitate adacti se conformandi praescripto legis civilis; neque superior religiosus qui a suo monasterio vel ecclesia facinorosum expelleret, immodeste se gerentem et religiosorum quietem perturbantem, vel ad aliud incommodum vitandum. Nequit tamen debitor extrahi ex ecclesia *tempore officii divini*, ut declaratur in art. 781, 3°, *Cod. proc. civ.* ap. N. R. T. (IX, 61). (1)

VI.

«Violantes clausuram Monialium, cujusque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constit. *Decori* praescriptam.»

(1) Porro per **immunitatem** *asyli ecclesiastici* intelligitur jus quod *locis sacris* vel *religiosis* competit et *triplicem effectum* habet. Et quidem **loca sacra** seu **religiosa** sunt : **1°**) Ecclesiae, etiam nondum consecratae, pollutae, interdictae et aedificia continentia, i. e. propinqua, adjacentia, veluti sacristia, porticus, atrium; **2°**) Coemeteria sepeliendis destinata; **3°**) Monasteria regularium, Seminaria, Hospitalia, Nosocomia, etc., dummodo auctoritate episcopi sint erecta, immo Palatia S.R. E. Cardinalium vel Episcoporum, etiamsi distent a cathedrali ultra 40 passus, nec habeant Oratorium, dummodo non sint alteri locata. — **Effectus** autem immunitatis asyli ecclesiastici *tres* sequentes numerantur. **1us**) **Effectus** est : Quod delinquentes, ad praefata loca confugientes, exinde *per vim* extrahi non possint, licet ipsi sponte exire valeant, dummodo tamen ex jure canonico a tali privilegio specialiter non sint exclusi, quales sunt *publici latrones et grassatores, depopulatores agrorum, laesae majestatis in personam principis rei, homicidae proditores* (tom. 1, pag. 449), *assassini, falsificantes litteras apostolicas, haeresis rei, quive homicidia* et *mutilationem membrorum in ipsis ecclesiis earumque coemeteriis committere non verentur*, alii, de quibus agunt Canonistae. Qui enim jure asyli non gaudent, extradi quidem possunt curiae saeculari, sed servato modo praescripto, ut scilicet non extradantur, nisi causa privationis asyli prius per Episcopum discussa et decisa, licet interim Rector loci sacri aut religiosi a potestate saeculari ad id requisitus teneatur eos custodire ne diffugiant, adhibitis etiam, si opus fuerit, compedibus, et carceribus. Dixi : *per vim*; unde non violatur jus

NOTAE. Recole dicta (tom. II, pag. 341 seqq.). Itaque praesens excommunicatio **triplicem** personarum classem complectitur. **A**) In **prima** classe veniunt : **violantes** *clausuram monialium*, in earum scilicet monasteria *absque legitima licentia*, i. e. sine licentia Ordinarii et, si monasterium sit exemptum, etiam superioris ejus Ordinis, nisi alius sit usus, *ingrediendo*, et quidem perfecte, ita ut totum corpus sit intra clausuram et non tantum pedes ponantur. Quae quidem licentia non debet dari *in scriptis*, cum id Constitutio non requirat. Et hanc excommunicationem incurrunt ingredientes, *cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint*, (exceptis tamen regibus, reginis, fundatricibus cum honesto comitatu, necnon pueris septennio minoribus, quippe qui sunt culpae expertes), *praeterquam necessitatis causa*, quae **quadruplex** assignatur : **1°**) *Infirmarum cura;* **2°**) *Sacramentorum administratio;* **3°**) *Visitatio monasterii;* **4°**) *Commune servitium*. **B**) In **secunda** classe veniunt : qui hujusmodi violatores **introducunt** vel **admittunt.** Dicuntur autem *introducere*, qui intus mittunt, sive alio modo physice cooperando ingressui. Dicuntur autem *admittere*, qui cum sint ex officio deputati ad clausurae custodiam, quales sunt Praefectae et Ostiariae, non tamen ingressum prohibent, cum facile possint. Quare *simplices* moniales nullam, ex hoc capite, excommunicationem incurrunt. **Utrum** vero eam incurrerent, qui *pueros ante usum rationis* introducerent aut admitterent, inter DD. *disputatur*. Alii **affirmant**: alii **negant**, et verius quidem, cum hujusmodi pueri inter violatores recenseri nequeant: jam vero censura tenentur, « *eos* » (scilicet violantes clausuram monialium) introducentes vel admittentes. **C**) In **tertia** classe veniunt : **moniales** a clausura **exeuntes** extra *casus* ac *formam* a S. Pio V in Const. *Decori* (24 Jan. 1750) praescriptam. (1)

asyli, ac proinde excommunicatio non incurritur, si «*fallacibus suasionibus, blandis verbis, assecurationibus, dolosisve machinationibus extracti fuerint*,» ut habetur in decreto Clem. XI (22 Dec. 1716). **2us**) **Effectus** est : Quod illis prohiberi nequeat, quominus hujusmodi confugientibus deferant quae ad vitam sunt necessaria. **3us**) **Effectus** est : Defensio, ne quis ecclesias et loca immunia obsideat, et his qui ad ea aufugerint effugium intercludat. Et hanc quidem legem asyli ecclesiastici in his quoque regionibus, in quibus secundum omnem suam rationem a longissimo tempore in desuetudinem abiit, saltem *quoad substantiam esse servandam*, constat ex decreto S. U. I. (22 Dec. 1880).

(1) Quod **1°**) **casus** attinet, egressus e clausura monialibus non permittitur a S. Pio V : «*nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis leprae, aut epidemiae*,» quo nomine intelligitur non solum pestis realis, sed quivis morbus contagiosus qui coenobium et non urbem tantum invase-

Verum, quod sedulo attendendum est, in *praesenti* censura agitur de monialibus *proprie dictis*, i. e. vota solemnia emittentibus in ordine religioso ab Ecclesia ut tali approbato. Porro tales non amplius sunt reputandae moniales Galliae, et probabilius etiam Belgii, et consequenter eos non comprehendit **praesens censura** pontificia, ut pro Gallia constat ex *S. C. EE. et RR.* (1 Aug. 1839). Dico : **praesens censura** ; nam quod spectat excommunicationem vel alias censuras forte latas **ab episcopo** contra clausurae violatores, in supposito quod eam constituerit penes eas moniales quae vota *simplicia* profitentur, qui hanc clausuram violaverint, utique censuris subjacent **ab episcopo** inflictis.

VII.

« Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eos admittentes. »

NOTAE. Praesens excommunicatio **duplicem** personarum classem complectitur. **A**) In **prima** classe recensentur : *Mulieres*, non exemptae, *violantes* i. e. ingredientes et quidem perfecte, quoad totum scilicet corpus, *clausuram* (tom. II, pag. 341) *Regularium virorum*, qui nimirum solemnia vota nuncupant in ordine ab Ecclesia ut tali approbato. Unde hoc nomine non appellantur, qui in religiosis congregationibus vota simplicia emittunt. Dixi : *non exemptae;* quia de jure exemptae sunt reginae et fundatrices, necnon foeminae consanguineae vel affines eorum, qui sunt Domini in temporalibus locorum, in quibus

rit. Ad causam autem *incendii* DD. communiter referunt causam aeque gravem vel graviorem, ut est inundatio, ruina aedificii, incursus hostium, praesertim haereticorum et infidelium. **Utrum** vero sufficiat gravis morbus seu infirmitas a qua in monasterio curari non possit, alii *communius* **negant**: alii **affirmant** cum SUAR., REIFF., DIANA, et his favet ipse textus citatus, si virgula ponatur post verbum : *infirmitatis*, ut passim apud DD. legitur. Extra praefatos casus egressus e monasterio non permittitur, adeoque neque pro constituenda abbatissa in alio, neque pro fundatione alterius domus, neque correctionis gratia, neque ex aliis causis gravibus, ab episcopo recognitis et probatis ; uno verbo : « *quoad egressum monialium e clausura, servandam esse Const.* S. PII V Decori, *contraria consuetudine non obstante*, » nuperrime declaravit S. U. I. (22 Dec. 1880), et juxta eamdem sententiam proposita sibi dubia resolvit S. C. EE. et RR. (16 Jul. 1884). Quod **2°) formam** praescriptam attinet, haec est : ut causa, nisi periculum sit in mora, « *praeter alios Ordinum superiores, quibus cura Monasteriorum incumbit, etiam per Ordinarium cognita et expressa in scriptis approbata sit.* »

monasteria sita reperiuntur (si hoc jus ipsis per litteras apostolicas confirmatum fuerit), *dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi... causa,* » aliisque sub conditionibus, de quibus Bened. XIV in Const. «*Regularis disciplinae.*»—**Num** vero privilegium a S. Pio V per Const. « *Decet* » (16 Jul. 1570) Ordinibus Regularium concessum, ut nempe, causa devotionis ac religionis, mulieres eorum monasteria ingredi valeant, v. g. ad comitandum processiones quae per claustra fiunt, aut quando christifidelium cadavera ibi sepeliuntur, etc., *adhuc* vigeat necne, inter DD. *disputatur*. Quam controversiam dirimere ad me non pertinet. (1) Nihil porro refert ad censuram incurrendam quod foeminae ingredientes sint nubiles, an maritatae, an viduae, dummodo usum rationis ipsae habeant; secus culpae ac proinde poenae forent expertes. Nec excusantur foeminae quod intraverint eo tempore quo nullus Regularis intus erat : hoc enim fit per accidens. **B**) In **secunda** classe recensentur : *Superiores aliique*, etiam inferiores, Regularium virorum, *eas* mulieres non exemptas *admittentes*, i. e. recipientes. **Num** vero excommunicationem incurrerent, si mulieres jam ingressas *comitarentur* aut *retinerent*, inter DD. *disputatur*. Alii **affirmant**, nisi mora ita esset brevis, ut ratione parvitatis materiae possent excusari a peccato et censura. Alii **negant**, quia aliud est *admittere* et aliud *retinere, comitari, associari*, nec in poenalibus valet argumentum a fortiori. Unde stante dubio juris, quod minimum est sequimur. Dicunt quoque plerique commentatores, censura ligari Regulares admittendo foeminas non exemptas, quamvis *fatuas* et *mentis impotes*. Sed si tales inter «*violantes Regularium virorum censuram*» recenseri nequeant, nequit pariter, uti opinor, censura attingere Regulares, qui eas admitterent, cum vi Constitutionis eatenus tantum censurentur, quatenus « *eas,* » mulieres violantes clausuram, *admitterent*. Nec dubium esse potest, quod sicut mulieres a censura excusantur, quae ad clausuram necis vitandae causa confugiunt, uti docet S. Lig. (VII, 231) cum Sporer et aliis; ita quoque excusentur Regulares, qui hujusmodi mulieres fugientes intra claustra admitterent. Et quidem antiquitus ex S. Pio V, Const. « *Regularium* » et Const. « *Decet* » Regulares mulieres non exemptas admittentes, plectebantur poena privationis officiorum et inhabilitatis ad ea necnon sus-

(1) Quoad Ord. Praed., de hoc privilegio ne verbum quidem habet Leo XIII in Const. «*Ubi primum*» (6 non. Oct. 1898) quae tractat « *de legibus, juribus ac privilegiis sodalitatis a SS. Rosario.*» Ap. R. T. F. (III,705 seqq.) Dubatur tamen locus de eo privilegio loquendi (cap. XIV), ubi sermo fit de processione solemni «*prima cujusque mensis dominica, praecipue vero prima Octobris.*»

pensionis a divinis. Verum, **num** hujusmodi poenae adhuc vigeant, inter DD. *disputatur*. Alii **affirmant** : alii **negant**, quibus libenter assentirer, si Const. « *Apost. Sedis.* » in hujusmodi Regulares censura latae sententiae *nunc primum* animadverteret, juxta dicta (pag. 429). Sed obstat, quod poenis praecitatis *jam* addita fuerit a GREG. XIII Const. « *Ubi gratiae* » excommunicatio R. P. reservata. Quoniam tamen sententia negans ob auctoritatem saltem extrinsecam non caret probabilitate, stante dubio juris, licet sequi quod minimum est.

VIII.

« Reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices. »

NOTAE. *Quid, quotuplex* et *quale* peccatum sit *simonia*, ex S. THOM. tradidimus (tom. I, pag. 369 seqq.). Porro praesens excommunicatio **duplicem** personarum classem comprehendit. — In **prima** classe veniunt : **Rei** *simoniae realis in beneficiis quibuscumque.* Itaque ad censuram incurrendam DUO requiruntur : **1°**) Ut simonia fuerit **realis**, ita ut pactum, sive expressum sive tacitum, ex utraque parte sit completum, saltem partialiter seu inchoative. UNDE non incurritur, si aut pretium tantum sit solutum, sed res nondum tradita ; aut si res tantum sit tradita, pretium vero non solutum. Dixi : *saltem partialiter;* ut si collatum sit beneficium et saltem pars pretii soluta. UNDE opus non est, ut totum pretium sit solutum, sed satis est, pretii partem datam fuisse, etiam minimam, quia simonia haec non admittit parvitatem materiae. **2°**) Ut agatur de **beneficiis ecclesiasticis**, et quidem *stricte dictis :* sumus enim in odiosis. HINC censuram non incurrunt : **A**) Qui emunt, vendunt, non beneficia sed *officia;* v. g. cantoris, oeconomi, rectoris, viceparochi, etc. : non enim sunt beneficia. **B**) Qui emunt, vendunt capellanias laicales, pensiones, vicarias non perpetuas, parochias succursales ad nutum episcopi revocabiles, quae, licet in favorabilibus accenseantur beneficiis, non tamen beneficii stricte dicti rationem participant, quippe tale sit *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiae propter officium aliquod spirituale, auctoritate Ecclesiae fundatum* (tom. II, p. 320 seq.). At si simonia realis fiat in *beneficiis* stricte dictis, sufficit ad censuram incurrendam, quod fiat in beneficiis *quibuscumque;* quare nihil refert, utrum beneficium sit *saeculare* an *regulare;* utrum *simplex* an *duplex;* utrum *majus* an *minus*. Et qui hujus simoniae realis rei sunt, incurrunt excommunicationem, sive sint dantes, sive recipientes, et cujuscumque sint dignitatis. Lex enim generalis est. Negant tamen aliqui hac censura *Cardinales* comprehendi : aequiparantur enim in jure filiis regum, qui

in poenalibus non comprehenduntur, nisi exprimantur. Praeterea, ubi Pius IX eos voluit comprehendere, id quidem exprimit, uti in censura sub N° sequenti. — In **secunda** classe veniunt : *Eorum* **complices**, adeoque non tantum *mediatores immediati*, qui pretio a te inducuntur ad impetrandum a superiore pro te vel pro alio beneficium ecclesiasticum ; verum etiam qui ad talem simoniam procurandam *positive cooperati fuerint*, auxilio, consilio, etc., modo cooperatio fuerit *efficax*, i. e. ex ea effectus sit secutus.

IX.

« Reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis. »

NOTAE. Uti patet, haec censura solos attingit **reos** *simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet*, non vere eorum **complices**, quippe quos Constitutio praeterit. — Porro tunc committitur simonia **confidentialis**, quando quis aliquod beneficium ecclesiasticum stricte dictum alicui procurat, sive conferendo, sive praesentando, sive resignando, sive eligendo, sive alio quocumque modo, cum pacto tacito vel expresso, ut is, cui procuratur, *illud idem* post aliquod tempus cedat procuranti vel alteri, aut *ex eo* pensionem vel certam partem fructuum tribuat. Dixi : **illud idem** et **ex eo** ; unde simonia confidentialis non intelligitur, si contrahatur de alio beneficio. Nihil autem refert, sive per *accessum*, sive per *ingressum*, sive per *regressum* (tom. I, pag. 373), haec simonia committatur, dummodo sit simonia proprie *confidentialis* juxta explicata. Et ideo, quamvis *permutatio* beneficiorum, si sit *qualificata*, i. e. facta reservato sibi jure regressus vel pensione annua vel aliquibus fructibus (tom. II, pag. 334), habeatur quasi mutua resignatio, in hujusmodi tamen *permutationibus* simoniam confidentialem locum non habere, rectius docent Suar., Laym., Navar., alii. Et quoniam in hac specie simoniae coercetur nudum **pactum** simoniacum, hinc est, quod eo pacto inito, simonia completa seu perfecta habeatur ; et ideo statim excommunicatio incurritur, dummodo tamen sit veri nominis pactum, i.e. *duorum in unum placitum consensus*, ut adeo, si alter ficte promiserit, alter ex animo, neuter censuram incurreret ; et dummodo pactum aliunde non sit nullum, ut si quis beneficium resignaverit propria auctoritate, non impetrando assensum superioris (S. Lig. III, 90). — Et olim quidem in simonia confidentiali soli *acceptantes* incurrebant excommunicationem ex Const. Pii IV « *Romanum* » et S. Pii V « *Intolerabilis.* » At hodie ex Const. « *Apost. Sedis* » illam incurrunt etiam *dantes*, quippe et hi quoque « **rei** » sunt ; et qui rei sunt, illam incurrunt « *cujuscumque sint dignitatis,* » quae verba ideo signanter addita fuerunt, ut comprehen-

dantur S. R. E. Cardinales et Praelati, qui antea, ut plures dicebant, solius interdicti ab ingressu Ecclesiae poena tenebantur.

X.

« Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem. »

NOTAE. Per *Religionem* hic intelligitur ordo religiosus stricte dictus, ab Ecclesia ut talis approbatus, in quo scilicet vota solemnia emittuntur: et tunc tantum praesens excommunicatio incurritur, quando simonia ex utraque parte fuerit completa, adeoque post emissam professionem. Porro **simonia realis** ob ingressum in religionem certo committitur, quoties dos aliqua seu pecunia exigitur tanquam pretium **status** seu **vitae religiosae** : quia tunc res spiritualis ut talis pro temporali commutatur, sicque habetur simonia *stricte dicta*, quae *jure divino* prohibetur. Hinc ait S. THOM. (2. 2. q. 100, a. 3) : « *Dicendum, quod pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium.* » Quod si pecunia exigatur pro **alimentis**, tunc *distinguendum* est inter monasteria *monialium* et monasteria *virorum*. Si agatur de **monialibus**, licet aliqua accipere, et nulla habetur simonia, ut declaravit S. C. C. (18 Sept. 1683). Si vero agatur de **viris**, tunc si monasteria sint *egena*, licet aliquid accipere, ut docent communiter DD. cum S. THOM. (*loc. cit.*), nisi obstent particularia Ordinis statuta juxta dicta (tom. I, 375); si vero sint *opulenta*, non licet et committitur simonia, sed probabiliter *juris ecclesiastici* tantum, cum non habeatur commutatio inter spirituale et temporale. Sed haec pluribus in locis est antiquata, et ubi viget, excommunicationi verius non est obnoxia.

XI.

« Omnes, qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V *Quam plenum*, 2 Januarii 1569. »

NOTAE. Ad hanc censuram incurrendam, qua puniuntur certa crimina *simoniam* redolentia, **duo** requiritur : **Primum** est : Ut actus, qui positus est, fuerit unus ex actibus quos S. PIUS V in citata Const. prohibuit, adeoque respiciat *indulgentias* aliasque *gratias spirituales* ibidem memoratas. UNDE excommunicatio non incurritur : si aut **1°**) actus, quamvis mandatus, positus non fuerit, ut si quis *indulgentias* publicari aut concedi mandaverit, et nihil publicatum vel concessum fuerit; aut **2°**) si quod positum est, fuerit aliquid aliud quam quod a S. PIO V prohibetur. **Secundum** est : Ut qui actum posuit ex eo *quaes-*

tum fecerit, ideoque necesse est, ut saltem partem pecuniae acceperit. Si haec duo simul adsint, praesentem censuram incurrunt : *omnes qui excommunicationis censura plectuntur in cit.ta Const.* S. Pii V, nimirum : « *inferiores ab Episcopis.* » Episcopi namque et qui majori dignitate praefulgent, etiam Cardinales, erant suspensi «*ab ingressu et perceptione fructuum suarum ecclesiarum.* » quae poenae hodie cessant, cum eas Constitutio « *Apost. Sedis.* » reticeat. — Porro **actus prohibiti** in Const. S. Pii V « *Quam plenum* » sunt **sequentes** : 1°) Publicatio vel concessio *indulgentiarum* certam pecuniam solventibus. 2°) Concessio *aliarum gratiarum spiritualium*, certa soluta pecunia, nimirum *facultas* : **A**) eligendi sibi confessarium, qui eo ipso possit absolvere a casibus Episcopis aut S. Sedi reservatis; **B**) celebrandi sacrificium missae et sepulturam faciendi tempore interdicti; **C**) utendi cibis prohibitis; **D**) assumendi plures compatres ad baptismum contra decretum Conc. Trid.; **E**) absolvendi a reali simonia S. Sedi reservata. Omnes igitur *episcopis inferiores*, qui dictas gratias concedunt ea conditione, ut solvatur certa pecuniae summa tanquam pro concessione debita, etiamsi id fecerint intuitu alicujus operis pii promovendi, praesentem excommunicationem incurrunt, si partem saltem pretii acceperint. Qui vero lucrum fecerit ex aliis gratiis spiritualibus non memoratis, censuram non incurrit.

XII.

« Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent. »

NOTAE. Recole dicta (tom. III, pag. 132). Huic censurae, qua coercetur turpis mercatura quoad missas **manuales**, hodie obnoxii sunt : non tantum *laici*, sicut olim : sed etiam *clerici*. Dixi : **manuales**: de his enim agi, patet ex verbo : *colligentes;* et aliunde, ut ait S. Lig. (VI, 321) : « *Decreta, prohibentia retinere partem stipendii, tantum loquuntur de missis manualibus.* » Interim ad instar missarum *manualium* habendae sunt missae etiam *fundatae*, si pro singulis certum ac determinatum stipendium fuerit assignatum, ut constat ex variis declarationibus S. C. C. (signanter 18 Jul. 1868 et 22 Aug. 1874). Ap. N.R.T. (VI, 471 et 572). Porro ad hanc censuram incurrendam **duo** sequentia requiruntur : **Primum** est : Ut qui missas collegerint, vere **collectores** dici possint. Unde eam non incurrunt : 1°) is, cui missae dantur a se celebrandae; 2°) is, qui ab aliis celebrandas sponte oblatas accipit,

dummodo ei quasi collectori deferri non videantur; 3°) is, qui semel vel iterum eas colligit. **Secundum** est : Ut collegerint missas « *ex iis lucrum captantes,* » adeoque **quaestus causa**. Hinc censura non tenentur : 1°) qui partem stipendii, quam non tradit celebrantibus, in pios usus distribuit, impendit, quod tamen illicite fit, ut constat ex decreto S. C. C. (25 Jul. 1874) ad 3, approbato a PIO IX (31 Aug. 1874) et quod ex Secretaria hujus Congr. prodiit (9 Sept. 1874) ap. N. R. T. (VI, 646 seqq.); 2°) qui ex eis sibi retinent aequam laboris sui remunerationem, quia v.g. *ex officio* colligunt, quod tamen non omnes admittunt; 3°) qui partem aliquam sibi retinet quasi eleemosynam, si ipse vere pauper sit, quamvis id non liceat, quia nemo potest propriae suae inopiae subvenire mediis ab Ecclesia reprobatis. Constat autem ex declaratione S. OFF. (16 Jan. 1892) quod « *colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, si eas celebrari faciunt* IN EODEM LOCO *ubi collegerunt pro minori pretio, hanc censuram incurrant.* » Ap. N. R T. (XXIV,170). Constat pariter ex S. C. C. (21 Nov. 1898) ap. R. T. F. (IV, 161 seq.) transmittenti alio missarum stipendia non licere lucrum retinere ex permutatione monetae, v. g. Lusitanae cum Hispana (1).

(1) Nuper ex S. C. C. (25 Maii 1893) decretum « *Vigilanti studio* » prodiit « *de abusibus circa Missarum eleemosynas reprimendis,* » quod **duplicem** partem complectitur. In **prima** parte in memoriam revocantur variae decisiones, ab eadem S. C. C. (9 Sept. 1874) jam datae, quibus reprobatur tum *collectio eleemosynarum missarum eo consilio, ut commutatur celebratio earumdem sacerdotibus, quibus loco pecuniae aut libri aut merces rependuntur*, tum *cooperatio huic reprobatae agendi rationi*, juxta dicta (tom. III, p. 132). Et his decisionibus nunc additur **sanctio poenalis**. Scilicet in praesenti decreto statuitur : « *Ut in posterum si quis* EX SACERDOTALI *ordine contra emuntiata decreta deliquerit,* suspensioni *a divinis S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit;* CLERICUS *autem sacerdotio nondum initiatus eidem* suspensioni *quoad susceptos ordines similiter subjaceat et* inhabilis *praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos;* LAICI *demum* excommunicatione *latae sententiae Episcopis reservata obstringantur.* » In **secunda** parte nova datur praescriptio ad impediendum quominus in quorumdam privatorum manus major missarum numerus congeratur quam justa necessitas exigat. Scilicet « *sub gravi obedientiae praecepto* » decernitur : « *ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cujuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis*

XIII.

« Omnes, qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos*, quarto Kalendas Aprilis 1567; Innocentii IX, *Quae ab hac Sede*, pridie Nonas Novembris 1591; Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 Junii 1592, et Alexandri VII, *Inter ceteras*, nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus. »

NOTAE, Praesens excommunicatio, cujus scopus est intactam servare integritatem patrimonii S. R. E. ac proinde ejusdem dignitatem ac libertatem, quae, ut ait Pius IX in Alloc. « *Pontificis Maximi* (20 Maii 1850), « *cum totius Ecclesiae libertate et utilitate est conjuncta*, » ex citatis RR. PP. Constitutionibus, **triplicem** personarum classem attingit. — In **prima** classe recensentur . « *Tractantes, consulentes aut alias verba facientes de infeudationibus* civitatum, terrarum, oppidorum et locorum sive immediate sive mediate ad S. Sedem pertinentium, ac *propterea de eligendis Oratoribus* ad S. Sedem, qui in hunc finem mittantur, *proponentes*. » Unde duo simul requiruntur : tum **1°**) ut tractatus fiat de hujusmodi *infeudatione* aut *alienatione;* tum **2°**) ut electio proponatur *Oratorum* in hunc finem ad S. Sedem mittendorum. Quae si duo adsint, excommunicatione ligantur : *omnes* et *singuli*, tam saeculares quam ecclesiastici, cujusvis dignitatis et ordinis, etiam episcopalis vel majoris, ac S. R. E. Cardinales, ex quocumque praetextu id fecerint, etiam meritorum erga S. Sedem, vel necessitatis vel evidentis utilitatis. Sed tunc tantum censuram incurrunt, cum delictum fuerit *completum*, adeoque post peractam Oratorum electionem. — In **secunda** classe veniunt : « *Ipsi oratores munus hujusmodi recipientes*. » Et hi quidem statim ligantur ac mandatum susceperint. — In **tertia** classe veniunt : « *Alii quicumque*, adeoque etiam Cardinales S. R. E., *alienationes hujusmodi R. Pontifici pro tempore existenti, per se, vel alium, seu alios, insinuantes vel suadentes*. » Qui ligantur, postquam cum R. Pontifice de hac re sermonem habuerint, vel scriptum obtulerint, etsi operam et oleum perdiderint. — **Utrum** autem censura incidentur qui hodie auctores sunt R. Pontifici concilationis cum Italico gubernio ineundae *abdicationis* usurpati dominii, inter DD. *disputatur*. Alii **negant :** quia abdicatio stricta significatione dici nequit *alienatio*. Alii rectius **affirmant :** quia, si sic agendo alienationem non *suadeant*, eam *tradant juxta modum ab iis definiendum*. » Integrum decretum cum commentario reperies ap. N. R. T. (XXV, 354 seqq.).

saltem *insinuant.* — Is certo immunis foret, qui conciliationem suaderet absque ullo detrimento temporalis patrimonii S. Sedis obtinendam.

XIV.

« Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque Parochi licentia. »

NOTAE. Per *religiosos* heic intelliguntur *Regulares*, qui vota solemnia nuncuparunt in Ordine religioso a S. Sede ut tali approbato, etsi forte ipsi curam animarum habeant : non vero qui Religiosis Congregationibus sunt addicti aut vota tantum simplicia emiserunt in vera et proprie dicta religione, exceptis tamen scholasticis Societatis Jesu. Cfr. N. R. T. (X, 181 seq.). — Porro ad incurrendam praesentem excommunicationem, quae lata fuit ad jurgia compescenda inter parochos saeculares et Ordines Regulares, postquam hi sacramenta fidelibus administrare coeperunt, **quinque** sequentes requiruntur conditiones : **1°**) Ut religiosi id **temere** fecerint : hoc enim importat verbum « *praesumentes.* » Unde excusat ignorantia *facti*, *juris* et *poenae*, etiam *crassa* et *supina*, non tamen *affectata*, juxta dicta (p. 390 seq.). **2°**) Ut ea sacramenta ministraverint « **clericis aut laicis** » Hinc censuram non incurrunt, si ea ministraverint *Regularibus*, vel his qui Regularium jure censentur, quales sunt, ut diximus (tom. III, pag. 402), *novitii* : *famuli* actu famulantes et residentes intra claustra monasterii ; *tertiarii* qui collegialiter vivunt vel cum claustralibus habitant ; *pauperes* in hospitalibus ipsorum degentes ; item probabiliter *alumni convictores ;* et, juxta plures, *hospites saeculares*, quos intra eorum septa inopinato casu infirmari contigerit. **3°**) Ut ministraverint « *extra casum* **necessitatis.** » Hinc censura non ligantur, quoties adest periculum mortis et parochus vel non potest vel non vult infirmo sacramenta ministrare. **4°**) Ut ministraverint aut « **Extremam Unctionem** » aut « **Viaticum.** » Hinc excommunicationem non incurrerent, si aliud sacramentum administrarent, aut etiam Eucharistiam, sed non per modum *Viatici*, ut si ex devotione eam praeberent illi, qui jam Viaticum recepit (tom. III, p. 44). **5°**) Ut ministraverint « **absque parochi licentia.** » Hinc excusantur, si fecerint ex licentia parochi sive *generali*, sive *expressa*, sive *tacita*, sive etiam *praesumpta*, ut si parochus infirmo licentiam dedisset hujusmodi sacramenta suscipiendi a quocumque voluerit ; aut si infirmus, qui sacrilege Viaticum recepisset, id confiteretur Regulari, qui certe tunc potest, ne ipsius sacrilegium proderet, ad eum Viaticum clanculo deferre (tom. III, pag. 44).

XV.

«Extrahentes absque legitima venia Reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes. »

NOTAE. Praesens excommunicatio **duplicem** personarum classem complectitur. — In **prima** classe veniunt : « *Extrahentes absque legitima venia Reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis Urbis Romae ejusque territorii.* » Ut igitur censuram hi incurrant, **tres** sequentes requiruntur conditiones. **1°**) Ut extrahant « **absque legitima venia.** » Haec autem danda est a *R. Pontifice* vel ejus *Card. Vicario*, et quidem *in scriptis*, et nonnisi sub conditione, quod extractio fiat *coram sacerdote* ab eo delegato. **2°**) Ut extrahant « **Reliquias.** » Quo nomine intelliguntur Reliquiae *Sanctorum*, i. e. corpora vel ossa quae *certo* constat esse *Martyrum*. Porro, pro indubitato martyrii signo, ex decreto S.R.C. a Pio IX approbato (10 Dec. 1863) censendae sunt : « *Phialae vitreae aut figulinae sanguine tinctae, quae ad loculos sepultorum in sacris coemeteriis vel intus vel extra ipsos reperiuntur.* » Nihil autem refert, an *multum* extraxerint, an *parum*. Sufficit ex decreto Paul. V (24 Aug. 1613) ad censuram incurrendam, « *extrahere, etiam in minima particula.* » Contra censura non ligantur, qui extrahunt Reliquias : aut quas *certo* constat non esse martyrum, quales sunt quae reperiuntur in loculis apertis; aut de quibus, an sint martyrum, *dubitatur :* censura enim in dubio non incurritur (pag. 388). **3°**) Ut extraxerint « **ex S. Coemeteriis sive catacumbis urbis Romae ejusque territorii.** » Unde censuram non incurrunt, si id fecerint : sive non ex coemeteriis vel catacumbis urbis Romae ejusque territorii; sive quidem ex ipsis, sed *alibi* sitis, i. e. extra districtum Romanum. Imo, *in hoc ultimo casu*, de corpore alicujus Sancti aliquid auferre, non deformans Reliquias nec minuens aestimationem, veniale non excedit (tom. II, pag. 86). — In **secunda** classe veniunt : praefatis extrahentibus « **auxilium vel favorem praebentes,** » dummodo extractio vi auxilii vel favoris fuerit subsecuta. Porro *auxilium* praebere, est opem ferre ad patrandum delictum; et *favorem* praebere, est quamvis operam praestare, sive *positive*, ut puta suffragio, commendatione, praesentia ; sive *negative*, non faciendo, quod quis facere ex officio debuisset.

XVI.

« Communicantes cum excommunicatis nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem. »

NOTAE. Antiquitus qui cum excommunicatis communicabant, modo excommunicationem *minorem* ipso facto incurrebant, modo *majorem*, secundum id in quo communicarent. Et quidem illi qui communicabant, sive in divinis sive in humanis, cum excommunicatis *vitandis*, scilicet cum notorio clericorum percussore aut cum quocumque alio nominatim excommunicato, incurrebant, exceptis duobus casibus, excommunicationem *minorem;* quae cum a Const. « *Apostolicae Sedis* » non fuerit reproducta, censetur abrogata, nec amplius incurritur (pag. 399 seq.). Itaque, sublata hodie poena excommunicationis *minoris*, duo casus remanent in quibus communicantes cum excommunicatis vitandis incurrunt, sicut olim, excommunicationem *majorem;* et hujusmodi casus sunt qui, cum certis modificationibus, reproducti fuerunt tum sub numero *praesenti* (XVI), tum sub numero immediate *sequenti* (XVII). — Porro ad praesentem excommunicationem majorem incurrendam, **tres** conditiones requiruntur. NECESSE est : **A**) Ut communicatio fiat cum « **excommunicatis,** » et quidem « **nominatim,** » idque non ab episcopo, sed « **a Papa.** » Hinc censura non ligatur : **1°**) qui communicat in crimine nondum perpetrato sed *perpetrando*, cum opus sit, ut excommunicatio praecedat communicationem; **2°**) qui communicat cum excommunicato a Papa, sed *non nominatim;* **3°**) qui communicat cum excommunicato nominatim sive a *SS. Congregationibus*, etiamsi earum decretis accedat approbatio S. Pontificis, ut constat ex S.C.Inq. (16 Jun. 1894) ap N. R. T. (XXIX, 536), sive *ab episcopo*. NECESSE est : **B**) Ut communicatio fiat « **in crimine criminoso,** et quidem **formaliter,** adeoque post latam et communicanti notam excommunicationem; i. e. in eodem crimine quod excommunicatus admisit et propter quod noscitur fuisse nominatim excommunicatus a Papa : tunc enim communicans contumaciam participat et auctoritatem Papae damnantis spernit; ut si quis excommunicato nominatim a Papa propter *furtum*, et a se ut tali cognito, persuadeat ne restituat; aut, si excommunicatus fuit propter *haeresim*, et ut talis noscitur, ei auxilium praebeat ad errorem diffundendum (pag. 409). Sed in hoc ultimo casu, cum simul agatur de *haeretici fautore*, **utrum** tantum incurratur excommunicatio quae est 1ª inter excommunicationes R. P. *speciali modo* reservatas (pag. 433); an vero praeter hanc incurratur etiam praesens, inter DD. *disputatur*. Duplicem adesse censuram, alii **affirmant;** alii **negant,** cum a jure alienum sit « *ob idem crimen pluribus legibus reum fieri.* » Quo stante juris dubio, solam adesse excommunicationem R. P. speciali modo reservatam opinamur. NECESSE est : **C**) Ut communicatio facta fuerit non *utcumque*, sed « **ei scilicet impendendo auxilium vel favorem** » in crimine criminoso, ut scilicet prosequatur crimen vel non desistat a contumacia ob quam ille noscitur excommunicatus nominatim a Papa.

Unde satis non erit, favere ipsi personae, vel secundum se, vel in alio opere, licet inde per accidens et indirecte resultet excommunicatum fieri potentiorem aut animosiorem ad suum crimen continuandum. — Et quoniam Constitutio Piana omittit verbum « *consilium* » quod occurrit in Cap. « NUPER, » 29 (*de sent. excomm.*), hinc, juxta plures, excommunicatio non ligat *consulentem*, aliis id negantibus, cum consulens *favere* videatur.

XVII.

« Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes. »

NOTAE. Ut supra (pag. 470) dicebamus, post Const. « *Apost. Sedis* » cessavit, saltem *practice* loquendo, excommunicatio *minor*, quae incurrebatur a communicantibus cum excommunicatis *vitandis*, exceptis duobus casibus, in quibus *major* remansit. *Primus* casus enuntiatus fuit in censura praecedenti. *Secundus* vero habetur in praesenti censura, quae solos *clericos* respicit, i. e. saltem prima tonsura insignitos. Dixi : *solos* ; unde ad *religiosos* nullo modo pertinet, quia in odiosis sub nomine *clericorum* non veniunt *religiosi*, ut docent communiter DD. — Porro ad praesentem majorem excommunicationem incurrendam, **tres** sequentes requiruntur conditiones : 1°) Ut clerici « **scienter et sponte** » communicent. Unde excusat : tum ignorantia nedum *crassa* et *supina*, sed etiam, juxta plures, *affectata* (pag. 391) ; tum metus *levis*. 2°) Ut clerici communicaverint cum personis « **a R.P. nominatim excommunicatis,** » quae verba sat superque fuerunt explicata. 3°) Ut clerici communicaverint cum hujusmodi « **in divinis** » scilicet « **ipsos in officiis recipientes.** » Unde praesens censura non *duplicem* personarum classem complectitur, nempe : clericos communicantes *in divinis* cum excommunicatis, et clericos qui ipsos *in officiis* recipiunt : sed *unicam* tantum, ut adeo ultima censurae verba sint priorum explicativa totamque censuram limitent ad receptionem excommunicatorum nominatim a Papa *in divinis officiis*, eos nimirum recipiendo ad ea obeunda. Ita DD. communiter interpretantur Decretalem CLEM. III, cap. « SIGNIFICAVIT, » 18 (*de sent. excomm.*), quam Decretalem ad litteram reproduxit Const. « *Apost. Sedis.* » Porro nomine « *divinorum officiorum* » intelliguntur, ut diximus (pag. 406), sacrae functiones quae fiunt a ministris Ecclesiae, ut missa, publicae processiones, horae solemniter decantatae, solemnes benedictiones et consecrationes, etc. Et quoniam divina officia nemo obire potest, nisi sit clericus, probabile omnino videtur, praesentem excommunicationem juxta D'ANNIBALE, contradicentibus aliis, non

intelligi, nisi clericus sit uterque, i. e. tam recipiens quam susceptus. Hinc cessat excommunicatio major : si clericus horas canonicas *privatim* persolvat cum clerico nominatim excommunicato a Papa, aut illum recipiat ad missam *audiendam* : quia in neutro casu eum recipit ad divina officia obeunda. Quod si clericus nominatim excommunicatos (non a Papa sed ab Ordinario) scienter admiserit *ad divina officia*, seu *ecclesiastica sacramenta* vel *ecclesiasticam sepulturam*, coercetur, non quidem excommunicatione R. P. simpliciter reservata, sed interdicto ab ingressu Ecclesiae, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempsit, competenter satisfecerit, ut jam dixi supra (pag. 405), et postea latius dicetur, ubi de *interdictis latae sententiae reservatis*.

XVIII.

« Absolvere praesumentes, sine debita facultate, etiam quovis praetextu, ab excommunicationibus R. P. reservatis speciali modo. »

NOTAE. Ut dictum fuit (pag. 448), praesens excommunicatio intelligitur : « *dummodo non agatur de mortis articulo* » seu morali periculo; aut de illis « *casibus vere urgentioribus in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae;* » aut quando « *durum valde est poenitenti in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi;* » in his enim casibus absolutio dari poterit eo pacto quod supra (pag. 393 seq.) exposuimus. — Porro ad illam incurrendam **quatuor** conditiones requiruntur : **1°** Ut **absolvant.** Dicitur enim « *Absolventes.* » Unde non sufficit confessio, sed etiam requiritur absolutio; et ideo censura non teneris, si poenitentem simpliciter audias et inabsolutum dimittas; secus tamen dicendum : si absolvas ficte, i. e. sine animo absolvendi, vel formam absolutionis substantialiter corrumpendo, vel orationem quamdam aut alia verba pronuntiando, aut etiam tacendo, ita ut videretur tamen per signa vel manuum gestus revera poenitentem a peccatis relaxare, juxta dicta (tom. III, 341) et eruitur ex S. POENIT. (1 Mart. 1878) et S. U. I. (10 Dec. 1883). **2°** Ut absolverint « *praesumentes,* » i. e, **temere**. Unde excusat ignorantia etiam *crassa* et *supina*, non tamen *affectata* (pag. 391). **3°** Ut absolverint « *sine debita* **licentia** » a Rom. Pont. aut ejus delegato obtenta, juxta explicata (pag. 447). **4°** Ut absolverint « *ab excommunicationibus R. P. reservatis* SPECIALI MODO. » Hinc censuram non incurris : **A**) si absolveris quidem ab excommunicationibus R. P. specialiter reservatis, quoties de reservatione *certo* non constat, quia adest dubium *facti* vel *juris* : nec **B**) si absolveris ab excommunicationibus R. P. *simpliciter* reservatis. — Quod si **quatuor** conditiones requisitae adsint, tunc « *absolvere praesumentes* » excom-

municationem incurrunt, cujuscumque sint dignitatis, etiamsi fuerint Episcopi et Cardinales, ut patet ex verbis Pii IX supra (pag. 447) allatis : « *quibusvis personis.... etiam speciali memoria dignis et in quavis dignitate constitutis.* » — Denique notandum est, quod ille qui sine debita facultate absolveret a casibus hujusmodi, non quidem ex inobedientia, sed ex pertinaci persuasione : R. Pontificem vel Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, foret haereticus, cum definiverit Conc. Trid. (Sess. XIV *de Poenit.* can. 2) : « *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.* » Unde non huic censurae obnoxius foret, sed 1ae inter excommunicationes R. P. *speciali modo* reservatas (p. 433).

XIX.

« Bonorum cujuscumque ecclesiae aut pii loci usurpatores. »

Hanc excommunicationem **R. P. simpliciter reservatam**, quam jam supra (pag. 448) memoravimus, uberioribus verbis refert Conc Trid. (Sess. XXII, cap. 11 *de reform.*). De sensu verborum istius censurae non parum inter DD. *disputatur*. Alii cum P. Piato verba tam late interpretantur, ut quoslibet praedicta bona surripientes, etiam fures, comprehendant. Excipiunt tamen eos qui *decimas* subtrahunt vel impediunt, cum in istos Trid. (Sess. XXV, c. 12 *de reform.*) statuerit excommunicationem *ferendae* sententiae. — Alii cum D'Annib. verba restringunt ad eos qui eadem bona *auctoritative* et *cum potentia* occupant, vel ab eisdem quacumque ratione obtinent. — Quidquid sit, constat ex S. C. I. (8 Jul. 1874) in eam excommunicationem incidere ementes bona ecclesiastica a gubernis aliisve auctoritatibus usurpata. — Ut autem constat ex S. C. Inq. (8 Jul. 1874) peccans in materiam quam et Conc. Trid. et Const. « *Apost. Sedis,* » attingunt, non in duplicem excommunicationem incidit, sed innodatur *sola* excommunicatione R. P. specialiter reservata.

« Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae. »

« Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus : »

NOTAE. Ex S. U. I. (1 Dec. 1875) constat, confessarios Urbis Romae non indigere speciali facultate Emi Card. Urbis Vicarii, ut absolvant a censurias quae in Const. « *Apost. Sedis* » Episcopis seu locorum Ordi-

nariis reservantur. — Hujusmodi excommunicationes **tres** tantum in Const. « *Apost. Sedis* » exprimuntur, quibus addenda est **quarta** ex decreto S. C. C. (25 Maii 1893) « *de abusibus circa Missarum eleemosynas reprimendis* » de quo supra (p. 466). Scilicet ibidem decernitur ut in posterum qui contra enuntiata decreta S. C. C. (9 Sept. 1874) deliquerint, si sint **laici** excommunicatione latae sententiae Episcopis reservata obstringantur.

I.

« Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes. »

NOTAE. Praesentem excommunicationem **duo** personarum genera incurrunt, videlicet : non tantum : **A**) *Clerici in Sacris constituti et Regulares utriusque sexus post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes;* sed etiam **B**) *omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.*

Porro ad eam incurrendam **tres** sequentes requiruntur conditiones : **1°**) Ut unus contrahentium **revera** susceperit *ordinem sacrum* vel *vota solemnia ediderit in religione a S. Sede approbata* Hinc cessat excommunicatio, si invalida fuerit aut ordinatio in sacris, aut solemnis professio. **2°**) Ut « *matrimonium contrahere* » **attentaverint.** Et quoniam, juxta regulam juris : « *Nuptias non concubitus sed consensus facit,* » ideo matrimonio attentato statim, etsi nondum consummatum fuerit, excommunicatio contrahitur. **Hinc,** quamvis ex *matrimonio civili* ne *publicae* quidem *honestatis* impedimentum oriatur, ut constat ex decreto S. C. C. (13 Mart. 1879) a Leon. XIII (17 Mart. 1879) approbato (p. 168); declaravit tamen S. U. I. (22 Dec. 1880) ap. N. R. T. (XV, 242) : « *Clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales post emissum solemne castitatis votum praesumentes contrahere matrimonium sic dictum* civile *in locis, ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, incurrere excommunicationem latae sententiae Episcopis seu Ordinariis reservatam.* » Ratio est : quia in dicto casu praesumuntur velle consentire in vetitum matrimonium, sicque habetur matrimonii attentatio. **Contra** non incurritur excommunicatio : si matrimonium tantum *promiserint :* quia non agitur hic de *sponsalibus,* sed de *matrimonio* contrahendo. Nec si consensus in matrimonium defuerit sive ex utraque parte, sive ex alterutra, ut puta si alter simulate contraxerit, vel errore substantiali inductus, vel gravi metu coactus : quia in isto casu deficit

contractus ac proinde non habetur matrimonii attentatio. 3°) Ut id fecerint « *praesumentes,* » i. e. **temere.** Adeoque excusat ignorantia, licet *crassa* et *supina*, etsi postea, re cognita, in concubinatu perseveraverint : quia lex coercet matrimonium attentantes, non vero cohabitantes.

Quod si hujusmodi personae vinculatae matrimonium attentarent, non quidem ex humana fragilitate, sed ex pertinaci persuasione quod matrimonium eorum sit validum, nec possit Ecclesia illud irritare, essent *haereticae ;* ac proinde non huic censurae subjicerentur, sed 1ae inter excommunicationes R. P. *speciali modo* reservatas (pag. 433). Definit enim Conc. Trid. (Sess. XXIV, *de ref. matr.* can. 9) : « *Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto,... anathema sit.* » Ad **dubium** autem : « *Utrum clericus in sacris constitutus vel regularis, aut monialis, si praeter impedimentum voti solemnis castitatis alia habeat impedimenta, ex.g. affinitatis, consanguinitatis, hanc censuram incurrat an non ?* » S.C.S. Off. (16 Jan. 1892) **respondit** : « *Incurrere.* » Ap. N. R. T. (XXIV, 170) (1).

II.

« Procurantes abortum, effectu sequuto. »

NOTAE. Antequam singula censurae verba explicemus, placeat nonnulla praemittere. Itaque, ut ex ipso tenore liquet, praesentem excommunicationem incurrunt *abortum procurantes effectu secuto,* absque distinctione an foetus, immature ejectus, sit *animatus* vel *inanimatus* : Constitutio enim Piana *generaliter* loquitur. Neque ab ea excusat, ut antea, ignorantia *crassa* et *supina* aut etiam *affectata* (pag. 391), cum verbum « *scienter,* » quod olim occurrebat in Bullis Sixti V « *Effraenatam* » (20 Oct. 1588) et Greg. XIV « *Sedes Apostolica* » (31 Maii 1591) contra procurantes abortum latis, nunc fuerit omissum. Immo, cum praeter censuram reliquae poenae in veteri jure stabilitae nunc quoque permaneant (p. 429) : hinc, si foetus fuerit *animatus*, praeter praesentem

(1) In memoriam heic revocandae sunt **memorabiles** Litterae nuperrime per S. U. I. (20 Febr. 1888) expeditae, quibus Leo XIII Ordinariorum facultates in re matrimoniali augere dignatus est etiam in gratiam eorum qui, suscepto licet sacro *subdiaconatus* aut *diaconatus* Ordine, vel *solemni professione religiosa* emissa, in urgente mortis periculo versantes, jam civiliter juncti sunt, aut alias in concubinatu vivunt, dum tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem. Has Litteras jam supra attulimus (p. 203 seqq.).

excommunicationem, adest ratione homicidii etiam *irregularitas* (p.363 seq.), quam ex Bulla GREG. XIV incurrunt *scienter* procurantes, consulentes et quocumque modo cooperantes. Haec interim *irregularitas* non incurritur, nisi post 80 a conceptione diem abortus procuratus fuerit : nam, cum in casu semper dubius est foetus *sexus*, censetur Ecclesia in praxi sua poenali sequi opinionem juxta quam mares 40, foeminae vero 80 a conceptione die animantur. Praeterea, *scienter* procurantes abortum foetus *animati*, si *clerici* fuerint, ex Bulla SIXTI V incurrunt *privationem omnis privilegii clericalis, officii et beneficii ecclesiastici et inhabilitatis ad ea;* probabiliter tamen (saltem si delictum sit occultum) non ante sententiam judicis declaratoriam. His praemissis, ut sensus censurae recte intelligatur, singula ejusdem verba sunt breviter explicanda.

Dicitur : **A**) « **abortum** » Quo nomine ex SIXTO V, Const. « *Effraenatam* » communiter a DD. cum SPORER intelligitur : « *Ejectio foetus immaturi.* » Unde **1°**) huc non pertinet casus, quo mulier immediate post copulam *semen* extrudit, si tamen possibile sit; aut simpliciter procurat *sterilitatem :* quia hic agitur de « *ejectione foetus* » et non de alio. Neque **2°**) huc pertinet *partus acceleratio*, cum scilicet ope quorumdam remediorum foetus *jam vitalis* ante tempus naturale completum in lucem editur. Quam *partus accelerationem* etiam licite practicant medici ac chirurgi, quoties, si tempus naturale foret exspectandum, foetus vitalis, ob pravam foeminae conformationem aliamve rationem (1) nonnisi difficillime egressurus praevidetur juxta dicta (tom. I, pag.460). Neque **3°**) huc pertinet *craniotomia* seu *embriotomia* : quia differt ab

(1) Ad **dubia** : « 1. *Eritne licita* PARTUS ACCELERATIO *quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet foetus egressio suo naturali tempore?* — II. *Et si mulieris arctitudo talis sit ut neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne* ABORTUM *provocare aut* CAESAREAM *suo tempore perficere* OPERATIONEM? — III. *Estne licita* LAPAROTOMIA *quando agitur de praegnatione extra uterina, seu de ectopicis conceptibus?* » S. C. INQ. (4 Maii 1898) ap N R. T. (XXXI, 276) **respondit** : « *Ad* 1. *Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur justis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et foetus vitae consulatur.* — *Ad* II. *Quoad primam partem* « NEGATIVE « *juxta decretum fer. IV, 24 Julii 1895, de abortus illiceitate. Ad secundum vero quod spectat : Nihil obstare quominus mulier, de qua agitur, caesareae operationi suo tempore subjiciatur.* — *Ad* III. *Necessitate cogente, licitam esse* LAPAROTOMIAM *ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur.* »

abortu, nedum in *terminis*, ut per se liquet: sed etiam *re*, cum non sit « *ejectio foetus*, » sed potius *occisio foetus*, quam consequitur *cadaveris* ejectio. Aliunde in poenalibus non valet argumentum a pari, nec imo a fortiori. Interim qui foetum occidunt, poenis homicidii tenentur.

Dicitur : **B**) « **procurantes;** » i. e. studiose seu ex industria quaerentes. Ex quo patet, hic agi de abortu voluntario *directe* et *in se* Hinc censura non incurritur, si abortus sit quidem voluntarius, sed *indirecte* tantum et *in causa*, etiamsi ex actione graviter mala procederet, ut si quis ex gravi ira mulierem gravidam percuteret, praeviso forte periculo abortus postea secuti, eo tamen non intento. — Et quidem « *procurantes abortum*, » si hujus criminis fuerint *exsecutores*, seu, ut alii loquuntur : si id fecerint *physice* vel *immediate*, nimirum per se ipsos actionem physicam ponendo, qua abortus secutus infertur, certo censura tenentur, saltem *generatim* loquendo. Dico : **saltem generatim**; quia **1°**) multi DD. a censura excusant *mulieres praegnantes* quae, etiam nullo metu gravi perterritae, abortum sibi procurant. Et si hoc probabiliter, imo probabilius, ex judicio S. Lig. (III, 395) sustineri olim poterat, non obstante Const. Sixti V et Greg. XIV: quidni, quaeso, etiam post Const. « *Apost. Sedis.* » quae, quoad subjectum hujus censurae seu « *procurantes abortum* » attinet, *eodem modo* enuntiatur, ac consequenter sub eo respectu non debet rigorosius intelligi, eo magis, quod illius scopus sit, antiquas censuras latae sententiae limitare? Immo **2°**) juxta nonnullos, quos inter G. de Varceno, Konings, D'Annibale, a censura excusantur, qui *jussu* aut *mandato* alterius faciunt, ut mulier abigat : quia aiunt, « *procurantes* » accipere hoc loco debemus, ut in veteri jure non eos qui pro alio, sed eos qui sive per se sive per alium curant, faciunt ut mulier ejiciat. — Utrum vero « *procurantes abortum*, » si hujus criminis non fuerint exsecutores, sed tantum *cooperatores*, i. e. si id fecerint *moraliter* seu *mediate*, abortui ab alio illato cooperando, etiam censura teneantur, *quaestio* est. Certo non tenentur, si fuerint cooperatores tantum **negativi**, i. e. non impediendo quod ex officio impedire tenentur. Si vero fuerint cooperatores **positivi**, DD. *disputant*. Communiter **affirmant**, si agatur de cooperatore positivo *principali*, i. e. de illo qui *mandat* abortum fieri; **negant** vero, si agatur de reliquis seu *secundariis*, v. g. de illo qui abortum *consulit*, vel procuranti *opem* praestat, ut est qui pharmacum parat. Quare, stante dubio *juris*, quod minimum est sequimur.

Dicitur : **C**) « **effectu secuto.** » Unde non sufficit *inefficax* abortus procuratio, sed requiritur *efficax*, ita quidem, ut abortus sit secutus non ex aliqua causa *accidentali;* sed ex mediis studiose adhibitis tanquam ex causa *per se efficiente*. Hinc cessat censura : **1°**) Si quis post datam potionem abortivam, *antequam abortus eveniat*, delicti sui se

poeniteat (p. 389 seq.). **2°**) Si quis ad hoc faciendum dederit mandatum et postea *revocaverit*; etiamsi, juxta probabilem sententiam, revocatio per accidens non innotuerit mandatario (*ibid.*). **3°**) Si mulier, sumpto abortivo, ex aliquo casu, v. g. apoplexia, ferro, ruina, *ante ejectionem* pereat; aut ex alto decidat et foetum ejiciat. **4°**) Quoties probabile est, abortum ex alia causa fuisse secutum.

III.

« Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes. »

NOTAE. Praesens excommunicatio **duplicem** personarum classem complectitur. — In **prima** classe veniunt : « **Litteris Apostolicis falsis scienter utentes.** » sive sint clerici, sive sint laici, cum lex non distinguat. Et olim quidem *clerici* ex INNOC. III (*de crim. falsi*, cap. 7) non excommunicationem incurrebant; sed coercendi erant *privatione officii et beneficii ecclesiastici*. Quae poena hodie cessat, cum Const. « *Apost. Sedis.* » nunc *primum* in eos censura animadvertat (pag. 429). Ut enim ait THESAURUS (*de poen. eccl.*) : « *Poena legis novae diversa tollit et cessare facit poenam legis antiquae pro eodem delicto,... ne quis duplici poena puniatur.* » — Quae sint « *Litterae apostolicae* » et quandonam dicantur « *falsae,* » dictum fuit (p. 442 seq). Nomine autem « *utentes* » intelliguntur qui illas exhibent, sive in propria, sive in aliena causa, ad finem intentum. Unde non sufficit, illas secum *servare*. **Utrum** ulterius requiratur, ut *effectus sit secutus*, i. e. ut finis intentus fuerit obtentus, DD. *disputant*. Quod si quis hujusmodi « *Litteras* » falsificaverit eisque postea usus fuerit, praeter praesentem censuram, incurreret excommunicationem R. P. *speciali modo* reservatam (p. 442). — In **secunda** classe veniunt « **crimini in ea re cooperantes,** » i. e. delicto priorum, scilicet utentium, non vero falsificantium, ut patet ex verbo « *in ea re* » cooperantes, et quidem *scienter*, cum aequum non sit, minus culpabiles majori culpa puniri. Unde tam *cooperantes*, quam *utentes*, excusat ignorantia nedum *crassa* et *supina*, sed etiam *affectata* (pag. 391). Porro « *cooperantes* » hoc loco juxta aliquos intelliguntur, non qui *mandant*, multo minus qui *consulunt* aut *favent*, sed qui utentibus opem praestant. Non ita tamen plerique censent, cum inter cooperatores et mandantes et consiliarii reputentur. **Utrum** requiratur, ut cooperatio *effectum* habuerit, ita ut « *Litteris Apostolicis falsis utentes* » intentum finem obtinuerint, DD. *disputant*. Stante dubio, cum simus in odiosis, *affirmantium* sententiam *practice* amplectimur.

IV.

LAICI DELINQUENTES CONTRA ENUNTIATA DECRETA S. C. C. (9 Sept. 1874).

NOTAE. Itaque tribus excommunicationibus latae sententiae quae episcopis reservantur in Const. « *Apost, Sedis* » haec quarta addenda est juxta dicta supra (pag. 474).

« **Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.** »

NOTAE. Hujusmodi excommunicationes **quatuor** in Const. « *Apost. Sedis* » enumerantur, quibus addendae sunt **Septem** excommunicationes **Tridentinae** necnon **una** excommunicatio lata ab URB. VIII et CLEM. IX et jussu PII IX a S. INQ. (4 Dec. 1872) renovata contra Ecclesiasticos et Missionarios qui etiam semel per se vel per alios, quovis titulo aut forma **mercaturae** dant operam in Indiis Orientalibus (1) vel in America sive Australi sive Septentrionali, necnon eorum superiores qui subditos suos hac in re delinquentes non puniverint, eos saltem removendo e loco delicti juxta dicta supra (pag. 429). Unde in toto numerantur **XII** Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

« Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjacere declaramus : »

I.

« Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos. »

NOTAE. De hac censura satis diximus (tom. III, pag. 432 seq.).

II.

« Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; ejusve Sacri Tribunalis Scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes. »

NOTAE. Nomine **S. Officii** intelligitur *Tribunal Inquisitionis*,

(1) In Indiis Orientalibus SINAM comprehendi declaravit S. C. INQ. (17 Jan. 1883).

ubicumque adhuc exstat : adeoque non *Romae* tantum, sed forte etiam *alibi*. Ubi vero amplius non exstat, quae in praesenti censura statuuntur nequeunt extendi ad *Episcopos* eorumque ministros, quamvis Episcopi sint *Inquisitores nati*. — Porro censura **triplicis** generis reos complectitur. **A**) « **Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes. aliosve ministros S. Officii:** » dummodo *laesio* fuerit gravis et *perterrefactio*, i. e. minae tantum terrorem injiciant, ut nemo regulariter contra facere audeat (p. 442). Interim an gravis haec laesio debeat fieri **in corpus**, v. g. occidendo, vulnerando, verberando, dejiciendo : an vero sufficiat, quod fiat **in bona**, DD. *disputant*. Stricta significatione laedi *corpus* dicitur : et ideo ad censuram incurrendam gravis laesio *corporis* requiritur, cum in dubio odiosa sint restringenda. Cum autem post verbum « *denuntiantes* » ponatur virgula, patet « *testes* » i. e. qui in judicium vocati testimonium deferunt, distingui a *denuntiantibus*, qui scilicet crimen ad judices deferunt, ut adeo qui hos vel illos laeserit aut perterrefecerit censurae subjiciatur. **B**) « **Ejusve S. Tribunalis scripturas diripientes aut comburentes.** » Porro « *diripientes* » intelliguntur, qui adhibita vi eripiunt. Unde hanc censuram non incurrunt, qui scripturas S. Officii clam furantur. Nec sufficit quod *unam alteramve* scripturam vi auferant, nisi forte in hac haberetur tota causa aut ejus pars valde notabilis, sicque sententia S. Tribunalis impediretur. **C**) « **Praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes,** dummodo effectus fuerit *secutus*, et quidem *vi* auxilii, consilii, favoris praestiti. Hinc cessat censura : **1°**) si nulla persona laesa fuerit, vel nulla scriptura rapta aut combusta; **2°**) si consilium revocatum fuerit; **3°**) si auxilium, consilium, favorem praestiterint non in praedictis actionibus sed in aliis. **Utrum** insuper requiratur, quod complices *scienter* egerint, DD. *disputant*. Alii **affirmant,** quia id exigit S. Pius V, Const. « *Si de protegendis,* » ex qua censura praesens desumpta fuit; quare juxta eos excusat ignorantia nedum *crassa* et *supina*, sed etiam *affectata*. Alii **negant,** quia Pius IX hanc conditionem reticet. Stante dubio, cum simus in odiosis, primam sententiam practice amplectimur. At ut praedictorum criminum tam *exsecutores* quam *complices* huic censurae subjaceant, oportet ex communi DD., ut moti fuerint in odium ipsius S. Tribunalis; et ideo si laederent v. g. ejusdem ministros non qua *tales*, sed ex privata vindicta, ex hoc capite a censura immunes forent.

III.

« Alienantes et recipere praesumentes bona Ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis, *Ambitiosae*, De Reb. Ecc. non alienandis. »

NOTAE. Praesens censura lata est *ad formam*, i. e. secundum tenorem Extravagantis « *Ambitiosae,* » ubi Paul. II sub poena excommunicationis prohibuit : « *omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem omnemque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a jure permissis.* » Sic absque licentia R. P. alienari possunt : 1°) Ea quae servando servari non possunt ad triennium sine notabili deterioratione, ut v. g. fructus, vestes, singularia jumenta et similia quae usu consumuntur. 2°) Herrulae et vineolae non fertiles et res ceterae exiguae seu parvi valoris. 3°) Quoties urgeat necessitas quae moram non patitur, aut adsit occasio quae alias transiret. 4°) Juxta multos ea bona quae a patronis sub hac conditione relicta sunt, ut alienari possint. Cui sententiae favet S. C. C. (2 Mart. 1839). 5°) Bona quae incapaci possidendi, prout sunt Minores observantes et Cappucini, relicta fuerunt: poterit enim tunc pretium expendi in Ecclesiae utilitatem. Et quamvis Extr. « *Ambitiosae* » pluribus in locis nullatenus recepta fuerit, in aliis vero nonnisi ex parte tantum; hodie tamen post. Const. « *Apost Sedis* » ubique locorum quoad alienationem et excommunicationem servanda est. Quocirca placeat quatuor sequentia referre, de quibus constat ex S U I. (22 Dec. 1880) ap. N. R. T. (XV, 241 seqq.) : 1°) Legem *Beneplaciti Apostolici* per Const. « *Apost. Sedis* » quasi de novo promulgatam esse, ita ut sua vi generaliter omnes liget atque etiam ligaret, si Constitutio illa « *Ambitiosae* » (quam caeteroquin ratam firmamque declaravit) vel alia similis non praecessisset. 2°) Vi clausulae derogatoriae, in fine novae Constitutionis appositae, eatenus revocata censeri debere privilegia antiqua ab ipsa Apostolica Sede rite obtenta, alienandi scilicet absque Beneplacito Apostolico, quatenus *generalia* sint; non vero quatenus sint *specialia personalia.* 3°) Derogationem hanc extendi etiam debere ad consuetudines particulares legi de Beneplacito Apostolico latae contrarias, quamvis immemorabiles. 4°) Per recentem Constitutionem nihil immutatum esse quoad fundationes locorum piorum aliarumque ecclesiasticarum institutionum, de quibus proinde judicandum esse, prout judicabatur ante promulgationem hujus Constitutionis.

His praemissis, jam pauca dicamus de **subjecto** hujus censurae deque **conditionibus** necessariis ad illam incurrendam. A) Hujus censurae **subjectum** sunt *alienantes* et *recipientes* contra formam Extr. « Ambitiosae » *bona ecclesiastica,* sive immobilia sive mobilia. Et quidem *accipientes*, i. e. acquirentes male alienata bona *omnes* sine ulla distinctione excommunicationi subjiciuntur, quamvis episcopali aut abbatiali

dignitate praefulgeant. An idem dicendum sit de *alienantibus*, DD. *disputant*. Plures probabiliter excipiunt *episcopos* et *abbates;* quam sententiam, cum simus in odiosis, *practice* tenemus. Unde, praeter actus nullitatem, *episcopi* et *abbates* in nullam poenam incidunt post Const. « *Apost. Sedis.* » At praelati inferiores, bona ecclesiastica *alienantes*, praeter censuram et actus nullitatem, ipso facto incurrunt in *privationem beneficiorum, officiorum, dignitatum*, etc. Quae poenae etiam nunc permanent. **B**) Ad censuram incurrendam sequentes **conditiones** requiruntur : **1°**) Ut bona ecclesiastica aliena'a non sint *exigui valoris*, sed valeant saltem 25 aureos *de camera*, i. e. libellas circiter 235. **2°**) Ut pactum, per quod bonorum hujusmodi dominium transfertur, sit ex utraque parte *perfectum*. Quare si alienatio facta fuerit sub conditione *suspensiva*, censura non incurritur, nisi post conditionem adimpletam. **3°**) Ut tam alienantes quam recipientes egerint *temere* seu cum *praesumptione*. Unde eos excusat ignorantia etiam *crassa* et *supina* (p. 391). Quamvis enim verbum « *praesumentes* » afficiat vocem « *accipere*, » recte tamen extenditur ad « *alienantes* » cum praesens censura intelligenda sit « *ad formam Extr.* AMBITIOSAE, » in qua dicitur : « *Si quis... alienare* PRAESUMPSERIT. »

IV.

« Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV, Const. *Universi*, 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV, Const. *Sacramentum Poenitentiae*, 1 Junii 1741. »

NOTAE. Hanc censuram incurrunt *sollicitati* (et hodie ii soli), qui neglexerint seu culpabiliter omiserint denuntiare *infra mensem* confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus a RR. PP. GREG. XV et BENED. XIV expressis, quos late descripsimus (tom. III, pag. 345 seqq.). Interim *mensis* ad denuntiandum utilis, ne censura incurratur, incipit a die qua certo innotuerit : tum **1°**) denuntiandi obligatio : tum **2°**) tempus intra quod ei satisfaciendum sit ; tum **3°**) poena quae incurritur. Ratio 1ⁱ et 2ⁱ est : quia agitur de omissa denuntiatione ob *culpabilem* negligentiam, quae supponit notitiam integrae obligationis ejusdem. Ratio 3ⁱ est : quia secus abest *contumacia*.

« Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut

Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in decreto Sess. IV *De editione et usu sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt. »

NOTAE. Ut patet ex verbis, a Const. « *Apost. Sedis.* » confirmatae fuerunt, cum adjectis reservationibus, excommunicationes latae sententiae, quas in re disciplinari invexit seu, ut alii loquuntur, *directe* constituit Conc. TRID. Et quidem confirmatae fuerunt *ex integro*, prout nimirum ibidem reperiuntur, excepta excommunicatione lata in decreto Sess. VI *de editione et usu Sacrorum Librorum*, quae quoad extensionem *limitata* fuit, ita ut excommunicatione nemini reservata hodie plectantur, ceteris praetermissis : « **qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.** » Unde eam amplius non incurrunt qui hujusmodi libros *retinent, vendunt*, scripto *evulgant*. Quod si Regulares hujusmodi libros imprimerent aut imprimi facerent, obtenta quidem Ordinarii approbatione, sed *sine licentia* quam ex TRID. *a suis superioribus impetrare quoque tenentur*, peccarent quidem graviter, sed a censura immunes forent. Multum olim disputatum fuit circa sensum verborum : « **libros de rebus sacris tractantes :** » at hodie constat ex S. U. I. (22 Dec. 1880) ap. N. R. T. (XI, 242) : « *Censuram nemini reservatam inflictam iis, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt*, **restringendam** *esse ad libros* SACRARUM SCRIPTURARUM, *necnon ad earumdem* ADNOTATIONES *et* COMMENTARIOS, *minime vero extendendam ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, id est* AD RELIGIONEM *pertinentibus tractantes* » (1). Itaque quatuor excommunicationibus nemini reservatis quae in Const. « *Apost. Sedis* » numerantur, addantur sequentes ex Conc. TRID.

V.

« Qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.

(1) Censuram Tridentinam a PIO IX limitatam clarius expressit LEO XIII Const. « *Officiorum ac munerum* » ubi (tit. II, c. V. n. 48) ad tramites declarationis S. OFF. (22 Dec. 1880) ita declarat : « *Qui sine Ordinarii approbatione SS. Scripturarum libros vel earumdem adnota-*

VI.

Sess. XIII can. 11 *(de Euch.)* Qui « *docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit :* » ad sumendum SS. Eucharistiae sacramentum « *illis quos, conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris,* non *necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem.* »

VII.

Sess. XXIV, cap. 1 *(de reform. matrim.)* **A**) Qui negant « *clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.* » **B**) « *Quique falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse et parentes ea rata vel irrita facere posse.* »

VIII.

Sess. XXIV, cap. 6 *(de ref. matr.) Raptores mulierum* ac omnes illis « *consilium, auxilium vel favorem praebentes,* » scilicet *ad raptum ;* non item si haec praestiterint post raptum admissum, quo rapta facilius raptori nuberet.

IX.

Sess. XXIV, cap. 9 *(de ref. matr.)* Qui « *quovis modo, directe vel indirecte, subditos suos* vel *quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonium contrahant.* »

X.

Sess. XXV, cap. 3 *(de Reg.) Magistratus saeculares, si ad instantiam Episcopi non praebeant auxilium adversus contradictores clausurae monialium ;* itemque *violantes earum clausuram.*

tiones vel commentarios imprimunt aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excomm. nemini reservatam. »

XI.

Sess. XXV, cap. 18 *(de Reg.)* **A**) « *Omnes et singulae personae, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clerici quam laici, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque* COEGERINT *aliquam virginem, vel viduam aut aliam quamcumque mulierem invitam,* praeterquam in casibus in jure expressis, *ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium vel favorem dederint; quique scientes, eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoque modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum vel auctoritatem interposuerint.* (1) — Item **B**) qui cujusvis mulieris « *voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa* IMPEDIVERINT. » (2)

XII.

« Ecclesiastici et Missionarii in Indiis Orientalibus et in Amer. tam Aust. quam Sept., sive per se, sive per alios, mercaturam etiam semel exercentes, eorumque superiores, qui subditos in hoc delinquentes non punierunt. Ita ex Const URBANI VIII et CLEM. IX. »

(1) **Casus** in jure expressi, quî admittunt exceptionem, sunt sequentes **duo** : 1°) Ex INNOC. III (cap. 18 *de convers. conjugatorum*), quando mulier, quae formaliter consentit, ut vir religionem ingrediatur et profiteatur, ipsa votum castitatis fecit, debet nihilominus compelli intrare religionem, si rationabiliter haberi potest suspicio de ejus continentia. 2°) Alterum casum sic exprimit GREG. IX (in cap. 19 *eod tit.*) : « *mulieres vero quae, relicto maritali toro, lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum a te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vitae conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam poenitentiam ibi agant.*

(2) Sess. XXV, cap. 16 (*de reform.*) Excommunicationem **nemini reservatam** incurrebant : *duellantes, et reliqui qui duellum quasi honestum spectaculum permittunt, vel adjuvant, vel ei assistunt.* Sed haec censura *Tridentina* per Const. « *Apost. Sedis* » fuit aggravata et conversa in excommunicationem R. P. *simpliciter* reservatam (pag. 453).

NOTAE. Recole dicta pag. 429 et 479. Haec censura non solum afficit missionarios Europaeos, sed etiam quoscumque ecclesiasticos viros qui sub nomine missionariorum, aut quovis alio titulo, pro tempore missi fuerint aut in illis partibus morabuntur. Constat ex S. OFF. (17 Jan. 1883).

« Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae. »

I.

« Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis, seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione. »

NOTAE. Circa hanc suspensionem placeat sequentia adnotare : **A) Originem** trahit ex Extravaganti BONIF. VIII « *Injunctae nobis* » (*de elect. c. 1 inter communes*). **B) Finis** ejus est, ne quis pro Episcopo aut Praelato se gerat qui talis non est. **C) Effectus** illius suspensionis est : privare non quidem *ab ordine*, neque *a jurisdictione ;* sed *a beneficio*, et quidem *partialiter* tantum, quatenus privat solum « *a suorum beneficiorum perceptione,* » i. e. a *fructuum perceptione* (pag. 412), quo nomine veniunt reditus temporales *ex beneficio*, non vero *aliunde* provenientes, ut sunt incerta stolae et distributiones quotidianae (p. 414 seq.). Unde intacta relinquit, quae pertinent : sive ad potestatem *ordinis*, ut puta sacrum facere, sacramenta administrare; sive ad potestatem *jurisdictionis*, tam internae quam externae, ut est absolvere, ad beneficia praesentare, eligere, capitulum convocare, etc. : sive ad beneficii *administrationem*, ut est bona beneficii locare, vendere, etc. **D) Subjectum** hujus suspensionis sunt : « *Capitula ecclesiarum, Conventus monasteriorum, aliique omnes,* » i. e. alii ab his ex quibus constat capitulum et monasterium. **E) Conditiones,** ad hanc suspensionem incurrendam requisitae, sunt **duae** sequentes : **1°**) Ut « *ad illarum* ecclesiarum *seu illorum* monasteriorum *regimen et administrationem* RECIPIANT *Episcopos aliosve Praelatos* ad honorem et obedientiam ipsis praestandum. **2°**) Ut eos receperint, « *antequam hi* EXHIBUERINT, i. e. ostenderint *Litteras Apostolicas de sua promotione,* » i. e. eorum promotionem vel con-

firmationem continentes. Itaque personae quae puniuntur non sunt *ipsi Episcopi vel Praelati*, secus ac antea; sed Capitula, Conventus, aliique omnes recipientes absque praedicta exhibitione. Et quoniam « *Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes* » tam ex Extr. « *Injunctae nobis* » quam ex Const. « *Apost. Sedis* » suspensionem ipso facto incurrunt a « SUORUM *beneficiorum perceptione*, » hinc Capitula et Conventus suspenduntur ab his tantum quae *in communi* possident, non vero ab his quoque quae possident *ut singuli;* alii vero omnes suspenduntur ab his quae singulariter possident. **F)** Quod **tempus** et **naturam** hujus suspensionis attinet, durat ipsa « *ad beneplacitum S. Sedis*, » i. e. quamdiu S. Sedi, quae non moritur, placuerit. Et quidem respectu *Capitulorum* et *Conventuum* haec suspensio non est proprie censura, sed potius *privatio* quaedam; et ideo eam incurrunt etiam *innocentes*, i. e. qui ex Capitulis et Monasteriis non receperint. Qui proinde privantur ab iis quae Capitula et Conventus *in communi* possident. Quoad *alios omnes* est *censura* quae, sicut reliquae censurae graves, nonnisi *graviter* nocentes attingit. Cum tamen sit « *ad beneplacitum S. Sedis*, » **utrum** sit *proprii nominis* censura, DD. *disputant* (p. 420). Multi **negant :** quia censura, ut *stricta significatione* talis sit, debet ferri per modum *medicinae*. Atqui medicina datur neque *in perpetuum*, neque *in definitum tempus*, nec *quamdiu videbitur medico*, sed quoad aegrotus convaluerit. Aliis verbis : de ratione censurae est, ut sit vinculum *dissolubile*, per absolutionem solvendum, statim atque peccator emendatus fuerit (pag. 374). Sed sive suspensio sit *veri nominis* censura, sive *non*, clericus eam violando irregularitatem incurrit juxta dicta (p. 421).

II.

« Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficii vel Patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. »

NOTAE. Placeat circa praesentem articulum sequentia adnotare. **1°)** Praesens suspensio hodie afficit solos episcopos « **ordinantes.** » Unde limitatio apposita fuit decreto GREG. IX (cap. *Si quis. 45, de Simon.*), quod, praeter *ordinantem*, etiam *praesentantem* ab exsecutione ordinum per triennium suspendebat, et *ordinatum* ab ordine sic suscepto, donec dispensationem a S. Sede obtinuerit. Et quamvis TRID. Synodus, de titulo S. Ordinationis plura disponens (in cap. 2, Sess. XXI *de reform.*), his verbis concluserit : « *antiquorum canonum poenas super his innovando;* » nihilominus poenae hujusmodi cessarunt, cum Const. « *Apost. Sedis* » renovans *Tridentinas* censuras, non renovavit

eas ab ipso TRIDENTINO *indirecte* inflictas. **2°**) Est suspensio « **per triennium a collatione ordinum** ; » adeoque non tantum *illius* qui collatus fuerit, sed *cujuscumque* ordinis ultra primam tonsuram, quae ordo non est. Hinc quamvis nequeant ordinantes conferre per triennium Ordines, possunt tamen Pontificalia exercere aliaque munia obire ad episcopatum pertinentia. **3°**) Hanc suspensionem incurrunt episcopi, si ordinaverint clericum saecularem, sive alienum, sive subditum, « **absque titulo** » sive beneficii, sive patrimonii, sive servitii ecclesiae, sive missionis in partibus infidelium (tom. III, pag. 469 seq.), dummodo tamen id fecerint « **cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.** » Quum enim, ex juris dispositione, ordinans teneatur clerico, quem sine titulo ad Sacros Ordines promovit, congrua alimenta subministrare, donec sufficiens ei contulerit beneficium ; ideo, si eum ordinet cum pacto ut a tali onere liberetur, rem spiritualem dare videtur pro temporali, et pactum admittit quod saltem simoniam redolet. Quapropter, si tale pactum non intercesserit, a suspensione immunis foret. **4°**) Cum sit suspensio « **per triennium,** » probabiliter non est censura *stricta significatione*, juxta modo dicta (p. 487) sed potius *poena* (pag. 420).

III.

« Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus. »

NOTAE. Itaque **duplici** in casu « *suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt Ordinantes.* » **A) Primus** casus obtinet, si ordinaverint « *alienum subditum... absque ejus episcopi litteris* « **dimissoralibus** » (tom. III, p. 457 seq.). Quae tamen suspensio cessat, si clericum ordinaverint collato prius ei beneficio, dummodo exstet in sua dioecesi, sit ex se sufficiens, et ordinandus in pacifica possessione ejus sit. Ceterum *litteras dimissoriales* concedere potest etiam *vicarius generalis*, si Episcopus forte absit longe diuque ; item, sede vacante, *vicarius capitularis*, sed post annum a die vacationis : imo eas concedere potest infra annum, si dandae sint *arctatis*, i. e. iis qui beneficii recepti vel recipiendi occasione necessitati fuerint (*loc. cit.* et tom. II, p. 315). Nihil porro interest, utrum *dimissoriae* dentur in scriptis vel oretenus, praeterquam ultramontanis in Italia degentibus.

B) Secundus casus est, si ordinaverint « *subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris* **testimonialibus.** » Cfr. dicta (tom. III, 459 seq.). Haec autem censura non contrahitur a conferentibus tonsuram. S. Off. (18 April. 1888).

IV.

« Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel Patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo. »

NOTAE. Ad intelligentiam hujus suspensionis recolenda sunt quae scripsimus de *titulo* pro Sacris Ordinibus suscipiendis requisito (tom. III, p. 468 seqq.). Itaque « *suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit* » **ordinans,** si Sacrum Ordinem contulerit **sine titulo :** sive **A)** « *clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur,* » excepto casu legitimi privilegii, quale habent plures Congregationes in quibus vota emittuntur simplicia, ut referunt De Angelis et Card. Soglia; sive **B)** « *religioso nondum professo.* » Per quae verba intelliguntur non solum Ordinum Regularium *novitii*, qui sunt in anno probationis: verum etiam illi qui, post decretum S. C. *Super Statu Regularium* a Pio IX confirmatum (25 Jan. 1848), absoluto tyrocinio *vota simplicia* emiserunt saltem ad triennium. Ut igitur ordinans a suspensione immunis sit, requiritur de jure communi, ut regularis *vota solemnia* emiserit, per quam solemnem professionem constituitur *vere religiosus.* Dixi : *de jure communi;* nam ex privilegio Greg. XIII, Bulla « *Ascendente Domino* » (25 Maii 1584) constat, eos omnes qui in Societate Jesu post biennium probationis tria vota substantialia, tametsi *simplicia* tantum, emiserint aut emittent in futurum, « vere et proprie *religiosos fuisse et esse ac fore, et ubique semper et ab omnibus censeri et nominari debere, non secus atque ipsos tum Societatis, tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum* professos. » Cfr. (tom. II, pag. 328).

V.

« Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes. »

NOTAE. Circa praesentem suspensionem juvat sequentia animadvertere. **A**) **Originem** trahit ex decretis S. C. C. editis sub URBANO VIII (21 Sept. 1624), de quibus jam egimus, ubi de religiosis professis sive *ejiciendis* sive jam *ejectis* (tom. II, p. 344 seq.). **B**) **Subjectum** hujus suspensionis sunt *Religiosi proprie dicti* (1), i. e. qui in ordine religioso, ut tali, ab Ecclesia approbato, *solemnem professionem* emiserint, vel post biennium vota dumtaxat simplicia, si agatur de *Patribus Soc. Jesu*. **C**) **Conditiones**, ad illam incurrendam requisitae, sunt **tres** sequentes: **1°**) Ut sint « **ejecti.** » Unde illam non incurrunt, qui *propria voluntate* discedunt, sive sint *fugitivi* seu *profugi*, i. e. si e monasterio discedunt animo ad tempus vagandi, sed iterum redeundi; sive sint *apostatae*, i. e. si, Christi fide retenta, discedunt animo nunquam redeundi. At *fugitivi* et *apostatae* ex decreto cit. URBANI VIII « *possunt ac debent ab episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, superioribus regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi, atque ipsi quoque superiores tenentur eos perquirere, ad religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur.* » Praeterea ex TRID. (Sess. XXV, cap. 9), *fugitivi* et *apostatae* nullo privilegio sui ordinis juvantur. **2°**) Ut sint « **extra religionem degentes.** » i. e. sive extra suam quam professi sunt, sive extra aliam in quam possunt canonice transire. Hinc ejecti non amplius suspensione tenentur, si reversi fuerint, vel aliam Religionem, licet non strictiorem, fuerint ingressi. **3°**) Ut **juste** fuerint ejecti: tum quia censura saltem gravis non infertur nisi in eum qui culpam gravem admisit (389): tum quia injuste ejectus, etsi *facto*, non tamen *jure* caret titulo suae ordinationis seu titulo paupertatis, cum jus retineat ad alimenta et ad omnia quae ex religiosa professione ei debita sunt, quippe quae non jure sed injuria ei denegentur. HINC si ejectio fuerit *injusta*, sive ex parte *judicis*, qui carebat jurisdictione, sive ex parte *subjecti*, cujus culpa vel evidenter nulla est vel non sufficienter probata, sive ex parte *juris*, cujus ordo substantialis omissus fuit, ejectus tenebitur quidem ratione scandali abstinere ab exercitio ordinum; si tamen non abstineret, peccaret quidem graviter contra charitatem; non vero violaret censuram, ac proinde irregularitatem non incurreret (pag. 378). Imo, nullo modo peccaret, si scandalum desit, ut si celebret coram iis quibus explorata est censurae nullitas, aut in loco ubi ignoratur ipsum ejectum fuisse, nec facile sciri potest. Interim, ita debet esse evidens ejectionis injustitia, ut nullum omnino dubium de illa supersit, quia in dubio possidet potestas judicis (p. 388). **D**) Praesens

(1) De poena suspensionis quae decreto S. C. EE. et RR. (4 Nov. 1892) « *Auctis admodum* » imposita fuit alumnis votorum *simplicium* in SS. Ordinibus constitutis agetur infra (pag. 495).

suspensio est « **ab exercitio ordinum** » prohibens scilicet omnem actum cujuscumque Ordinis etiam minoris solemnem (pag. 414). Praeterea est suspensio «**perpetua.** » Hinc, **utrum** sit censura *stricta significatione*, DD. *disputant*. Recole dicta (pag. 487 et 421). E) **Ratio canonica** hujus suspensionis juxta AVANZINI haec esse videtur : « *Qui a sua religione ejicitur, eo ipso caret titulo suae ordinationis, immo et ecclesia, cui sit adscriptus; et simul obligatione gravissima obstringitur faciendi satis votis solemnibus per religiosam professionem Deo nuncupatis; ideoque non aliud superest remedium, nisi ut ad suam redeat religionem, si forte in aliam non transeat; vel, nisi forte valeat obtinere a S. Sede saecularizationis indultum, qua substantia votorum incolumi manente, possit reperire benevolum episcopum qui eum recipere velit.* »

VI.

« Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio; eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus. »

NOTAE. In praesenti articulo plura determinantur, quae in veteribus canonibus, signanter ab ALEX. III (cap. I *de schism.*), INNOC. III (cap. II, *eod tit.*), GREG. IX (cap. II *de ord. ab episc.*) sancita quidem, sed non undequaque determinata et circumscripta fuerunt. Interim firma semper et inconcussa servata fuit, uti scripsimus (tom. III, p. 454 seq.), doctrina : « *Characterem Ordinis manere in* HAERETICIS *aliisque ab Ecclesia* SEPARATIS; *et ideo episcopos haereticos, schismaticos, excommunicatos, etc., etsi non* LICITE, VALIDE *tamen posse alios ordinare. Hinc, si Canones quandoque hujusmodi Ordinationes* IRRITAS *declararunt, id non fecerunt quoad* SUBSTANTIAM, POTESTATEM *et* CHARACTEREM, *quasi iterari deberent, modo juxta formam substantialem Ecclesiae factae fuissent; sed tantum quoad* HONOREM, LOCUM, PRIVILEGIA *et* FUNCTIONEM *ministerii, atque etiam quoad* GRATIAM SPIRITUS SANCTI, *si ordinati ab illis* SCIENTER *ordinati fuissent et eorum proinde peccatis communicassent. Quod si aliquando iis, qui ab haereticis aut schismaticis ordinati fuerant, cum reverterentur ad Ecclesiam catholicam, adhibita fuerit manuum impositio, id de* RECONCILIATORIA *impositione intelligendum est, qua restituerentur in communionem Ecclesiae et sui Ordinis dignitatem et locum, non vero de* CONSECRATORIA, *qua iterum ordinarentur.* » His praemissis, ad interpretationem hujus articuli deveniamus.

Itaque « **suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt,** » ita ut illum, qualiscumque demum sit, etiam episcopalis, licite exercere nequeant, **qui eumdem Ordinem** *valide* receperint ab episcopo : sive **A** *excommunicato nominatim denuntiato*, vel *suspenso nominatim denuntiato*, vel *interdicto* (a collatione ordinum) *nominatim denuntiato ;* sive **B**) *haeretico* vel *schismatico* utrimque *notorio*. UNDE *cessat* suspensio : **1°**) si *invalide* receperint, ut si ordinati sint a ministris *Anglicanis* (tom. III, pag. 455) : quia qui invalide Ordinem suscipit, eumdem recepisse dici nequit ; **2°**) si receperint ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto *haud nominatim denuntiatis*, vel ab haeretico vel schismatico *occulto*. — Et quidem praesens suspensio « *ab ordine suscepto* » i. e. ab exercitio ordinis sic suscepti, quae in praefatis casibus ab ordinato incurritur, potest esse vel *perpetua*, vel *non perpetua*, nimirum « *donec dispensetur* » i. e. quoad suus episcopus cum ipso dispensaverit. Dico : *suus episcopus ;* alias supervacanee addita fuissent haec verba, et aliunde ex S. LIG. (I, 190) potest inferior dispensare in lege superioris, si in lege generali permittatur dispensatio, v. g. si dicatur : *donec dispensetur*. Porro *perpetua* erit suspensio, si *mala fide*, i. e. « *si ordinem recipere* **praesumpserint** » a quopiam praefatorum, adeoque *temere* egerint. Unde excusari possunt, si fecerint ex ignorantia *crassa* vel *supina*. Erit vero *non perpetua* seu « *donec dispensetur* » ab episcopo, quando quis « **bona fide** *a quopiam eorum est ordinatus,* » i. e. absque praesumptione et ex ignorantia saltem censurae. In primo casu suspensio erit *censura*, si non *medicinalis* seu *proprii nominis* censura (cum non pendeat ejus relaxatio a poenitentia delinquentis), saltem *vindicativa* (p. 420). In secundo casu, suspensio non erit censura, cum haec, saltem si gravis sit, infligi nequeat nisi in eum qui graviter deliquit : sed erit mera *privatio* seu *inhabilitas*, quam etiam quis insons seu bona fide contrahere potest.

VII.

« Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint ; necnon Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium ; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo ur-

bana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt; Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum. »

NOTAE. Ad rectam hujus articuli intelligentiam accipiantur sequentia. — **A**) Praesens juris dispositio **duplicem** partem complectitur. In **prima** parte agitur de iis qui sunt « *clerici saeculares exteri,* » seu **non suburbicarii**, i. e. qui non pertinent ad Romanam dioecesim neque ad sex dioeceses suburbicarias. Deprompta est ex edicto Card. Vicar. jussu CLEM. VIII (24 Nov. 1603) et decreto S. C. C. (21 Sept. 1624) jussu URB. VIII. In **secunda** parte agitur de clericis saecularibus **suburbicariis**, i. e. de iis qui sunt « *clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis.* » Desumpta est ex ALEX. VIII, Const. « *Apostolica sollicitudo* » (7 Aug. 1662). — **B**) Ad **primam** partem quod attinet, quae in ea disponuntur, in hunc **finem** lata fuerunt, ut reprimerentur abusus illorum qui, obtentis litteris dimissorialibus a proprio Ordinario, post aliquod domicilium Romae contractum, ibique commorari volentes, neglectis praestitutis sacrae ordinationi legibus specialiter Romae servandis, alium extraneum quaerunt episcopum, a quo etiam facilius sacram ordinationem obtineant. Itaque ad evitandas fraudes, statutum fuit : ut « *clerici saeculares* **exteri,** » obtentis licet litteris dimissorialibus, si Romam venerint, et « *ultra quatuor menses* » in urbe commorati fuerint ibique adhuc commorari velint, nequeant extra Urbem Ordines suscipere « *absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto,* » praeterquam « *ab ipso suo Ordinario,* » i. e. a proprio sive originis, sive domicilii, sive beneficii, sive familiaritatis episcopo: immo nec a proprio Ordinario, « *posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint.* » Dixi : *commorati fuerint ibique adhuc commorari velint;* id enim eruitur ex ipsis verbis articuli : « *in urbe commorantes ordinati ab alio;* » quae verba significant commorationem perdurantem et in ejus perduratione ordinationem ab alio factam. Unde articulus non pertinet ad clericos saeculares exteros, qui completis Romae quatuor commorationis mensibus, obtentisque dimissoriis litteris a suo Ordinario ex urbe discedunt, *non amplius reversuri;* qui proinde ordinari possunt ab alio episcopo sine licentia Card. Urbis Vicarii, vel sine examine coram eodem peracto. — **C**) Ad **secundam** partem quod attinet, vetantur clerici **suburbicarii**, i. e. « *pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis,* » quominus ipsi « *si ordinentur extra suam dioecesim,* » i. e. si a suis episcopis non ordinentur, a quovis alio ordinari possint, *praeterquam a Card. Vicario,* nec nisi « *praemissis ad Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum,* «

qui vulgo LAZARISTAE vocantur. — **D**) Quod si praefatae juris dispositiones, ubi agitur de clericis *saecularibus* tam in *prima* quam in *secunda* parte articuli assignatis, omissae fuerint, tunc **ordinati** « *suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt,* » i. e. quamdiu S. Sedi, quae, non moritur, placuerit. « *Episcopi vero* **ordinantes** *ab usu Pontificalium per annum* » suspenduntur Porro *Pontificalia* intelliguntur, quae ad potestatem ordinis *episcopalis* pertinent, ut est confirmare, ordinare, calices consecrare; non vero, uti diximus (p.362) ex S. LIG., missam etiam pontificaliter celebrare, quippe hoc sit actum principaliter ordinis *presbyteralis* exercere. Quod si suspensus nihilominus *Pontificalia* exerceret, irregularitatem contraheret juxta dicta (pag. 421), licet agatur de supensione « *per annum,* » quae secundum plures proprii nominis censura non est (p.420).—**E**) Praesens articulus cum agat de *clericis saecularibus*, hinc **1°**) nullo modo comprehendit clericos **regulares**, sive Romae commorentur, sive in aliquo loco ex sex dioecesibus suburbicariis. Quare hi possunt mitti a propriis superioribus ad Ordinarium, quem malunt, modo habeant litteram testimonialem, quod episcopus illius dioecesis ordinationem non teneat. Neque **2°**) comprehendit eos, qui *prima tonsura* insigniti non sunt, etiamsi in Urbe ultra quatuor menses et per quodcumque aliud tempus permanserint.

APPENDIX. His septem suspensionibus plures aliae addendae sunt, praeter suspensiones Tridentinas. Hae posteriores indicantur *sub nn.* XIII-XXI sequenti ordine assignatae.

VIII.

Ex Const. « *Romanus Pontifex* » PII IX (28 Aug. 1873) *suspensionem ab exercitio Pontificalium*, et quidem R. P. *specialiter* reservatam ipso facto incurrunt Episcopi regimen dioecesis vacantis nominato ac praesentato concedentes ante exhibitionem litterarum Apostolicarum, vel illud, si nominati ac praesentati fuerint, suscipientes, vel praemissis cooperantes. Cfr. dicta (pag. 450).

IX.

Ex decreto « *Vigilanti studio* » S. C. C. (25 Maii 1895) clerici violatores decretorum ejusdem S. C. C. (9 Sept. 1874) circa *eleemosynas* missarum, si *sacerdotes* sint, ipso facto incurrunt *suspensionem* a divinis S. Sedi *simpliciter* reservatam; si vero non sunt sacerdotes ob idem delictum incurrunt suspensionem a susceptis

ordinibus et praeterea inhabilitatem ad superiores ordines recipiendos.

X.

Ex decreto « *Auctis admodum* » S. C. EE. et RR. (4 Nov. 1892) alumni *votorum simplicium*, perpetuorum vel temporalium, in SS. Ordinibus constituti, qui ob delicta sua **ejecti** vel **dimissi** fuerint, suspensione ligantur donec S. Sedes cum ipsis dispenset; quae dispensatio regulariter duas conditiones postulat, quae ex resp. ejusdem S. C. C. (20 Nov. 1895) *copulative* sumendae sunt, scilicet : ut invenerint episcopum qui sponte eos in clerum suum cooptare velit, et sibi de ecclesiastico patrimonio providerint. — Imo *sponte* dimissi vel elapso votorum tempore exeuntes, suspensionem ab ordine incurrunt, si e claustro egrediantur antequam episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint. Quae tamen suspensio ex cit. resp. S. C. C. (20 Nov. 1895) ipso facto cessat, quando duae istae conditiones impletae sunt, neque ad illam tollendam ad S. Sedem recurrendum est. Cfr. dicta (tom. II, pag. 345 seq.).

XI.

Ex Leon. XIII Litt. Apost. « *Orientalium dignitas* » (prid. kal. Dec. 1894) « Missionarius quilibet *latinus*, e clero saeculari vel regulari, qui orientalem quempiam *ad latinum ritum* consilio auxiliove inducat, praeter *Suspensionem a divinis* quam ipso facto incurrit ceterasque poenas per eamdem Constitutionem *Demandatam* [Bened. XIV, 24 Dec. 1743] inflictas, officio suo privetur et excludatur. » Ap. N. R. T. (XXVIII, 9).

XII.

Clerici alienae dioecesis degentes Romae et se non conformantes dispositionibus decreti S. C. C. (22 Dec. 1894) incurrunt ipso facto *Suspensionem a divinis* (1). Ap. N. R. T. (XXVII, 45).

(1) Ex hoc decreto clerici et sacerdotes saeculares aut regulares extra

XIII.

Ex Trid. (Sess. VI, *de ref.* c. 5,) Episcopus qui Pontificalia in alterius dioecesi exercet sine Ordinarii loci expressa licentia, incurrit suspensionem ab exercitio Pontificalium; sic ordinati ab exsecutione Ordinum sunt ipso jure suspensi.

XIV.

Ex Trid. (Sess. VII *de ref.* c. 10,) Qui arctati occasione beneficii recepti sive recipiendi non fuerint, et sede vacante, infra annum a die vacationis per litteras dimissorias a Capitulo acceptas majoribus Ordinibus initiati fuerint, ab exsecutione Ordinum, ad beneplacitum futuri Praelati, ipso jure suspensi sunt.

XV.

Ex Trid. (Sess. XIV *de ref.*., c. 2,) Suspensionem ab exercitio Pontificalium per annum incurrunt episcopi titulares qui alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque proprii Praelati expresso consensu, aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordines, vel primam tonsuram promoverint; taliter vero promotus ab exsecutione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso jure suspensus est.

XVI.

Ex Trid. (Sess. XXIII, *de ref.*, c. 8,) Qui ordinat alienum subditum sine litteris testimonialibus, i. e. quibus ordinandi probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur, suspensionem a collatione Ordinum per annum incurrit; ordinatus vero a susceptorum Ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, suspensus est.

claustra degentes nequibunt in posterum stabile domicilium in Urbe statuere absque expressa venia S. Pontificis per officium S. C. C. impetranda; nec beneficium obtinere sine assensu proprii Ordinarii; nec, si causa studiorum adsint, ibi manere, si causa cessaverit, etc.

XVII.

Ex Trid. (Sess. XXII, *de ref.* c. 10,) suspensionem ab officio et beneficio per annum incurrunt alii praeter capitulum succedentes in jurisdictione episcopi, qui litteras dimissorias concedunt clericis ut ab aliis ordinentur. Obtinentes autem has litteras, si majoribus ordinibus initiati fuerint, ad beneplacitum futuri Praelati, ipso jure sunt suspensi.

XVIII.

Ex Trid. (Sess. XXIV *de ref.* c. 1), ubi viget Trid., suspensionem incurrunt parochi aliique sacerdotes, sive saeculares sive regulares, qui alterius parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausi fuerint, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi qui matrimonio interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvantur.

XIX.

Ex Trid. (Sess. XXIII *de ref.* c. 14) ordinati *per saltum* suspensionem incurrunt ab exercitio Ordinis sic suscepti quoad proprio episcopo videbitur expedire. Quod si in eo ministraverint, fiunt irregulares. Quia tamen haec suspensio a C. Trid. non fuerit directe statuta, neque in Const. « *Apost. Sedis.* » a *Pio IX* inserta, graves DD. aestimant illam hodie amplius non vigere.

XX.

Ex Trid. (Sess. XXV *de ref.* c. 14) suspenduntur episcopi *concubinarii*, si admoniti a Syn. Prov. se non emendaverint.

XXI.

Ex Trid. (Sess. XXV *de Reg.* c. 17) Praefectae Monasteriorum si professionem suarum Novitiarum episcopum ante mensem certiorem non faciunt, incurrunt suspensionem ab officio, quamdiu

Episcopo videbitur. Sed haec non est proprie dicta suspensio, cum hujus *subjectum* sit *solus clericus* (pag. 412).

« Interdicta latae sententiae reservata. »

I.

« Interdictum Romano Pontifici **speciali modo** reservatam ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale futurum Concilium appellantia. »

NOTAE. De hoc interdicto juverit proferre sequentia. **1°**) Hoc interdictum depromptum est ex Bulla « *Coenae* » estque « *Romano Pontifici* **speciali modo** *reservatum.* » **2°**) Est interdictum *personale* **generale** (pag. 423), afficiens communitates, i. e. « *Universitates, Collegia, Capitula,* » aliasque personas morales, « *quocumque nomine nuncupentur.* » Unde illud habet speciale, quod etiam innocentes liget, qui nullam interdicto causam dederunt (pag. 387). **3°**) Cum sit *absolute* prolatum et sine determinatione ad aliquos speciales effectus, est interdictum *personale generale* **totale** (pag. 423), prohibens scilicet usum tam activum quam passivum divinorum officiorum, quorumdam sacramentorum et sepulturae ecclesiasticae, juxta explicata (pag. 425 seq.). **4°**) Itaque, ut ex dictis liquet, **differt** hoc interdictum ab *excommunicatione*, quae IV loco inter reservatas *speciali modo* R. Pontifici reperitur (pag. 436) : huic enim excommunicationi singulae personae subjiciuntur ; hoc vero interdictum fertur in communitates seu in personas morales. Nihilominus non ipsas Universitates tenet, Collegia et Capitula, alias inutile foret : sed singula eorum membra : tam clericos quam laicos, tam reos quam innocentes, tam praesentes quam absentes, immo quotquot post latam sententiam Universitati, Collegio, Capitulo aggregantur, quia vere evadunt ipsius communitatis membra (pag. 424). Non tamen tenet *episcopos*, qui interdicti non censentur, nisi de ipsis fiat expressa mentio ; neque *infantes* doli nondum capaces et *amentes*, quamdiu maneant infantes seu non suae mentis, nec *relinquentes domicilium*, nec ii qui *non sunt proprie cives*, v. g. hospites, studiosi extranei, etc., juxta dicta (p. 424). **5°**) Quoniam interdictum personale *generale* non est *proprii nominis* censura, sed quaedam **privatio**, hinc clerici, qui ei causam non dederunt, si illud violaverint per exercitium Ordinis, non incidunt in irregularitatem. **6°**) Qui praesens interdictum incurrunt,

non **simul** contrahunt excommunicationem, quae IV loco reperitur inter excommunicationes R. P. *speciali modo* reservatas (pag 436) : tum quia a jure alienum est « *ob idem crimen pluribus legibus reum fieri* » (p. 429): tum quia, ut modo diximus (pag. 498), praefata excommunicatio fertur in *singulas* personas, praesens vero interdictum in personas *morales*. Quod porro illos attinet, quorum auxilio, consilio vel favore Universitates, Collegia, Capitula appellaverint, hi quidem neque *hoc interdictum* subeunt, cum Const. « *Apost. Sedis* » eos reticeat; neque *praefatam excommunicationem*, quia non singulis haec praestant, sed communitati.

II.

« Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserint, competenter satisfecerint. »

NOTAE. Animadvertamus sequentia : 1°) **Originem** trahit hoc interdictum a Bonif. VIII (cap. 8 *de Privil.* in 6). 2°) Est interdictum **partiale** (pag. 423), nempe « *ab ingressu Ecclesiae.* » Quid autem illud sit, tradidimus (pag. 428). 3°) **Subjectum** hujus interdicti sunt soli *clerici*, sive saeculares sive regulares. Id eruitur ex verbis articuli : « *Celebrantes* vel *celebrari facientes*... aut *ad divina officia*, etc... *admittentes;* » hujusmodi enim actiones ad illos pertinent, qui in locis sacris potestatem habent. 4°) Clerici, hoc interdictum incurrentes, in **duplicem** classem distinguuntur. — In **prima** classe veniunt : clerici **violantes interdicta localia** ; quo nomine heic intelliguntur loca, quae sunt interdicta, non quidem a Papa, sed vel ab Ordinario, vel a delegato judice vel a jure. Hujusmodi violatores indicantur in Articulo per sequentia verba : « *Celebrantes vel celebrari facientes divina* IN LOCIS *ab Ordinario, vel delegato judice, vel a jure* INTERDICTIS. » Interim cum *loca a jure interdicta* post Const. Mart. V « *Ad evitanda* » non censeantur talia, nisi accedat declaratio; hinc qui violaret loca a jure quidem interdicta, sed non declarata talia ab auctoritate ecclesiastica, non evaderet interdictus « *ab ingressu Ecclesiae.* » — In **secunda** classe veniunt clerici **communicantes in divinis cum excommunicatis nominatim**, scilicet ab episcopis vel aliis ordinariis excommunicare valentibus. Hujusmodi clericos communicantes Articulus indicat per verba : « *aut nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesias-*

tica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam ADMITTENTES. » Et quoniam illud verbum « *admittentes* » eos indicat, ad quorum curam spectat prohibere vel admittere aliquem ad hujusmodi actum, i. e. eos, qui regimen habent ecclesiae vel coemeterii, ut sunt Parochi, Rectores, juxta dicta (pag 408); hinc alii clerici, qui more laicorum divinis una cum interdictis adsunt, vel sacramenta ab eis recipiunt, vel eorum funus comitantur, hoc interdicto non tenentur. 5°) **Conditionem**, ad praesens interdictum incurrendum necessariam, indicat verbum « *scienter* » quod debet intelligi de clericis tam qui *violant* localia interdicta, quam qui *communicant* in divinis cum excommunicatis nominatim. Ita enim postulat Articuli contextus et aliunde veteri juri congruit. Postquam enim de clericis praefatorum criminum reis sermonem fecerat BONIF. VIII (*loc. cit.*) immediate subjungit : « *Qui vero contra praesumpserint (praeter alias poenas a jure statutas) ingressum ecclesiae sibi noverint interdictum.* » Hinc utrobique excusat ignorantia non tantum *crassa* et *supina*, sed etiam *affectata;* non tamen excusat metus *levis*, cum verbum « *sponte,* » quod reperitur in excommunicatione XVII R. Pontifici reservata (pag. 471), heic fuerit omissum. Interim, praeter interdictum « *ab ingressu Ecclesiae,* » aliae poenae canonicae hodie eos non tenent, cum Const. « *Apost. Sedis* » de aliis poenis mentionem non fecerit. 6°) **Absolutio** hujus interdicti est reservata *Ordinario* qui locum interdixit vel nominatim excommunicavit eum qui admissus fuit ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam.

APPENDIX. Hisce duobus interdictis addendum est **Interdictum III** ab ingressu ecclesiae *speciali modo R. P. reservatum*, quod accessit Constitutioni « *Apost. Sedis* » per Bullam PII IX « *Romanus Pontifex* » (28 Aug. 1873). Illud interdictum supra (pag. 430) jam memoravimus, et ligat reos in eadem Bulla designatos, « *si episcopali charactere sint insigniti.* » Accedunt praeterea **duo interdicta** a **Conc. Trid.** inflicta, ita ut in toto sint quinque. — Itaque :

III.

Ex Bull. PII IX « *Romanus Pontifex* » (28 Aug. 1873) interdictum ab ingressu Ecclesiae *speciali modo* R. P. reservatum incurrunt rei in eadem Bulla designati, *si episcopali charactere sint insignati.*

IV.

Ex TRID. (Sess. VI de ref. c. 1) interdictum ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrunt tum *Metropolitanus* qui episcopos suffraga-

neos absentes, tum episcopus suffraganeus *antiquior* residens qui Metropolitanum illegitime absentem, infra tres menses per litteras seu nuntium R. Pontifici non denuntiant. Quae obligatio denuntiandi adest, cum Praelatus absens jam fuerit absque ulla justa et rationabili causa *per annum integrum* ejusque contumacia ultra annum perseveret.

V.

Ex Trid. (Sess. VII, *de ref.* c. 10) ecclesiastico interdicto subjacent capitula Ecclesiarum quae, sede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam aut litteras dimissorias concesserint alicui qui beneficii recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit.

« Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus. »

« Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus. »

NOTAE. Circa **electionem R. Pontificis** varia variis temporibus decreta prodierunt, quae reperiuntur in opere cui titulus : *Caeremoniale continens ritus electionis R. Pont.*, Greg. PP. XV *jussu editum.—Hodie* electio Pontificis fit a Cardinalibus juxta duas Constitutiones Greg. XV, unam « *Aeterni Patris Filius* » (15 Nov. 1621), alteram « *Decet Romanum Pontificem* » (12 Mart. 1622), quas confirmavit Urbanus VIII Const. « *Ad Romani Pontificis* » (28 Jan. 1625), et in quibus repetita sunt, quae constituta fuerant a Greg. X in Conc. Lugdunensi de disciplina Conclavis. Unde censurae quae adsunt pro electione R. Pontificis ex hisce Constitutionibus potissimum sunt repetendae.

Inter censuras latas « **pro interno regimine** » i. e. pro bono *spirituali* Ordinum, Institutorum, etc., qua talia sunt, promovendo, memoranda est excommunicatio adversus eos : **1°**) qui violant clausuram; **2°**) qui, dum sunt in religione, *temere* dimittunt habitum (tom. II, pag. 340); **3°**) qui retinent arma intra septa monasterii sine licentia Praelati; **4°**) qui non denuntiant suos subditos haereticos vel suspectos de haeresi; aut se intromittunt in causis ad S. Officium spectantibus, aut avertunt subditos ad idem tribunal recurrere volentes; **5°**) qui adeunt curias Principum, ut suis Praelatis vel Monasteriis damnum aliquod inferant; **6°**) subditi non denunciantes confratres vel superiores quos noverint esse de fide quomodolibet etiam leviter suspectos. — Dixi : pro bono *spirituali* : unde huc non pertinent censurae quae a RR. PP. latae sunt pro bonis rite administrandis, vel pro aliorum juribus tuendis, ut excommunicatio in eos qui concedunt laicis reditus Monasterii vel usurpant decimas ecclesiarum, etc. Et quoniam hic agitur de censuris latis a RR. PP., patet huc minime pertinere censuras latas a Regularium Superioribus aut Capitulis, sive provincialibus, sive generalibus, pro Ordinis proprii subditis.

« Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit : quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint,ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus. »

NOTAE. Itaque 1°) **Facultas** absolvendi « *a casibus et censuris quibuslibet R. P. reservatis* » non intelligitur concessa, *nisi de iis* **formalis, explicita ac individua mentio** *facta fuerit.* » Quod si *generaliter* data sit, non comprehendit casus R. P. *speciali modo* reservatos (pag. 447); et si pro his quoque *generaliter* concedatur, in ea non continetur absolutio personae falso denuntiantis sacerdotem de sollicitatione, nec complicis in peccato turpi. 2°) Quod absolutionem censurarum R.P. reservatarum attinet, **revocatae** *fuerunt facultates* sub quavis forma concessae quibusvis personis; at tantum revocatae fuerunt, *saltem generaliter loquendo*, quatenus **reales** sint, i. e. quatenus datae fuerint ratione officii vel dignitatis personae cui conceduntur, v. g. generatim episcopis; non vero quatenus sint **personales**, i. e. quatenus datae fuerint ad casus seu causas *particulares*, sive ad tempus, v. g. ad quinquennium, sive quandoque in perpetuum. Dixi : *saltem generatim loquendo;* nam ipsa Const. « *Apost. Sedis* » confirmat facultatem aliquam *realem*, illam nimirum quam Tridentinum omnibus episcopis concessit relative ad censuras papales *occultas*. Patet ex verbis Const. immediate sequentibus : « *Firmam tamen* » etc., quae statim explicabuntur. Porro Tridentina facultas sequentis tenoris est : « *Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari.* »

« Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV, c. VI de Reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus. »

NOTAE. Itaque per haec verba confirmatur Episcopis Tridentina concessio (cap. *Liceat*) circa casus papales *occultos*, ac simul exprimitur facultatis hujusmodi *extensio* ad quaslibet censuras papales hac ipsa Constitutione servatas « *iis tantum exceptis*, » quae R. Pontifici « *speciali modo* » sunt reservatae. Quare disputatio omnis de genuino dicti capitis (*Liceat*) sensu, utrum videlicet intelligendum sit de censuris dumtaxat ante ipsum Conc. Trid. R. Pontifici reservatis, vel etiam de posterioribus, sublata est per Pianam Constitutionem, cum in hac nedum censurae ante Tridentinum inflictae, sed quaedam etiam post

ipsum editae inter reservatas R.P.recenseantur.— Cum autem disputatum fuerit, utrum quoque firma remanerent privilegia *Praelatis Regularibus* antea concessa quoad absolutionem censurarum R. Pontifici *simpliciter* reservatarum : hinc S. POENIT. (5 Dec. 1873) ad **Dubium** : « *An Praelati Regulares post Const.* Apost. Sedis *iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, i. e. possint nec ne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Constitutione* simpliciter *reservatis ?* » **Respondit** : « *Negative, salvis illis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis;* » i. e. juxta dicta (p. 503) salvis illis facultatibus, quae vocantur *personales*, seu quae per rescripta particularia ipsis ad tempus personaliter fuerunt concessae, ut constat ex *Inst.* S. U. I. (15 Febr. 1870).

« Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere ; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere ; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem

hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris, Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto. »

Epilogus. — Haec breviter dicta sint de celebri Const. « *Apostolicae Sedis.* » Qui plura desideret, adeat ejusdem Const. *Commentatores.* Imprimis consulantur: « *Commentarii editi jussu Ill*[mi] *ac R*[mi] FR. AEGIDII MAURI, ORD. PRAED. *Episcopi Reatini quam vigilantissimi* [qui obiit Archiepiscopus Ferrariensis et S. R. E. Cardinalis]. *Auctore* JOSEPHO **d'Annibale,** *Cathedralis Basilicae Reatinae Canonico et in Semin. Reatino Theol. Moral. Professore,* » quem postea, plaudente orbe scientifico, LEO XIII summis honoribus cumulavit: mors vero lugentibus omnibus praematurè abstulit. — Consulantur etiam praeclari articuli : « *Commentaire sur la Constitution* APOSTOLICAE SEDIS *de Pie IX,* » quos edidit in « *Nouvelle Revue Théologique* » Doctissimus **P. Piatus,** Montanus, ORD. FR. MIN. CAPUC. — Item ejus « *Commentarius* » in Append. X ad *Theol. Mor.* VAN DER VELDEN.

APPENDIX II

SEU

ADNOTATIONES IN CONST. LEON. XIII

« *OFFICIORUM AC MUNERUM* »

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM (1).

Notiones praeviae.

Quo jure pravi libri prohibentur. Tractando de S. Congregatione Indicis, non immerito scripsi (2) : « Experientia, rerum omnium magistra, mirifice comprobatur, lectione pravorum librorum homines quam maxime corrumpi, et societatem sive civilem, sive domesticam, sive religiosam miserrime perturbari. » Quod argumentum late evolvit S. LIG. (3) necnon *Instructio past.* quam ediderunt Episcopi Belgii (5 Aug. 1843). Item BERGIER, *Dict. de Théol.*, SCAVINI, *Theol. mor.* — Unde quoque in praesenti Const. tradit LEO XIII : « *Opinionum errores mo-*

(1) De hoc argumento jam plures interpretes egregie tractaverunt. Quapropter nonnullas tantum easque brevissimas « **Adnotationes** » adferam. — (2) *Synopsis S. R. E. Card. Congr.* pag. 54, n. 47. — (3) *Diss. de justa prohibitione libr.*

rumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, PRAVIS LIBRIS *gigni ac disseminari solitam.* »

Hinc patet, lectionem usumque pravorum librorum, quales sunt qui aut haeresi inficiuntur, aut de haeretica pravitate suspiciuntur, aut certe moribus et pietati adversantur, *per se loquendo*, i. e. nisi talis lectio fiat a viris doctis et ex honesta intentione hos libros impugnandi, extirpandi, nedum jure **naturali** ac **divino** (MATH. XVIII, 7 et VII, 15) *propter perversionis periculum* esse prohibitam, ne prava doctrina animum invadat atque corrodat, sed etiam **jure positivo ecclesiastico** *propter praesumptionem periculi* merito proscribi, « *maxime hoc tempore,... effrenatis licentia ingeniis ac moribus,... cum primis est plena periculorum intemperantia scribendi disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt;* cum praeterea « *in tam grandi malo non modo connivent sed magnam licentiam dant leges publicae.* » Sunt verba LEON. XIII in Const. « *Officiorum ac munerum* » quam edidit VIII kal. Febr. (25 Jan.) 1897 : « *De prohibitione et censura librorum,* » quaeque novum circa hanc materiam jus constituit « *toto orbe* » seu « *ubique gentium* » et ab omnibus « *religiose* » ac « *inviolabiliter* » servandum (1), ut infra latius dicetur.

Brevis conspectus totius Constitutionis. — Haec Constitutio **duplicem** partem complectitur. **Prima** pars considerari potest velut *Introductio* seu « *praeambulum* (2) » **Secunda** pars complectitur « *Decreta generalia* » et habet duos « *titulos* » : quorum *primus* tractat « *de prohibitione librorum* » (3) et in X CAPITA dividitur, quae, sub distinctis numeris seu articulis continent 29 diversa decreta seu sanctiones. Titulus vero *secundus* agit de « *censura librorum* » (4) qui titulus in V CAPITA dividitur, quae, sub distinctis numeris seu articulis, 20 decreta continent.

Finis hujus Constitutionis.— **Duplex** est finis in hac Constitutione intentus : — 1°) finis *directus* et *principalis*, est ipse finis quem Ecclesia intendit in prohibitione et censura librorum, scilicet : « *ut integritas*

(1) Ad **dubium** : « *Utrum dicta Constitutio vim obligatoriam habeat etiam pro regionibus* BRITANNICI *idiomatis, quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur?* » S. C. IND. (23 Maii 1897) **respondit** : « *Affirmative.* » Ap. R. T. FRANÇ. (III, 392 seqq.). — (2) Qua voce etiam utitur P. PIATUS ap. N. R. T. (XXX, 44). — (3) i. e. de actu ecclesiasticae potestatis quo librorum noxiorum lectio et usus interdicitur. — (4) i. e. de judicio quod, praehabito examine, fertur de bonitate vel pravitate librorum in ordine ad concedendam vel denegandam licentiam eos imprimendi, legendi aut retinendi.

FIDEI MORUMQUE *christianorum* NE QUID DETRIMENTI *capiat.* » — 2°) Finis *minus* principalis est regulas TRID. SYNODI jussu editas « *incolumi earum natura, efficere aliquanto* MOLLIORES, (1) *ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave ardumque esse non possit.* » Ex quo tamen non sequitur in interpretandis hisce regulis a R. Pontifice emollitis etiam molliora atque beniguiora esse sectanda (2).

Quomodo, generatim loquendo, sit interpretanda. — Num in praesenti Constitutione non tantum dispositiones *poenales* quae occurrunt tit. II, c. V, aa. 47-48, sed etiam *prohibitiones* sint **stricte** interpretandae, inter DD. *disputatur*. Quam controversiam dirimere ad me non pertinet. Plures *affirmant*, opinantes praesentem legem esse *odiosam*, quia coarctat libertatem. Alii longe probabilius *negant*, innixi doctrinae SUAR. (3): quia praesentes *prohibitiones* omnino *favorabiles* sunt, tum quia *directe* et *principaliter* latae sunt in favorem fidei ac morum, scilicet : « *ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat* »: tum quia Pontifex « *maternum Ecclesiae studium imitatus* » harum prohibitionum rigorem mitigare voluit, « *ita plane ut eis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit.* » Unde non immerito concludunt : hanc Constitutionem, exceptis dispositionibus *poenalibus*, quae ex consensu omnium sunt *strictae* interpretationis, late esse interpretandam, et consequenter verba ordinarie in sensu quidem proprio, sed ampliori ac proinde rigidiori esse sumenda (4).

PARS I.

Seu Introductio.

In hac introductione seu praeambulo de pluribus, sed praesertim de *Indice* deque JURE NOVO a se introducto tractat Pontifex. Scilicet :

1°) Imprimis, **jus Ecclesiae** vindicans in proscribendis libris, velut principium ponit : quod inter « *officiorum ac munerum* » Ecclesiae, « *hoc caput atque haec summa est,* » nimirum : « *assidue vigilare, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat* »

(1) Inter alia hujus mitigationis exempla, si comparentur articuli 2, 3 et 4 hujus Const. cum Regulis II, V et VIII Indicis, apparet antiquum jus de libris haereticorum valde fuisse mitigatum. Cf. PIAT. ap N.R.T. (XXX, 58 seq.); VAN COILLIE, *Comment. in Const. Leon. XIII* (p. 40). Alia mitigationis exempta in decursu patebunt. — (2) Cfr. COLLAT. BRUG. (II, 549). — (3) *De legib.*, lib. V, c. 2, n. 6. — (4) Cfr. PLANCHARD. ap. R. T. F. (II, 159 seq.); — N. R. T. (XXX, 110 seq.); — COLL. BRUG. (II, 549 seq.); — VAN COILLIE (pag. 22 seqq.)

2°) Ostendit id **maxime** esse necessarium « **hoc tempore** » cum omnis fere salutaris Christi doctrina ab Ecclesia tuenda « *in quotidianum vocatur certamen atque discrimen,* » scilicet « *effrenatis licentia ingeniis ac moribus* » ac data imprimis « *plena periculorum intemperantia scribendi disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt.* » Ex quibus omnibus oritur « *pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies,* » eo magis timenda quod « *in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant leges publicae.* »

3°) Multorum praedecessorum suorum exemplis demonstat : « *Quanta cura diligentiaque in eo evigilaverint RR. PP., ne haereticorum scripta, malo publico, impune serperent;* » praesertim saec. XVI, « *gravi exorto turbine* » cumque « *pro illius aevi infelicitate crevisset praeter modum atque in omnes partes pervasisset perniciosorum librorum impura colluvies.* » Cui malo ingravescenti « *remedium opportune primus adhibuit Paulus IV,* » mediante **Indice** (1) i. e. « *elencho proposito scriptorum et librorum a quorum usu cavere fideles oporteret.* » Postea huic *Indici* « *augendo perpoliendoque* » Patres Syn. TRID. non tantum « *dedere operam, sed* **Regulas** *etiam conscripserunt in editione, lectione usuque librorum servandas, quibus Regulis* PIUS IV *apostolicae auctoritatis robur adjecit.* »

4°) Memorat dein Pontifex varias vices quas « *labentibus aetatibus* » subierunt **Regulae** *Indicis*, praesertim sub CLEM. VIII, ALEX. VII et BENED. XIV, qui « *plura decrevere quae ad eas explicandas atque accommodandas* TEMPORI *valuerunt.* Memorat quoque quid hac in re fecerit PIUS IX, necnon judicium virorum doctorum in Conc. Vaticano ac votum quod etiam plurimi e Patribus Vaticanis aliique episcopi complures eidem Concilio obtulerunt.

5°) Tandem Pontifex LEO XIII circa prohibitionem et censuram libro-

(1) Quid de fastis **Indicis** scripserit DEVOTI, tradidi in *Syn. S. R. E. Card.* pag. 55 seq. — Non est confundendus cum **S. C. Indicis**, quam in subsidium S. C. INQ. postea instituit S. PIUS V et subsequentes Pontifices GREG. XIII, SIXTUS V et CLEM. VIII confirmarunt variisque privilegiis et facultatibus auxerunt. Hujus Congr., ut scribit BENED. XIV Const. « *Sollicita* » (in proœ.), « *proprium ac fere unicum officium est, in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione vel permissione capienda est deliberatio.* » Ideo autem INDICIS nomen habet, quod libros, quos catholicis noxios existimat, in INDICEM seu catalogum librorum prohibitorum referat, ut ab eorum lectione tanquam a venenatis pascuis sese fideles abstineant.

rum **jus novum** constituit. Scilicet, habita ratione « *temporum,* » « *institutorum civilium* » et « *morum popularium* » cum jam « *nullus est scientiarum campus in quo non litterae licentius excurrant* » unde illa « *pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies* » et « *quidlibet legendi impunita copia,* » hisce incommodis medendum ratus, « **duo facienda** » duxit, « *ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat.* » Videlicet : — A) Jussit ut **Index** librorum improbatae lectionis diligentissime recognosceretur, et subinde, maturum cum fuerit, ita recognitus vulgaretur (1) — B) Edidit **Decreta generalia,** una cum hac Const. conjuncta, quibus catholici homines *toto orbe religiose parcant,* quaeque Pontifex *sola* vim legis habere voluit, *abrogatis* Regulis Trid. Synodi, aliisque omnibus RR. Pontificum *hac de re* (2) statutis, *una excepta* Bened. XIV Const. « *Sollicita ac provida,* » quae ceteroquin respicit tantum *methodum* in examinandis et proscribendis libris sequendam.

PARS II.

« Decreta generalia de prohibitione et censura librorum. »

Titulus I.

De prohibitione librorum.

Caput I.

« De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris. »

1. « Libri omnes quos ante annum MDC, aut SS. Pontifices aut CC. Oecumenica damnarunt et qui in novo Indice non recensentur, eodem

(1) Quousque *novus* **index** non fuerit vulgatus, cum *pristinus* nondum sit abrogatus ac nemini jus illum abrogandi competat, hic religiose ab omnibus, quidquid dicatur, erit observandus. Aliunde si in praesenti materia judicium privatis relinqueretur, jam *norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus* non suppeteret, quod tamen praestituere voluit Pontifex. Cfr. Van Coillie (pag. 18 seq.). — (2) Cum jus antiquum unice abrogatum sit «**hac de re,**» i.e. circa *prohibitionem* et *censuram* librorum, nequit abrogatio extendi ad alia quae ad hanc rem non pertinent. Unde, ubi agitur de scriptis quae referunt miracula, apparitiones aliaque supernaturalia ad causam servorum Dei pertinentia, videtur etiam nunc requiri expressas illas duas protestationes ab Urb. VIII sancitas. Cfr. Planchard ap. R. T. F. (II, 296 et 345); N. R. T. (XXX, 109); — Van Coillie, pag. 19.

modo damnati (1) habeantur, sicut olim damnati fuerunt : iis exceptis qui per haec Decreta generalia permittuntur » (2).

2. « Libri,... *quorumcumque* scriptorum (3) haeresim vel schisma propugnantes (4), aut ipsa religionis fundamenta (5) utcumque (6) evertentes. »

3. « *Acatholicorum* (7) libri, qui ex professo (8) de religione tractant (9), nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri (10). »

(1) « Inter librum a S. Sede *damnatum* et librum ab eadem *prohibitum* nullum datur discrimen : ita ut liber *damnatus* et liber *prohibitus* sit unum et idem ; et contraria doctrina novitas est et in Theologia et in Jure canonico valde damnosa : quippe quae adversatur communi loquendi modo tam TT. quam CC., Constitutionibus Pontificiis, formulae decretorum quam tenet S. Indicis Congregatio in libris proscribendis et rationi ipsi Theologicae, digna idcirco, ut a turpissima illa, versuta et nobis semper invisa jansenistarum schola nuper egressa fuerit ad incautos decipiendos. » Ita SCAVINI, *de fide* n. 291. — (2) Hujusmodi libri excepti indicantur nn. 3, 4, 5, 6, 8 et 10. — Praeterea censent communiter DD. cum LUG. (*de Fide*, disp. XXI, n. 29 scripta antiquorum haereticorum, ut TERTULL., Orig., PELAG., etc., per usum in scholis catholicis vigentem, probabiliter sub hac regula non comprehendi, tum quia errores jam sunt obsoleti, tum quia in his scriptis multa adsunt scitu necessaria et utilia.—(3) Adeoque etiam **catholicorum**.—(4) Rationes et argumenta congerendo ad haeresim vel schisma suadenda et constabilienda. — (5) Quatenus aut negant veritates primarias v. g. exsistentiam Dei, spiritualitatem animae vel facta ordinis supernaturalis necessaria ad evincendam exsistentiam divinae revelationis, aut vim et efficaciam argumentorum ex miraculis et prophetiis desumptorum elevant vel flocci faciunt. — (6) Sive seria impugnatione, sive etiam jocis et derisionibus. — (7) Qua voce proprie significantur omnes qui catholici non sunt, sive sint baptizati, sive non. — (8) Dictio **ex professo** juxta *Acta S. Sedis* (XXX, 346) « importat aliquid scribere circa datam materiam enucleate et cum argumentorum serie atque delectu, ut lectores de re persuadeantur ; aliis verbis *docere lectores id quod intenditur*, ut publici plus minus professores faciunt atque auctores qui de aliqua materia libros conficiunt, quorum maxime saltem pars de illa agit. » — (9) Disserendo sive de S. Script., sive de theol. dogm., aut morali, sive de SS. Canonibus, sive de historia eccles., sive etiam de philosophia qua non raro abutuntur acatholici ad impugnanda dogmata. PLANCHARD. Ap. R.T.F. (IV, 223 seq.). — (10) Ita *Systema theologicum* LEIBNIZII ; — *Tractatus de religione* HUGONIS GROTII, etc.

4. « E contra libri eorumdem auctorum qui ex professo de religione non tractant, sed *obiter* tantum fidei veritates attingunt, jure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint. »

Caput II.

« *De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.* »

5. « Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae... ab *acatholicis* publicatae » non nisi cum limitatione « iis qui studiis theologicis dant operam (1) » et sub conditione opportuna, scilicet « dummodo tamen non impugnentur in prolegominis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur. »

6. « Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus permittuntur aliae versiones SS. Bibliorum » in lingua « NON VULGARI ab acatholicis editae. »

Caput III.

« *De versionibus vernaculis in lingua vulgari.* »

7. Severiori legi subjiciuntur propter periculum et incommodum, « versiones omnes in *lingua vernacula* etiam a viris catholicis confectae. » Requiritur enim quod « fuerint ab Apost. Sede approbatae, aut editae

(1) Ad **dubium** : « *Utrum haec verba art. 5,* qui studiis theologicis aut biblicis dant operam, *intelligenda* tantum *sint de doctis viris iis scientiis deditis, aut extendi valeant ad universos S. Theologiae tyrones?* » **Respondit** S. C. IND. (23 Mai 1898) : « *Negative* ad 1^am^ partem; *Affirmative* ad 2^am^. » Ap. N. R. T. (XXX, 510). — Paulo post, ad **dubia** : « I. *Utrum sub nomine eorum* qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, *veniant etiam alumni, qui theologiae et linguae hebraicae ac graecae in scholis Seminariorum vacant? Et quatenus affirmative;* II. *Utrum possit episcopus permittere ut in scholis alumni, sub ductu professoris, textus hebraicos et graecos ab acatholicis editos, legant ac vertant, dummodo* non impugnentur prolegominis aut adnotationibus *talium librorum* catholicae fidei dogmata? » **Respondit** S. C. IND. (21 Junii 1898) : « Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Negative*; nisi specialem a S. Sede facultatem obtinuerit. » Ap. N. R. T. (ibid). Quae ultima dispositio spectare videtur illos alumnos qui non vacant studiis theologicis vel publicis in scholis *Seminariorum,* sed qui in aliis scholis studio litterarum incumbunt. Cfr. *Collat. Brug.* (III,490 et 588); — N.R.T. (XXX, 509). — Aliam solutionem hujus dispositionis proponit PLANCHARD, ap.

sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus praescriptis, scilicet : « *desumptis ex SS. Eccles. Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus* (1). »

8. « Interdicuntur versiones omnes SS. Bibliorum quavis vulgari lingua ab *acatholicis*... confectae, atque illae praesertim (2) quae per Societates Biblicas... divulgantur » salva exceptione sub n. 5 posita.

Caput IV.

« *De libris obscenis.* »

9. « Libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent.... omnino prohibentur (3). »

R.T.F. (IV, 10) : « *Autre chose, en effet, est de consulter les textes édités par des acatholiques et de s'en servir en passant ; autre chose d'en faire le livre classique d'un séminaire.* » Neque hanc solutionem adferre praetermisit Coillie (pag.42) ubi scribit : «Nisi forsan dicatur S. Sedem hoc responso praecavere voluisse ne in scholis catholicorum desereretur editio latina *vulgata*, quae, juxta Conc. Trid. praescriptum *in publicis lectionibus, disputationibus... et expositionibus pro authentica* haberi debet.» — (1) Quamvis hodie jam nulla it obligatio petendi **consilium** parochi vel confessarii, sicut antea Reg. IV Indicis praescribebatur, consulendum tamen erit fidelibus, ut praevie consilium sacerdotis exquirant, ne temere periculo sese exponant, neve legant versiones huic art. 7 haud conformes vel ipsas versiones haereticas quae non raro circumferuntur. — Quaerunt hic DD. : num versiones **paraphrasticae** a scriptoribus catholicis exaratae assimilandae sint versionibus cum notis? Plerique *affirmant*. Sunt tamen qui ad minus *dubitant*. Quidquid sit, forma *notarum* videtur praeferenda, ne lector paraphrasim confundat cum ipso textu S. Scripturae, neve *humanum* verbum sumat pro *divino*. — Tandem notandum hic venit, editiones non ideo videri prohibitas, si adnotationes aliquae non fuerint desumptae ex SS. Patribus vel ex catholicis viris, dummodo editae fuerint sub vigilantia Episcopi atque respiciant notiones geographicas, archeologicas aliasque ad scientias naturales pertinentes. — (2) « Cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.» (3) Tales sunt libri ad litteras *pornographicas*, ut vocant, pertinentes, quales sunt plerique libri Zola. — Quod libros **Romanenses** attinet, ad profanos amores incendentes, quamvis *per se* et *universe* praesenti lege non prohibeantur, (S. Lig. Op. cit. cap. I. n. 9), quia tamen nostra aetate multa hujusmodi opera sint *ex professo obscena*, ideo jure etiam ecclesiastico proscripta

10. « Libri auctorum.... quos *classicos* (1) vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, » cum limitatione » iis tantum permittuntur, quos *officii* aut *magisterii* ratio excusat (2); nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati. »

Caput V.

« *De quibusdam specialis argumenti libris.* »

11. « Damnantur libri » triplicis quidem generis : — A) « In quibus Deo aut B.V.M., vel Sanctis aut Catholicae Ecclesiae ejusque Cultui (3), vel Sacramentis aut Apostolicae Sedi *detrahitur* (4). » — B) « In quibus inspirationis S. Scripturae conceptus *pervertitur* (5) aut ejus extensio nimis *coarctatur* (6). » — C) « Qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum *probris* afficiunt (7). »

dici debent.— Libri tandem **medicas** aut **chirurgicas** disciplinas tradentes, etsi **obscena** exhibeant, non cadunt sub hac regula, nisi sub praetextu scientifico ad excitandum appetitum venereum appareant conscripti.—(**1**) Qui scilicet « **propter sermonis elegantiam et proprietatem** » in singulis linguis,sive antiquis,sive modernis,a litterarum magistris vel scriptoribus tanquam exempla adhibentur. — (**2**) Sic ratione **officii,** juxta *Acta S.Sedis* (XXX,204) excusantur illi qui pravos libros denuntiare tenentur (Inf.n.27). — Item scriptores et critici qui ex professo litterarum opera conscribunt vel dijudicant. Ratione vero **magisterii** excusantur professores qui *litteras* docent, non vero mere rudimenta linguarum tradunt in scholis primariis. Interea videat unusquisque num forte **lege naturali,** propter propriam suam fragilitatem ac peccandi periculum, teneatur ab hujusmodi lectionibus abstinere. — (**3**) Qua voce intelligitur complexus SS. Rituum qui ad cultum divinum adhibentur. — (**4**) Hujusmodi **detractionum** quibus Deo rebusque Sacris memoratis contumelia infertur varia exempla referunt *Acta S. Sedis* (XXX, 206 seqq.) — Cum autem dicitur : **in quibus detrahitur,** non autem *qui detrahunt,* sufficit, ut de facto, in quocumque libri loco, graviter Deo, etc. detrahatur. — (**5**) Et ita v. g. ex Leon. XIII, Const. « *Providentissimus Deus* » (18 Nov. 1893) ap. N.R.T. (XXV, 565 seqq.) : « *Qui in locis authenticis Librorum SS. quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertunt, aut Deum ipsum erroris faciunt auctorem.* » De hac materia egregie tractat Chauvin : *L'inspiration des divines Ecritures,* Paris 1896; item in op. *Leçons d'introd. génér. aux div. Ecrit.* Paris 1898. — (**6**) Scilicet inspirationem reducendo v. g. ad sola loca quae de religione vel moribus agunt, aut ad certas tantum partes Bibliae, etc. — (**7**) Aliis

12. « Nefas est libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia divinatio, magia, evocatio spirituum aliaeque hujus generis superstitiones DOCENTUR vel COMMENDANTUR (1). »

13. « Libri aut scripta » duplicis generis « proscribuntur. » Scilicet: — A) « Quae narrant » facta ordinis supernaturalis nondum approbata, nempe : « *novas* (2) apparitiones, revelationes, prophetias, miracula: » — B) « vel quae *novas* inducunt devotiones (3), etiam sub praetextu quod sint privatae, » cum 'imitatione: « si publicentur absque legitima superiorum Ecclesiae licentia (4). »

verbis : qui *studiose, consulto* seu *de industria* eccles. hier., sive ordinis, sive jurisdictionis, aut ipsum statum clericalem vel religiosum contumeliis afficiunt. — (1) Unde non sufficit ut simpliciter narrentur, sed insuper requiritur, ut **doceantur**, vel **commendentur.** — (2) Unde excluduntur a regula *apparitiones B. M. V. Immaculatae*, revelationes *S. Birgittae, B. Marguaritae*, aliae, quae fuerunt ab Ecclesia **approbatae.** — (3) Sic inter alias novitates **reprobatae** sunt: cultus promovendus *De SS. Sanguine Mariae.* S. OFF. (13 Jan. 1875); titulus *Amici SS. Cordis Jesu* Sancto Joseph tributus. S. OFF. (4 Maii 1892); titulus tributus B. M.V. *Nostrae Dominae SS. Cordis* eo sensu quod imperium super filium suum exerceat. S. OFF. (23 Feb. 1875); cultus specialis et distinctus *Vultui Redemptoris* tribuendus, eo modo quo a Presbyteris *a Vultu Sancto* dictis speciatim proponebatur. S. OFF. (4 Mai 1892); titulus *SS. Cordis poenitentis.* S. OFF. (9 Jul. 1893); oratio *pro imperio Christi et Mariae Imm. super omnes creaturas.* S. OFF (19 Jun. 1895); *Le culte privé des Mains divines de N. S.*, S.C.IND. (17 April. 1896); *Cultus SS. Cordis in Eucharistia.* S. OFF. (3 Jun. 1891). — (4) Hinc 1°) Si scripta narrent facta mirabilia de personis **viventibus**, ante publicationem adeunda est S. Sedes cui de lege ordinaria tales inspirationes, revelationes, etc., examinandae reservantur: — 2°) si narrant hujusmodi charismata de personis quae in odore sanctitatis **defunctae** sunt, praeter approbationem Ordinarii, requiritur etiam hodie, juxta communiorem sententiam, duplex protestatio principio et fini operis imprimenda, ab URBANO VIII Const. « *Sanctissimus* » sancita, quam refert. BENED. XIV *de Serv. Dei beat.* (lib. II, c. XI, n. 8.) — Tandem 3°) pro reliquis scriptis, superior legitimus est episcopus loci ubi publicantur, nisi agatur de **documentis** indicatis infra sub art. 32.

De cetero, cum hic agatur de libris aut scriptis « **quae narrant,** » hinc non videntur prohiberi nisi scripta quorum argumentum principale sit narrare hujusmodi mirabilia, ut adeo non comprehendantur libri in quibus auctor obiter tantum et velut per transennam de his verbum habet, praesertim si de indole harum rerum nihil pronuntiet; — multo

14. « Prohibentur pariter libri » hac triplici ratione nocivi, scilicet : —A) « Qui duellum (1), suicidium (2) vel divortium (3) licita statuunt. » —B) « Qui de sectis massonicis (4) vel aliis ejusdem generis (5) agunt easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, — et » C) « Qui errores ab Apostolica Sede (6) proscriptos tuentur. »

Caput VI.

« *De sacris Imaginibus et Indulgentiis.* »

15. De SS. Imaginibus duo statuuntur : — A) « Imagines quomodocumque (7) impressae, D. N. J. C., B. M. V., Angelorum atque Sanctorum vel aliorum servorum Dei, AB ECCLESIAE SENSU ET DECRETIS (8) DIFFORMES, *omnino* (9) *vetantur.* » — B) « NOVAE (10) *vero* » etsi conformes decretis Ecclesiae, « sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur (11). »

16. « Universis interdicitur indulgentias *apocryphas* et a S. Sede Apost. proscriptas vel *revocatas* quomodocumque *divulgare* (12). Quae divulgatae jam fuerint, de manibus fidelium auferantur. »

minus ephemerides et diaria catholica in quibus hujusmodi facta, sanationes, etc., quandoque referuntur.— (**1**) (tom. I, 460 seqq. et IV, 453). — (**2**) (tom. I, 450 seqq.). — (**3**) (tom. IV, 95 seqq.). — (**4**) (tom. IV, 454). — (**5**) Ut est secta *Socialistarum*, *Nihilistarum*, *Communistarum*, etc. (tom. IV, 454). — (**6**) Sive immediate a Rom. Pontifice, sive mediantibus SS. Congregationibus, si accedat R. P. approbatio. Hinc ad **dubium** : « *An opera, quae permulta sunt, erroribus infecta, a* Syllabo *damnatis, verbis art. 14 prohibita censeantur, quatenus errores ab Apostolica Sede proscriptos continentia?* » **respondit** S. C. IND. (23 Maii 1898) : « *Affirmative, si hos errores tueantur seu propugnent.* » Ap. R. T. F. (III, 392). — (**7**) Sive per impressionem proprie dictam, sive per incisionem (gravure), sive per photographiam, lithographiam, phototypiam aliasve artes inventas. — Non memorantur imagines *pictae* aut *sculptae*, quae non ita facile diffunduntur quam *impressae*; nec proinde censentur hoc loco comprehendi; idemque videtur dicendum de *numismatibus*, quae potius *cuduntur* quam *imprimuntur*. — (**8**) Huc spectant : « Decret. *de invoc.... et SS. Imag.* Conc. TRID. (Sess. XXV); Const. RR. PP. URBANI VIII « *Sanctissimus* » (13 Mart. 1625); « *Coelestis Hierusalem* » (5 Jul. 1634); « *Sacrosancta* » (15 Mart. 1642); — BENED. XIV *De Beat. et Can.* (lib. IV); Const. « *Sollicitudini* » (1 Oct. 1745). — (**9**) Seu **absolute**, adeoque pro cultu tam *privato* quam *publico*. — (**10**) Quae scilicet nunc **primum** typis eduntur. — (**11**) Quodsi factum fuerit, peccavit quidem editor, sed non ideo censentur prohibitae, cum id non dicatur, sicut dicitur pro aliquibus libris (n. 7, 13, 20). — (**12**) Huc spectant quae scrip-

17. « Indulgentiarum libri omnes, summarii, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque *competentis auctoritatis licentia* (1). »

CAPUT VII.

« *De libris liturgicis et precatoriis.* »

18. « In authenticis editionibus Missalis, Breviarii,.... aliorumque librorum liturgicorum... nemo *quidquam* (2) immutare (3) praesumat : si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur (4). »

19. « Litaniae » praeter illas « jam a S. Sede approbatas (5), non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii (6). »

20. « Libros aut libellos precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae (7),... quamvis ad fovendam.... pietatem conducere

simus supra (pag. 250) ubi attulimus decretum generale S. C. INDUL. (5 Maii 1898); item (pag. 258 seq.). Cfr. *Synopsis S R. E. Card. Congr.*, pag. 74-77, et pag. 161 ubi in extenso retulimus Decretum generale 14 April. 1856. — (**1**) De his omnibus jam copiose egimus supra (pag. 258 seq.), ibique vidimus ex responso S. C. INDUL. (7 Aug 1897) quid per verba : **competens auctoritas** hoc loco sit intelligendum. — (**2**) Quamvis minoris momenti videatur. — (**3**) Quocumque modo mutatio fiat, sive additione, sive suppressione, etc.— (**4**) **Mitigatio** in hoc introducta fuit, quod hodie horum librorum usus fidelibus tunc tantum interdicitur, quando aliqua mutatio adducta est, dum olim iidem libri interdicebantur quoties, etiam immutati, sine debita licentia edebantur. — Interim libri liturgici, quantum ad eorum **impressionem** pertinet, hodie subjecti manent eisdem regulis atque specialibus solemnitatibus quibus vi Constitutionum RR. Pontificum jam antea subjiciebantur. — (**5**) Litaniis approbatis a S. Sede nunc adjungendae sunt « **Litaniae de Sacro Corde Jesu** » quas *Leo XIII* prius per decret. S.R.C. (27 Jun. 1898) approbavit illasque publice recitari vel decantari in Ecclesiis et Oratoriis dioecesium Massilien. et Augustodunen. atque Ordinis Visitationis B. M. V. benigne indulsit; deinde, indulgentiis 300 dierum auctas, « *ubique terrarum* » tum privatim tum publice recitari et decantari in posterum concessit per decr. S. R. C. (2 April. 1899). — (**6**) Harum Litaniarum, quamvis ab Ordinario approbatarum, limitatus est **usus**, juxta dicta (tom. I, p. 349). — (**7**) Ut patet tam ex ipsa inscriptione Cap. VI « *De libris... precatoriis* » quam ex ipso tenore hujus articuli : « *ad fovendam... pietatem* » hic agitur tantum de scriptis quorum scopus immediate est **practicus**, non vero *speculativus* : « Sans quoi,

videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet; secus prohibiti habeantur (1). »

CAPUT VIII.

« *De diariis, foliis et libellis periodicis.* »

21. « Diaria, folia et libelli periodici (2), qui religionem (3) aut bonos mores (4) data opera (5) impetunt, non solum naturali sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur (6). »

« Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de hujusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere (7). »

22. « Nemo e catholicis, praesertime viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis vel foliis vel libellis periodicis quidquam, nisi suadente justa et rationabili causa, publicet (8). »

ait PLANCHARD *l. c.* (II, 424), la règle ferait double emploi avec celle qui soumet à la censure ecclésiastique tous les livres traitant des sciences ecclésiastiques (n. 41). » Itaque hujusmodi libri sunt, praeter precatorios proprie dictos, catechismi, libri meditationis, lectiones spirituales, et universim qui dici solent : *livres et opuscules de piété.* — (**1**) Qui carent approbatione, quamvis ad pietatem conducere viderentur, nihilominus essent prohibiti. Non tamen censendi sunt hujusmodi libri prohibiti qui sine licentia prodierint ante editam hanc Constitutionem, nisi tamen juxta antiqui juris statuta simili prohibitioni obnoxii fuerint. Et hinc ad **dubium** : « *An prohibitum sit in libris nuncupatis* devotionis *textui latino Ordinis Missae, ac praesertim Canonis, addere versionem in lingua vulgari?* » S. R. C. (4 Aug. 1877) **respondit** : « *Libros eorumque versiones in lingua vernacala de quibus agitur a canonicis praescriptionibus et apostolicis decretis, Episcoporum auctoritati omnino reservari ideoque licitum non esse fidelibus horum uti editionibus, nisi istae expressam praeferant Episcoporum approbationem.* » — (**2**) Hoc nomine intelliguntur publicationes periodicae **qualescumque**, non tantum parvae molis (*petites publications périodiques, suppléments, petites revues*, sed etiam, juxta probabiliorem sententiam, majoris molis (*Revues*). — (**3**) Sive naturalem, sive revelatam. Unde satis est, si **alterutram** vexent. *Acta S. Sedis* (XXX, 345). — (**4**) Quibus verbis intelligimus **quascumque virtutes** *ordinis* **moralis**, sive naturalis, sive supernaturalis. — (**5**) Id est : « *Studiose, de industria, consulto.* » Ita *Act. S. Sedis* (XXX, 346); non autem per accidens, per transennam; nec proinde sufficit quod in uno vel altero numero quid impium aut inhonestum reperiatur. — (**6**) Et quoniam prohibitio non afficit particulares numeros, sed seriam universam seu ipsam publicationem, hinc etiam numeri qui nihil pernitiosum continent, prohibiti sunt censendi. — (**7**) Cfr. infra n. 29. — (**8**) Ut

Caput IX.

« *De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.* «

23. Licentia generalis legendi retinendique *quoscumque* libros prohibitos conceditur « a Sede Apostolica aut ab illis quibus vices suas delegavit, » quales sunt:

24. « Sacra Indicis Congregatio, Suprema S. Officii Congregatio, S. Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subjectis. — Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam S. Palatii Apostolici Magistro. »

25. « Episcopi aliique Praelati jurisdictione quasi episcopali pollentes (1) *pro singularibus libris* atque *in casibus tantum urgentibus*, licentiam concedere valeant (2). — Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu (3) et ex justa et rationabili causa concedant. »

26. « Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptos, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi *libros a quibuscumque damnatos* (4). — Meminerint insuper qui licen-

si data occasione id fieret in religionis decus et calumniae confusionem. —(**1**) Quales sunt Nuntii, Vicarii Apostolici, Abbates nullius, Superiores Regularium exemptorum tum *generales*, tum *provinciales*, tum etiam, juxta probabiliorem et communiorem sententiam, *locales*, Vicarii Capitulares et Vicarii Generales.— (**2**) Haec est licentia quam **specialem** dicimus, quae duobus continetur: Ex una enim parte, non datur pro omnibus, sed pro libris determinatis; ex altera autem parte, casus urgens supponitur, ut necessitas librum pravum illico confutandi. — (**3**) Respectu habito, tum ad **personas**, tum ad **libros.** — (**4**) Jam antea ad **dubium** : « *Utrum qui habent generalem facultatem legendi libros in Indice librorum prohibitorum contentos, legere licite possunt etiam libros ab Ordinario proscriptos, sine speciali ejusdem Ordinarii licentia?* « **responderat** S. C. Ind. (6 Dec. 1895) : « *Negative.* » Ap. N. R. T. (XXVIII, 192). — Et haec quidem, juxta *Act. S. Sedis* (XXX, 405 seqq.) valent tam de *Regularibus* quam de *saecularibus* in dioecesi degentibus, ita ut libri sic prohibiti a nemine eorum legi possint sine expressa Apostolica facultate aut sine Episcoporum proscribentium venia. Sed haec doctrina, quod *Regulares* attinet, sat *dubia* videtur

tiam legendi libros prohibitos obtinuerint, gravi se praecepto teneri hujusmodi libros ita *custodire*, ut ad aliorum manus non perveniant (1). »

CAPUT X.

« *De denunciatione pravorum librorum.* »

27. « Perniciosos libros Episcopis aut Apostolicae Sedi denunciare... *speciali titulo* pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios atque Rectores Universitatum. »

28. « Non solum libri *titulus* indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, *causae* exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina *secreta* servare. »

29. « Ordinarii, etiam tanquam Delegati Sedes Apost. (2) libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant. — Ad Apostolicum judicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt (3), vel in quibus, ad salutarem effectum consequendum (4), supremae auctoritatis sententia requiri videatur. »

Titulus II.

De censura librorum.

CAPUT I.

« *De Praelatis librorum censurae praepositis.* »

30. « Penes quos potestas sit SS. Bibliorum editiones et versiones approbare vel permittere ex iis liquet quae supra (n. 7) statuta sunt (5). »

eique non pauci contradicunt cum P. PIAT. *Prael. jur. reg.* (II, 220 seqq.). — *Peregrini* vero non videntur prohibitionibus specialibus Ordinarii ligari. — (**1**) Sive *in vita* sua, sive etiam *post mortem*. — (**2**) Hoc articulo innovatur facultas data episcopis a PIO IX per Litt. « *Inter multiplices* » (24 Aug. 1864), mediante S. C. IND. promulgatas, « *ut in hac re, etiam tanquam Apost. Sedis Delegati procedant;* » ut adeo Episcopi in proscriptione librorum procedere valeant, sive auctoritate sua ordinaria, sive etiam tanquam S. Sedis delegati. Quae clausula ideo addita fuit : « *ne... quis praetextu defectus jurisdictionis, aut alio quaesito colore, Ordinariorum sententias et praescriptiones ausu temerario spernere vel pro non latis habere praesumat.* » Ita in Litt. S. C. IND. (24 Aug. 1864). — (**3**) Quatenus tractant vel de rebus *difficilioribus*, vel multum *controversis*. — (**4**) Ut si agatur de libris eorum qui auctoritatem episcopi sint parvifacturi. — (**5**) Hinc versiones S. Scrip-

31. « Libros ab Apost. Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere (1). Quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius S. Indicis Congr. licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis. »

32. « Quae ad causas Beatif. et Canoniz. Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congr. SS. Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt (2). »

33. « Idem dicendum de *collectionibus* (3) Decretorum singularum RR. Congregationum:... nimirum... edi nequeant nisi obtenta primo licentia et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscujusque Congregationis praescriptis. »

34. « Vicarii et Missionarii Apostolica decreta S. Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent (4). »

turae **in lingua vulgari**,si nullis sint adnotationibus munitae,quamvis a viris catholicis confectae, a solo R. Pontifice permitti possunt Si vero editae fuerint sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus praescriptis, sufficit approbatio Episcoporum. — (**1**) Quae prohibitio intelligenda videtur, sive agatur de libris *speciali* decreto a S. Sede proscriptis, sive de libris qui *generalibus* hisce decretis prohibentur. Ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.— Quod si liber aliquis prohibeatur sub clausula : « *donec corrigatur*, » tunc nec legi, nec retineri, nec denuo edi potest, donec fuerit expurgatus. Huc spectat propositio damnata sub n. 45 ab ALEX. VII (18 Mart. 1666) : » *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.* » Haec emendatio committi solet auctori, ea lege, ut ad S. Congr. transmittatur et ab ea approbetur. De ea clausula tractat BENED. XIV Const. « *Sollicita* » § 9. Cfr. *Synopsis S. R. E. Card.Congr.* — Ex declaratione autem S. C. I. (21 Jun. 1880) a LEON. XIII approbata, formula « *dimittatur* » hoc tantum significat : « *Opus quod dimittitur non prohiberi.* » Ap. N. R. T. (XII, 460). — (**2**) Hoc intelligunt communiter DD. de solis *documentis* quae quomodocumque spectant ad Beat. et Canon.Servorum Dei,*quorum causa adhuc est* **sub judice.**— (**3**) Cum agatur de **Collectionibus,** satis apparet illos non comprehendi in lege qui unum vel aliud decretum publicant. — Nec usu interdicti videntur *Collectiones* illicite editae, cum hoc non exprimatur in lege. — (**4**) Praesens articulus juxta plures videtur pertinere ad illos tantum Missionarios qui a S. C. de P. F. pendent et in locis missionum, versantur, ubi nondum hierarchia ordinaria est instituta. — Porro haec S. C. (6 Dec.

35. « Approbatio librorum quorum censura praesentium Decretorum vi Apost. Sedi vel RR. Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo *publici juris* (1) fiunt. »

36. « Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se S. Concilii Trid. decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subjacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur (2). »

37. « Si auctor Romae degens librum non in Urbe sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Card. Urbis Vicarii et Magistri S. Palatii Apost., alia non requiritur. »

Caput II.

« *De censorum officio in praevio librorum examine.* »

38. « Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant » aliasque habeant qualitates ibid. indicatas.

1655) prohibuit ne ullus Missionarius Apostolicus, cujusvis gradus, conditionis, praeeminentiae, etc., libros proprios vel alterius typis mandet vel publicet, *sive de religione directe vel indirecte tractantes, sive disserentes de rebus ecclesiasticis*, absque expressa ejusdem S. C. licentia, a qua lege exceptas tantum declaravit (28 Dec. 1770) : « *parvas doctrinas, catechismos, instructiones ac preces*, quae fidelium usui quotidiano inserviunt, sub ea nihilominus conditione ut in vulgus spargi non possint, nisi prius eas respective Episcopi locorum seu Vicarii Apostolici viderint atque in lucem permiserint emitti.— (**1**) Hisce verbis **nova juris dispositio** statuitur, videlicet : jam non attenditur ubi maneat *impressor*, sed *editor*. Quae mutatio exinde explicatur quod hodie non pauci scriptores aut editores libros suos imprimendos committant typographis aliorum locorum vel etiam aliarum nationum et dein exemplaria omnia divulgent in loco ubi commorantur vel alibi, non tamen in loco ubi liber fuit impressus. — Quod si auctor exemplaria divulgaturus est in variis dioecesibus, tunc juxta *Acta S. Sedis* (XXX, 491) satis est, si opus committat illi episcopo in cujus dioecesi versatur et in qua exemplaria divulgantur; si vero in loco in quo commoratur, exemplaria publicaturus non sit, satis erit si ab aliquo ex illis in cujus dioecesi publicationem instituet, praeviam censuram et approbationem impetret. — (**2**) Cum hic articulus referat *Clementis VIII* statutum quo extenditur Tridentinum decretum ad cujuslibet materiae libros, dicendum videtur, praesens decretum non esse limitandum ad libros S. Scripturae, de quibus in decreto Tridentino, sed spectare omnes libros vel scripta

39. In hoc art. describitur « juxta BENED. XIV praeceptum » ad litteram (1) hic reproductum, quo « animo » procedere debeant censores in examine instituendo.

40. « Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videatur, Ordinarius, in scriptis (2) et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam auctori concedat (3).

CAPUT III.

« *De libris praeviae censurae subjiciendis.* »

41. « Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subjicere libros, qui..... religiosas aut morales disciplinas respiciunt ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit (4). »

pro quibus hodie de juri communi praevia approbatio requiritur. — Nomine autem *Regularium* intelliguntur tales proprie dicti.— Religiosi vero votorum simplicium, praeter licentiam episcopi, tenentur etiam facultatem obtinere a suo Praelato, si regulis suis Instituti ad id obstringantur. — (**1**) Ex Const. « *Sollicita* » § 17. — (**2**) Adeoque non sufficit ut detur *oretenus*. Non requiritur quidem, saltem ut plures docent, quod detur juxta *tenorem verborum* ab Ordinario usurpatum, sed sufficit, ut formula usitata « *Imprimatur* » vel verbis « *De permissu* » seu « *cum licentia Ordinarii* » vel « *Superioris Ordinis* » significetur. — Quod vero praxim attinet celandi aliquando obtentam imprimendi licentiam sub praetextu ne publicatio de caetero bona utilisque a pluribus ideo respueretur, eam approbare non possumus. Docet quidem N. R. T. (IV, 219) : « *S'il est vrai que la vue de l'approbation épiscopale pourrait détourner les hommes qui en ont le plus besoin, de la lecture de ces ouvrages, rien n'empêcherait l'évêque de dispenser d'insérer l'approbation dans l'ouvrage. La loi de l'Eglise prescrit à la vérité cette insertion; mais si cette partie de la loi était nuisible au bien des âmes, l'Evêque pourrait la regarder comme ayant cessé d'être obligatoire et la négliger.* » Verum nihil hujusmodi reperitur in praesenti articulo, et quando legislator quid simile vult permittere, hoc expresse declarat, ut fecit in art. 43. — (**3**) Ad **dubium** : « *An, peracto examine, Ordinarii teneantur auctori rationes denegatae licentiae indicare?* » **Respondit** S. C. IND. (1 Sept. 1898) : « *Affirmative, si liber videatur correctionis seu expurgationis esse capax.* » Ap. R.T.F. (IV, 10 . —(**4**) Per hunc art. **mitigatio** adducta est regulae X Indicis quae approbationem requirebat pro *quolibet* libro aut scripto; — videlicet: pro universo jam orbe sancitum est quod PIUS IX pro ditione Pontificia per

42. « Viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant (1). »

« Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica (2) moderanda (3) suscipiant. »

Enc. 2 Jun. 1848) statuerat, quodque in aliis pluribus regionibus usu vel jure particulari observabatur. Cum autem praesens Leonis XIII decretum ad litteram referat Pii IX statutum, nec ullum inter utrumque textum discrimen appareat, sponte sequitur eamdem esse debere utriusque interpretationem. « *Quand les termes de la loi*, ait Planchard, ap. R. T. F. (II, 287), *sont les mêmes, l'interprétation doit être la même aussi.* » Jam vero Pius IX suum statutum authentice interpretans, verbis n. 41 relatis sequentia subjungit : « Juxta haec igitur statuimus et permittimus ut in omni *ephemeridum* et *librorum* genere illi dumtaxat sine praevia ecclesiastica censura edi nequeant qui *moralis aut religiosi*, uti diximus, *argumenti sint;* in caeteris vero ii tantum articuli qui *simile argumentum habeant* vel *causam ipsam religionis aut morum honestatis proxime attingant.* » Hinc merito concluditur : hodie, de jure communi, non tantum *libros* stricte tales, sed etiam *publicationes periodicas* qualescumque et *ephemerides*, immo generaliter *scripta omnia* non exclusis singularibus periodicorum quorumcumque *articulis*, in quibus religionis et morum honestatis *specialiter* intersit, quatenus morale vel religiosum argumentum habeant vel causam ipsam religionis aut morum honestatis *proxime attingant*, haec, inquam, scripta omnia, non tantum *typis* impressa, sed etiam *lithographice* exarata, si publici juris fiant, censurae ecclesiasticae subjacere. — Interea quod *diaria* attinet *quotidie* evulganda, haec scribit N. R. T. (IV, 221) : « *Nous comprenons très-bien que les besoins de la presse quotidienne et le défaut de censeurs pour les journaux quotidiens soient un motif d'exempter ceux-ci de l'obligation de l'approbation préalable,* » — (**1**) Hic non merum *consilium* sed strictum **praeceptum** enunciari ex ipsis verbis legis eruitur. — (**2**) **Cujuscumque** sint argumenti, etiam profani tantum seu indifferentis. — Utrum vero sub verbis : « *folia periodica* » etiam comprehendantur publicationes periodicae vulgo *Revues*, alii *negant*, alii longe probabilius *affirmant*. — (**3**) **Moderanda**, i. e. *dirigenda*, quatenus nempe eorum *directionem* suscipiant, sive id faciant aperte, sive sub ementito nomine. Unde si tantum collaborant, inserendo aliquando articulos, non censentur comprehendi. — Quod si directioni praefuerint, antequam praesens lex promulgaretur, etiam nunc eidem legi subjacerent : lex enim generalis est, et qui moderabantur ante legem, moderantur et nunc.

CAPUT IV.

« *De typographis et editoribus librorum.* »

43. « Nullus liber censurae ecclesiasticae subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat (1), locum insuper et annum impressionis atque editionis (2). Quod si aliquo in casu, justas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit (3). »

44. « Noverint typographi et editores librorum novas ejusdem operis approbati editiones novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, ejus in aliud idioma versioni non suffragari (4). »

45. « Libri ab Apost. Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma (5). »

46. « Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes, neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a S. Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impe-

(**1**) In hoc articulo agitur de illis tantum libris *qui censurae ecclesiasticae subjiciendi sunt*, quales sunt qui in art. 41 fuerunt indicati. Comprehenduntur autem non solum *libri* stricte tales, sed etiam « *scripta omnia*, » quamvis minoris molis, praeviae censurae subjecta, ut patet ex eodem art. 41. — (**2**) Locus et annus tum *impressionis*, tum *editionis* exprimendi sunt si liber alio loco vel anno impressus fuerit quam editus, ut omnis fraus eliminetur. — (**3**) Hinc ut opus sine nomine auctoris aut sub ementito nomine appareat, necesse est, ut auctor rationes sic agendi prius exposuerit Ordinario cujus est librum approbare. — (**4**) Ipsa ratio dictat ita esse faciendum : *nova* enim editio differre potest a praecedenti, sicut *versio* sensum habere potest ab originali diversum. — Ad **dubium** vero : « *Utrum excerpta e periodicis capita seorsim edita* (vulgo tirages à part) *censeri debeant novae editiones, atque proinde nova approbatione indigeant, prout art. 44 requiritur ?* **respondit** S. C. IND. (19 Maii 1898) : « *Negative.* » Ap. R. T. F. (III, 392). Ratio : quia in eo casu exacte reproducuntur articuli approbati. « *On se sert*, ait PLANCHARD (ibid.p.366) *des planches composées pour la revue ou le journal; c'est donc une reproduction exacte d'articles approuvés.* » Secus tamen foret dicendum, si quis ex varis articulis verum librum componeret quem sic primum in lucem ederet.— (**5**) Itaque libri seu scripta quaecumque, sive **specialibus** sive hisce **generalibus** decretis, ab Apost. Sede, damnati, prohibiti sunt : 1°) quocumque *loco*, 2°) quocumque *idiomate*.

traverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti (1). »

CAPUT V.

« *De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.* »

47. « Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentesque et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam (2). »

(1) Haec regula, quae obligat omnes christifideles, praecipue illos respicit qui catholico nomine gloriantur et in hujusmodi mandatis servandis obsequentis animi exemplum praebere tenentur. *Duplicem* partem complectitur. PRIMA continet prohibitionem absolutam quoad libros *de obscenis ex professo* tractantes. Observant tamen DD. hac prohibitione non comprehendi libros *classicos* de quibus in art. 10. Unde licebit eos vendere iis personis quibus ratione officii aut magisterii permittuntur. In SECUNDA parte statuitur ne ceteros libros prohibitos vendant, nisi sub *duplici* conditione : A) Ut a S. Congregatione Indicis, mediante Ordinario suo, licentiam impetraverint; B) ut iis tantum vendant, quos prudenter existimant legitime petere, ita ut spectata natura libri et conditione ementis, hic rationabiliter praesumi possit debita facultate instructus. — (2) Ut supra (pag. 435) diximus, praesens articulus sub iisdem verbis repetit excommunicationem R. P. specialiter reservatam in Bul. « *Apost. Sedis* » sub n. II. — Itaque eam incurrunt : *Omnes et singuli, sine auctoritate Sedis Apostolicae, scienter legentes, retinentes, imprimentes et quemodolibet defendentes: — aut* **A)** *libros apostatarum vel haereticorum, dummodo haeresim propugnent; — aut B) libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos; — nisi in utroque casu excusentur ob parvitatem materiae.*

Dicitur 1°) « **sine auctoritate Sedis Apost.** » : i. e. sine legitima facultate « *a Sede Apost. aut ab illis quibus vices suas delegavit* » ad normam art. 23. — Dicitur 2°) « **Scienter.** » Unde excusat ignorantia *facti*, *juris* et *poenae*, nedum *crassa* et *supina*, quod omnes admittunt. sed etiam, ut plures volunt, *affectata* (pag. 391). Et haec conditio afficit: *legentes*, *retinentes*, *imprimentes*, *defendentes*.— Dicitur 3°) « **legentes** » i. e. qui oculis perspiciunt et intelligunt ea quae scripta sunt, quamvis vocem non proferant. Unde excommunicationem aufugiunt: *a*) qui audit alium legere; nam ipse vere non legit, quamvis peccet ea de causa quod

sese errandi periculo exponat. *b*) Qui legit librum cujus linguam non intelligit : legit quidem *materialiter*, non autem *formaliter*. *c*) Qui memoriter recitat versus v. gr. quos olim legerat ; immo *d*) Qui *mandando* per alium legit : nam censura lata contra *facientes*, non ligat *mandantes*, si non sunt expressi (pag. 389). — Dicitur 4°) « **retinentes** » i. e. qui librum servant suum vel alienum penes se, sive suum penes alium, modo non deposuerint cum pacto non repetendi, nisi post obtentam licentiam — Dicitur 5°) « **imprimentes** » quae vox *dupliciter* exponitur. Alii, et quidem communius ac probabilius, huic censurae subjiciunt omnes qui saltem proxime concurrunt ad librum imprimendum, ut editor, typos componentes, chartas madefacientes, atramento tingentes, torculari prementes. Atque huic sententiae suffragatur auctoritas S. U Inq. (12 Jul. 1878) ubi declarat : « *Si de haereticorum libris agatur, quibus haeresis edocetur atque sustinetur,etiam ministri typographi* **secundarii** *majorem incurrunt excommunicationem speciali modo Pontifici reservatam.* » Cfr. dicta (pag. 434) item (tom. I. pag. 334). — Alii latiori sensu vocem *imprimentes* intelligunt de iis qui propriis typis et sumptibus librum in lucem edunt, quorum nomen vel in fronte vel in fine libri inscribitur. Vulgari enim sensu ille dicitur *imprimens*, seu « *impressor* » ut loquitur Trid. Syn. (Sess. IV *in decr. de edit. et usu Sacr. libr.*), qui hanc artem proprio nomine exercet et hac de re tributum potestati publicae solvit, gallice : *paie*, *patente*. Quam sententiam multiplici consideratione vindicare conantur : — A) materia de poenis est certe odiosa, proinde quod minimum est tenendum. — B) voluit Leo XIII regulas efficere molliores. — C) collatione instituta articulum 46 inter et articulum 47, sententia adhaerens sensui vulgari facile evincitur : non enim agitur in articulo 46 de quocumque venditore, sed de illo qui proprio nomine vendat, qui proinde « *a Sacra Indicis Congregatione veniam* » impetraverit. Ergo a pari, in aa. 47 et 48 *imprimentes* et *imprimunt* eos designant qui talia agunt proprio nomine. Cfr a. 44 *typographi* et *editores*. — Dicitur 5°) « **Quomodolibet defendentes** » verbis aut scriptis, sive privatim sive publice, sive doctrinam damnatam sive ipsum codicem ne dilaceretur, neve superiori tradatur : secus qui tantum stylum auctoris laudat, aut ejus ingenium, eruditionem aliasve bonas qualitates. — Dicitur 7°) « **libros** » quo nomine hodie probabiliter non veniunt *manuscripta*, sed scripta *typis* edita, ut docet D'Annib. post Croix, Sporer, Viva, Ronc., alios, dummodo aliquo volumine constent ac proinde molis non sint adeo exiguae, ut alio potius nomine quam librorum nuncupari soleant. Unde non comprehenduntur *diaria* seu *ephemerides* : ad **dubium** enim : « *An scienter legentes ephemerides propugnantes haeresim incurrant excommunicationem... S. P. speciali modo reservatam ?* » **respondit** S. U. I. (21 April. 1880) « *Negative.* » Ap. N.R.T. (XX, 254).

Idque probabiliter dicendum est, etiamsi in unum tomum postea ligentur quia deficere videtur *unitas* pro libro requisita. Contrarium tamen foret dicendum, si colligerentur diaria in quibus liber aliquis per partes (en *feuilletons*) fuisset publicatus, quo casu folia sic collecta et unitatem haberent et verum librum constituerent. — Nec comprehenduntur impressa vulgo dicta *brochures*, qualia sunt : *epistolae*, *conciones*, *theses*, *eligiae* et similia, nisi sint pars libri sub hac censura prohibiti : quia prohibito libro, quaelibet libri pars prohibetur, aut nisi ad libri molem pertingant. *Fasciculi* tamen scriptorum peridiocorum in unum religati libris aequiparantur. Ad **dubium** enim : « *Utrum scienter legentes publicationes periodicas in fasciculos ligatas habentes auctorem haereticum et haeresim propugnantes excommunicationem incurrant de qua in Bulla* Apost. Sedis...? » **respondit** S. U. I. (13 Jan. 1892) : « *Affirmative.* » Ap. N. R. T. (XXIV, 170). — Dicitur 8°) « **Apostatatarum vel haereticorum** » i. e. illorum qui a fide Christiana per baptismum suscepta totaliter recesserunt (pag. 433) vel baptizati dogma aliquod catholicum voluntarie ac pertinaciter rejiciunt. Non requitur quidem ut sint juridice ut tales damnati, sed sufficit quod a legente ut tales certo sciantur, ut adeo hac censura attingantur libri etiam anonymi, si ex ipsamet doctrina quam exhibent et pertinacia in eam defendendo. indubie probatur illorum auctores esse apostatas aut haereticos. — Dicitur 9°) « **dummodo haeresim propugnent,** » i. e. data opera et pro viribus haeresis patrocinium suscipiant, adeoque non obiter, non paucis et quasi aliud agentes. — Quod si opus pluribus constet voluminibus, quorum unum haeresim propugnet, tunc, si inter se *formaliter* sint distincta, ita ut unum ab altero sit independens et velut opus ex se completum videatur, excommunicatio non incurritur legendo, retinendo, etc. volumen quod haeresim non propugnat ; secus vero dicendum, si inter se *materialiter* tantum sint distincta, ita ut unum ab altero dependeat. — Nec excommunicatio incurritur, si ex libro abrasae seu detractae fuerint paginae in quibus haeresis propugnatur. — Dicitur 10°) « **Aut libros cujusvis auctoris,** etc.» Unde parum refert a quolibet fuerit conscriptus, quidve contineat, dummodo prohibitus fuerit : — A) per **Litteras Apostolicas,** et quidem — B) **nominatim.** Porro *Litterae Apostolicae* nuncupantur quae prodeunt sub R. P. nomine, sive in forma *Bullae*, sive in forma *Brevis*, sive *Encyclicae*, sive sub quacumque alia forma, dummodo ipsius nomine datae fuerint. Unde non sufficit prohibitio facta per decreta SS. Congregationum, quia, esto prodeant Pontificis auctoritate, non tamen inscribuntur ejus nomine, neque in stylo curiae appellantur *Litterae Apostolicae*. — Verbum autem *nominatim* postulat, ut libri per suos proprios titulos exprimantur, et ideo libri qui per Litteras Apostolicas modo tantum generali damnantur, etiam auc-

tore citato, v. g. sub hac formula : *damnamus omnes libros auctoris N.*, non sunt *nominatim* prohibiti. — Quod vero libros attinet ante Const. « *Apostolicae Sedis* » per *Litteras Apostolicas* et *nominatim* prohibitos, illi tantum censuram inducunt qui sub poena excommunicationis R. P. reservatae fuerint prohibiti : secus nedum per Const. limitarentur censurae reservatae, ut potius numero augerentur. — Dicitur 11°) « **nisi in utroque casu excusentur ob parvitatem materiae.** » Hinc excommunicationem non incurris :— A) si *parum* **legas.** *Parum* autem alii dicunt esse unum aut alterum versiculum; alii non multas lineas; alii decem lineas : alii unam paginam et aliquid plus; alii unam paginam libri in folio impressi; sed potius cum SPORER habenda est ratio finis praecepti, adeoque attendendum est ad morale periculum subversionis ex materia lecta, quod subin etiam in paucis lineis reperitur, subin neque in aliquot paginis. Unde quoque scribit S. ALPH. (VII, 284) : « Si aperiendo librum haereticum incidas in doctrinam quae directe est contra fidem, poteris excommunicationem incurrere, etiam si legas paucas lineas, quia in ipsis potest esse periculum perversionis; secus si liber esset de materia indifferenti : tunc enim legendo etiam paginam, excusaris a mortali, si nullum ibi legas errorem. » — Neque incurris B) si *parum* **retineas,** sive respectu *quantitatis* retentae, puta, ut dicunt communiter DD., si retineas unum, duo vel tria folia : quia minus periculum est retinere, quam legere; sive respectu *temporis*, ut si, regulariter loquendo, tantum retineas per unum aut alterum diem, etsi, juxta probabilem sententiam ap. N. R. T. (II. 655), *antea habueris voluntatem diu retinendi*, quia non habetur peccatum exterius consummatum per actum graviter malum. Dico : *regulariter loquendo;* quia diuturnior mora a gravi excusari potest, si fiat animo, *prima occasione*, tradendi librum superiori aut habenti facultatem, aut si retinens exspectet pro seipso legendi veniam, dummodo,ait P. PIAT. in suo *Comm.* in Const. « *Apost. Sedis,* » diutius exspectanda non sit. Inter *retinent s* communiter recensentur librorum ligatores (*relieurs*). Plures tamen auctores eos excusant a culpa saltem gravi et consequenter a poena excommunicationis, dum libros compingunt pro habente facultatem, imo et pro non habente, si accesserit ratio damni. Contra non videtur retinere qui mere est *custos* bibliothecae in qua libri prohibiti continentur, dummodo eos a bibliotheca non removeat et in propria domo vel cubiculo non asseveret (P. PIAT. *l. c.*). — Neque incurris C) si *parum* **imprimas.** Porro de *quantitate* materiae quoad *impressionem*, juxta communem DD. sententiam, judicandum est, non quidem sicut pro *retentione*, sed sicut *pro lectione;* — adeoque secundum principium supra allatum ex SPORER et a S. LIG. (*l. c.*) adoptatum, quantitas in impressione attendenda est, non secundum se, sed secundum finem

48 « Qui sine Ordinarii approbatione SS. Scripturarum libros vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt aut imprimi faciunt, inciduut ipso facto in excommunicationem nemini reservatam (1). »

prohibitionis. N.R.T. (II, 655). —Verum D) quod *defendentes* attinet, hi vix excusari poterunt ratione *parvitatis* materiae; nec ad incurrendam censuram necesse est ut effectus defensionis fuerit obtentus, cum ipsa defensione actus censeatur consummatus. — (1) Excommunicatio haec, in qua, ut supra (pag. 483) monuimus, limitata fuit poena inflicta a Synodo TRID., clarioribus, quam in Const. « *Apostolicae Sedis*, » verbis exprimitur. Dicitur 1°) « **Sine Ordinarii approbatione**; » sufficit autem approbatio *cujuslibet* Ordinarii, sive in scriptis, sive saltem oretenus accepta. Regulares autem, si hujusmodi libros in lucem edant vel edi curent, quin facultatem a *Praelato*, cui subjacent, obtinuerint, peccant quidem, uti violatores praecitati art. 36, sed excommunicationem non incurrunt, si licentiam Ordinarii habuerint.— Dicitur 2°) « **imprimunt:** » quae verba, juxta dicta in adnotationibus ad art. 47, non eodem modo ab omnibus intelliguntur. Juxta communiorem sententiam hoc vocabulo veniunt non tantum typographiae dominus seu impressor vel ipsius personam agens, sed etiam secundarii opifices qui *proxime* ad impressionem concurrunt. Verba enim legislatoris « *qui imprimunt* » generalia sunt et sensu proprio non minus comprehendunt operarios qui revera impressionem faciunt quam dominos quorum cura fit impressio.— Non tamen improbabilem arbitramur sententiam aliorum existimantium verba illa restringenda esse ad illos qui *suis nomine et typis* librum in lucem edunt, cum ipsis, non vero secundariis operariis, onus incumbat libros praeviae censurae subjiciendi. — Dicitur 3°) « **aut imprimi faciunt:** » quibus verbis indicantur illi quorum cura vel jussu, sive sit editor, sive sit auctor, librum typis cudendum mandatur. Unde probabiliter non comprehenditur qui *simpliciter* dat vel vendit manuscriptum nihil de impressione jubens vel curans. Dico : *simpliciter;* quia aliud foret dicendum, si manuscriptum venderetur *sub conditione ut imprimatur*, cum in eo casu auctor tanquam causa moralis, et quidem principalis, ad libri impressionem concurreret. — Porro ad quaestionem : utrum *legi* ac *retineri* possint libri SS. Scripturarum, vel earumdem adnotationes seu commentarii, qui *sine approbatione* imprimuntur, DD. diversimodo respondent. Plerique *negant* cum PLANCHARD ap. R.T.F. (II, 234) : « *Suivant le principe communément adopté, la défense de lire, de garder, de vendre ces livres subsiste.* » Nihilominus existimat VAN COILLIE (pag. 104) prohibitionem legendi retinen-

49. « Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et si oportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur (1). »

Tandem sequuntur *clausulae* quibus efficacitur munitur praesens et nunquam satis laudanda Constitutio « *Officiorum ac munerum,* » quam LEO PP. XIII edidit.

dique libros SS. Scripturarum non exsistere pro illis libris qui nec ratione sui (art. 5, 6 et 8) nec ob solum approbationis defectum (art. 7), hisce generalibus Decretis prohibentur. — (**1**) In hoc ultimo (art. 49) adseritur Episcopo **jus** monendi transgressores Decretorum generalium eosque canonicis etiam coercendi **poenis**. — Quod vero reatus *gravitatem* attinet, principium est : praecepta atque prohibitiones, in hisce Decretis generalibus contenta, *per se* obligare *sub gravi,* quibus proinde « *catholici homines toto orbe religiose pareant.* »

FINIS.

VIVAT COR JESU SACRATISSIMUM PER INFINITA SAECULA SAECULORUM

AMEN !

INDEX SYNOPTICUS

EXHIBENS SERIEM TRACTATUUM ET QUAESTIONUM.

DE MATRIMONIO.

PRAEAMBULUM 1

PARS PRIMA.

DE SPONSALIBUS ET BANNORUM PROCLAMATIONIBUS.

CAP. 1. De quidditate et divisione sponsalium.

Q. 1. Dic : 1°) *undenam* sit, et 2°) *quotupliciter* sumatur VOX SPONSALIA? . . . . . "
Q. 2. *Quare* matrimonio SPONSALIA soleant *praemitti*? . . 2
Q. 3. *Quomodo* SPONSALIA de futuro *definiantur*? . . . 3
Q. 4. *Quaenam* requirantur *conditiones* ad vera SPONSALIA? . 4
Q. 5. *An* valeant SPONSALIA ex *metu* inita? 7
Q. 6. Valeantne SPONSALIA inita *invitis* vel *inconsultis parentibus*? 8
Q. 7. In quibus sponsalia *de futuro* DIFFERANT a sponsalibus *de praesenti*? 9
Q. 8. *Quomodo* DIVIDANTUR sponsalia *de futuro*? . . . "

CAP. 2. De adjunctis sponsalium, ubi de juramento, conditione apposita, poena aut arrha addita et copula superveniente.

Q. 9. *Quid* faciat JURAMENTUM adjectum? 11
Q. 10. *Quid* faciat CONDITIO sponsalibus adjecta? . . . 12
Q. 11. *Quid* dicendum de POENA sponsalibus adjecta? . . 15
Q. 12. *Quid* 1°) sit ARRHA : 2°) *quomodo* DIFFERAT tum a *poena*, tum a *sponsalitia largitate* seu *jocalibus* ; et 3°) *quid* JURIS sit circa *arrhas* et *jocalia*? 17
Q. 13. *Quid* faciat COPULA sponsalibus superveniens? . . 18

CAP. 3. De effectibus sponsalium.

Q. 14. *Quinam* sint EFFECTUS sponsalium? 19

CAP. 4. De sponsalium dissolutione.

Q. 15. *An* et *quales* sint CAUSAE ex quibus sponsalia *dissolvi* possunt? 20
Q. 16. *Quomodo* sponsalia solvantur per MUTUUM CONSENSUM? 21
Q. 17. *Quomodo* sponsalia dissolvantur per IMPEDIMENTUM SUPERVENIENS? 22
Q. 18. *Quid* faciat circa sponsalia CRIMEN *alterius grave?* . . 23
Q. 19. *Quid* faciat circa sponsalia MUTATIO *notabilis superveniens* aut *innotescens?* 24
Q. 20. *An* laborans *defectu gravi occulto* in bonis sive corporis, sive animi, sive fortunae, ob quam causam alter forte nollet contrahere, teneatur illum *manifestare* ante sponsalia, vel iis jam contractis ante matrimonium? 25
Q. 21. *Quomodo* dissolvantur sponsalia per ELECTIONEM *status perfectioris?* 26
Q. 22. *Quandonam* sponsalia solvantur: 1°) per DISCESSUM; vel 2°) per MORAM unius e sponsis? 28
Q. 23. *An* sponsalia DISSOLVI possint *propria auctoritate*, an vero requiratur auctoritas *judicis ecclesiastici?* . . . 29

CAP. 5. De bannorum proclamationibus.

Q. 24. *Quid* 1°) sint BANNA; 2°) in *quem* FINEM instituta; et 3°) *qualis* eorum NECESSITAS? 30
Q. 25. *Quid* statuat TRID. circa BANNORUM *circumstantias?* . 31
Q. 26. *Quoties* fieri debeant BANNA? . . . . . »
Q. 27. *An* 1°) BANNA aliquando sint *repetenda;* et 2°) an, facta ultima proclamatione, liceat *eadem die* nuptias celebrare? . 33
Q. 28. *Quo tempore* BANNA sint facienda? . . . . . »
Q. 29. *Ubinam* BANNA fieri debeant? 34
Q. 30. A *quonam* BANNA sint facienda? . . . . . »

CAP. 6. De bannorum dispensatione.

Q. 31. *Quis* 1°) possit *dispensare* in BANNIS; 2°) *quae* sint CAUSAE dispensandi; et 3°) *quaenam* OBSERVANDA, *antequam* dispensatio *concedatur?* 36

CAP. 7. De obligatione manifestandi impedimenta deque agendi ratione parochi detecto impedimento.

Q. 32. *Quinam teneantur* IMPEDIMENTA *revelare?* . . . 38
Q. 33. *Quid* PAROCHUS agere debeat *cognito impedimento?* . . 40

CAP. 8. De officio parochi circa nupturientes.

Q. 34. *Quodnam* sit OFFICIUM parochi circa *nupturientes?* . 41

PARS SECUNDA.

DE MATRIMONIO NATURALI ET SACRAMENTALI.

CAP. 1. De quidditate matrimonii.

Q. 35. Dic : 1°) *undenam* sit nomen MATRIMONII ; et 2°) *quomodo* adhuc vocetur? 43
Q. 36. *Quotuplici* sub *respectu* spectari possit matrimonium? . »
Q. 37. *Quomodo* definiri possit matrim. *naturale*? . . . 45
Q. 38. *Quomodo* definiri possit matrim. *sacramentale*? . . 46

CAP. 2. De essentia matrimonii. Ubi de consensu et conditionibus consensui appositis.

Q. 39. In *quo* sita sit *essentia* matrimonii? 48
Q. 40. *Qualis* debeat esse mutuus ille *consensus* matrimonialis? 49
Q. 41. An *valeat* matrimonium, si contrahatur inter absentes per *procuratorem*, aut etiam per *scripturam*? . . . . . »
Q. 42. *Quid* faciat CONDITIO adjecta *consensui* matrimoniali? . 50

CAP. 3. De bonis matrimonii.

Q. 43. *Quot* 1°) sint BONA matrimonii; et 2°) *utrum* ad ejus SUBSTANTIAM adeoque *validitatem* pertineant? . . . . . »
Q. 44. An *valeat* matrimonium initum sub CONDITIONE : aut *vitandi generationem ;* aut postea *adulterandi ;* aut *solvendi* matrimonium? 52
Q. 45. *An* SUBSTANTIAE matrimonii ac proinde illius VALORI *obstet* conditio, in pactum deducta, *servandi perpetuam castitatem et debitum non petendi*? 54
Q. 46. *An* repugnet *bono prolis* SUBSTANTIALI stipulatio : sive 1°) *de abjicienda prole*, sive 2°) *de ea educanda in infidelitate positiva* aut *in haeresi*? 55
Q. 47. *An* contrahentes sub pacto *non plures quam duos filios procreandi*, subintelligentes vel expresse stipulantes se post secundum partum matrimonio usuros ad modum *Onan*, VALIDE contrahant? . . . . . »

CAP. 4. De fine cur matrimonium institutum fuit, deque ejus honestate, praecepto et effectibus.

Q. 48. In quem *finem* institutum sit matrimonium? 56
Q. 49. *An* 1°) matrimonium sit *honestum ;* an 2°) *virginitati* aut *coelibatui* praeferendum ; an 3°) sit *in praecepto*? . . . . »
Q. 50. *Quinam* sint EFFECTUS matrimonii? 58

CAP. 5. De fine proponendo in matrimonio.

Q. 51. *Qui* sint FINES proponendi in matrimonio, ut *valide* et *licite* quis contrahat? 58

CAP. 6. De variis matrimonii divisionibus. Ubi de matrimonio naturali et sacramentali; legitimo, rato et consummato; vero, putatitio et praesumpto; conscientiae seu secreto et morganatico.

Q. 52. *Quaenam* sint matrimonii DIVISIONES? 61

CAP. 7. De veritate sacramenti matrimonii deque tempore institutionis hujus sacramenti.

Q. 53. *An* matrimonium sit SACRAMENTUM? 64
Q. 54. *Quandonam* Christus INSTITUERIT istud sacramentum? . 65

CAP. 8. De materia, forma et ministro sacramenti matrimonii.

Q. 55. *Quae* sint MATERIA et FORMA sacramenti matrimonii? . 66
Q. 56. *Quis* sit MINISTER sacramenti matrimonii? 67
Q. 57. *Quae* sint CONSECTARIA ex doctrina de *ministro* sacramenti matrimonii? 69

CAP. 9. De requisitis in subjecto ad valide ac licite suscipiendum sacramentum matrimonii.

Q. 58. *Quaenam* requirantur ad *valide* suscipiendum SACRAMENTUM matrimonii? 70
Q. 59. *An* 1°) matrimonium, quod *fidelis* ex Papae dispensatione contrahit cum *infideli*, sit sacramentum ex parte fidelis; et *an* 2°) matrimonium, quod *inter infideles* contractum fuerit, accedente *baptismo*, evadat sacramentum? . . . . . »
Q. 60. *Quaenam* requirantur ad *licitam* susceptionem SACRAMENTI matrimonii? 72
Q. 61. *An* STATUS *gratiae*, requisitus ad licitam susceptionem, debeat esse obtentus per *confessionem*? . . . . . »
Q. 62. *An* PAROCHUS ad sacramentum matrimonii admittere possit *indignos*, i. e. quos novit esse in statu peccati *mortalis*, immunes tamen a quolibet impedimento quod matrimonium vel dirimat vel impediat? 73

CAP. 10. De proprietatibus matrimonii.

ART. I. De matrimonii unitate.

Q. 63. *Quae* 1°) sint PROPRIETATES matrimonii; 2°) in *quo* sita sit ejus UNITAS; et 3°) *quaenam* UNITATI *opponantur*? . . 75

Q. 64. *Quid* dicendum de BIVIRATO seu POLYANDRIA *simultanea*? 76
Q. 65. *Quid* dicendum de POLYGAMIA *simultanea*? . . . »
Q. 66. *Quid* dicendum de *secundis* et etiam *ulterioribus nuptiis*? 78

ART. II. De firmitate matrimonii.

Q. 67. In *quo* 1°) consistat *firmitas* matrimonii quoad VINCULUM; 2°) *quo* JURE haec indissolubilitas matrimonio competat; et 3°) *quinam* eidem ADVERSENTUR? 79
Q. 68. *Quid* circa *indissolubilitatem* VINCULI matrimonialis de *fide catholica* tenendum sit? 80
Q. 69. *An* dentur *casus*, tam in *Veteri* quam in *Nova* lege, in quibus, per *potestatem divinitus concessam*, nuptiale vinculum *dissolvi* possit? 82
Q. 70. *Quodnam* matrimonium dissolvi possit *per* DISPENSATIONEM *pontificiam*? 83
Q. 71. Dic : 1°) *quodnam* matrimonium dissolvi possit per PROFESSIONEM SOLEMNEM, et 2°) *quo* JURE dissolvatur? . . 84
Q. 72. *Quid* sit *casus* APOSTOLI? 86
Q. 73. *An* detur locus *casui* APOSTOLI : 1°) Si infidelis *nolit converti*, sed tamen consentiat pacifice cohabitare; 2°) Si quis ex infidelitate ad communionem Christianam *a catholica tamen Ecclesia sejunctam*, per baptismum se recipiat; 3°) Si *fidelis*, ex dispensatione Ecclesiae in impedimento disparitatis cultus, nuptias ineat *cum infideli*, casu quo infidelis renuat conjugi fideli pacifice cohabitare? 88
Q. 74. Dic : 1°) *An*, et 2°) *quae* sint CAUSAE ob quas conjuges a se invicem *separari* possint, manente tamen *vinculo* conjugali? 89
Q. 75. *Quomodo* conjuges a se invicem *separari* possint ex MUTUO CONSENSU? 90
Q. 76. *An*, MARITO *domicilium mutante*, UXOR eum *sequi* teneatur? »
Q. 77. *Quo* JURE liceat separatio seu divortium improprie dictum ob *grave animae vel corporis periculum*? 91
Q. 78. Dic : 1°) *quo* JURE liceat divortium *ob adulterium alterutrius;* 2°) *quid* nomine ADULTERII *hoc loco* intelligatur; et 3°) *quale* esse debeat, ut sit CAUSA separationis? . . . . »
Q. 79. *An* aliquando pars INNOCENS partem *adulteram* dimittere *teneatur ?* 93
Q. 80. *Qua* AUCTORITATE fieri possit divortium : 1°) a *thoro;* 2°) ab *habitatione?* . . . . . »
Q. 81. *An* 1°) facta separatione, possit INNOCENS comparte a cogere, *ut ad se redeat*; et *an* 2°) INNOCENS iterum recipere teneatur *adulterum emendatum*, aut dimissum *ex alia causa*, ea cessante? 94
Q. 82 Dic : 1°) *Quotuplex* a jure CIVILI permittatur conjugum *separatio;* 2°) *quasnam* ob CAUSAS; et 3°) de *qua* AUCTORITATE? 95

Q. 83. *An* aliquando LICEAT confugere ad auctoritatem *civilem* qua *divortium a vinculo civili* conceditur? 96

CAP. 11. De ritibus servandis in celebratione et benedictione nuptiarum.

Q. 84. *Quinam* sint RITUS servandi in *celebratione* matrimonii? 101
Q. 85. *Quid* 1°) sit BENEDICTIO NUPTIARUM; 2°) *an* cadat *sub praecepto;* 3°) *an* nuptiis OMNIBUS sit *conferenda;* 4°) *ubinam* fieri debeat? 102

PARS TERTIA.

DE IMPEDIMENTIS, DISPENSATIONIBUS ET MATRIMONII REVALIDATIONE.

SECTIO 1ª. — DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS ET POTESTATE DISPENSANDI IN IIS.

CAP. 1. De quidditate et numero impedimentorum impedientium.

Q. 86. *Quid* 1°) et 2°) *quot* sint impedimenta IMPEDIENTIA? . . 105
Q. 87. *Quid* sit ECCLESIAE VETITUM? 106
Q. 88. Dic : 1°) *Quo jure* matrimonia MIXTA sint *illicita;* 2°) *quis* in illis possit *dispensare;* 3°) ob *quas* CAUSAS. et 4°) sub *quibus* CONDITIONIBUS? 107
Q. 89. *Quomodo* agendum circa matrimonia *mixta* : tum 1°) *ineunda,* tum 2°) jam *inita?* 110
Q. 90. *Quid* sint impedimenta IMPEDIENTIA vocata : 1°) *tempus;* 2°) *sponsalia;* 3°) *votum?* 111
Q. 91. *Quid* dicendum de illo qui nupsit, absque dispensatione, post VOTUM SIMPLEX: vel 1°) *castitatis;* vel 2°) *non nubendi;* vel 3°) *ingrediendi religionem;* vel 4°) *suscipiendi Ordines SS* ? 113

CAP. 2. De potestate dispensandi in impedimentis impedientibus.

Q. 92. *Quinam* DISPENSARE valeant in impedimentis *impedientibus* ? 115

SECTIO 2ª. — DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

CAP. 1. De auctoritate statuendi impedimenta dirimentia.

Q. 93. Dic : 1°) *An* ECCLESIA habeat *potestatem* statuendi impedimenta *dirimentia;* 2°) *quo* JURE; 3°) *an* EXCLUSIVE; et 4°) *quinam* intelligantur nomine ECCLESIAE? 117

CAP. 3. De quidditate, numero, speciebus et obligatione impedimentorum dirimentium.

Q. 94. Dic : 1°) *Quid*, 2°) *quot*, et 3°) *quae* sint imp. DIRIMENTIA ? 124
Q. 95. Imp. *dirimentia* 1°) *quo* JURE sint introducta ; 2°) *quosnam* obligent ; 3°) an urgeant, etsi *invincibiliter ignorata ;* et 4°) an, si sint juris *ecclesiastici*, cessent ob *necessitatem*? . »
Q. 96. *An* liceat CONTRAHERE matrimonium cum impedimento *dubio* seu *probabili*? 128
Q. 97. *An* liceat conjugibus UTI matrimonio, si post nuptias oriatur *dubium* de impedimento? 130
Q. 98. *An* VALEAT matrim. contractum cum impedimento *putato, non exsistente*? . . . . . »
Q. 99. Dic : 1°) *qualiter* PECCET celebrans matrimonium cum impedimento *dirimente* ; et 2°) *an* INCIDAT in aliquam *poenam*? »
Q. 100. *An* 1°) CONSUMMANS matrimonium *nulliter* celebratum, praeter peccatum contra castitatem, committat *speciale peccatum* ; et 2°) *an* INCIDAT in aliquam *poenam*? 131

CAP. 3. De impedimentis : ERRORIS, CONDITIONIS et VOTI.

Q. 101. *Quid* 1°) sit impedimentum ERRORIS : et 2°) *quo* JURE matrimonium dirimat? 132
Q. 102. *Quid* 1°) sit impedimentum CONDITIONIS, et 2°) *quo* JURE sit institutum? 133
Q. 103. Dic : 1°) *quale* VOTUM sit impedimentum dirimens et 2°) *quo* JURE? 135

CAP. 3. De impedimento GOGNATIONIS.

Q. 104. Dic : 1°) *quid*, et 2°) *quotuplex* sit COGNATIO matrimonium dirimens? 137

ART. I. De cognatione CARNALI seu CONSANGUINITATE.

Q. 105. *Quid* sit CONSANGUINITAS? . . . . . »
Q. 106. *Quaenam* in CONSANGUINITATE sint distinguenda? . . 139
Q. 107. *Quae* sint *regulae* pro computandis *gradibus* CONSANGUINITATIS? 140
Q. 108. *An*, ubi petenda est dispensatio in gradu *inaequali*, sive CONSANGUINITATIS, sive AFFINITATIS, *uterque* gradus exprimi debeat? 141
Q. 109. *An* 1°) dari possit *multiplex* CONSANGUINITAS, et 2°) *an* haec circumstantia *debeat exprimi* in libello supplici? . . 142
Q. 110. *Quae* sint MOTIVA impedimenti dirimentis *consanguinitatis*? 143
Q. 111. *Quo* JURE et in *quibus* GRADIBUS consanguinitas dirimat matrimonium? . . . . . »

ART. II. De cognatione SPIRITUALI.

Q. 112. *Quid* 1°) sit *cognatio* SPIRITUALIS ; 2°) *undenam* sic dicta; 3°) *quo* JURE sit introducta; et 4°) inter *quas* PERSONAS matrimonium dirimat? 145
Q. 113. *Quaenam* requirantur ad *valide* cognationem SPIRITUALEM contrahendam, sive ex *baptismo*, sive ex *confirmatione*? 146
Q. 114. *An* 1°) dari possit *multiplex* cognatio SPIRITUALIS et 2°) *an* debeat *exprimi* in libello supplici? 148
Q. 115. *Quid* dicendum de cognatione SPIRITUALI, quae contracto matrimonio *supervenit*? . . . . . »

ART. III. De cognatione LEGALI.

Q. 116. *Quid* 1°) sit cognatio LEGALIS; 2°) *quare* sic vocetur; 3°) ex *quanam* adoptione oriatur; et 4°) inter *quas* PERSONAS matrimonium dirimat? 149

CAP. 4. De impedimento CRIMINIS.

Q. 117. *Quid* 1°) sit impedimentum CRIMINIS; 2°) ex *quo* MOTIVO sit introductum ; et 3°) *an* incurratur, si ab utroque contrahentium *ignoretur*? 152
Q. 118. *Quale* 1°) debeat esse ADULTERIUM, ubi agitur de impedimento *criminis*, et 2°) *quandonam* illud impedimentum ex *solo adulterio* oriatur? 153
Q. 119. *Quandonam* impedimentum CRIMINIS oriatur *ex solo conjugicidio*? 155
Q. 120. *Quandonam* imp. CRIMINIS oriatur ex *adulterio et conjugicidio simul*? 157
Q. 121. *An* imp. CRIMINIS aliquando *multiplicetur*? . . . »
Q. 122. *An* imp. CRIMINIS locum habeat inter *infideles*? . . 158

CAP. 5. De impedimentis quae vocantur : CULTUS DISPARITAS, VIS, ORDO, LIGAMEN, HONESTAS.

Q. 123. *Quid* 1°) sit imp. CULTUS DISPARITATIS; 2°) *quo* JURE matrimonium dirimat; et 3°) *quae* sint CONDITIONES, quas S.Sedes dispensando exigit? . . . . . »
Q. 124. *Quid* 1°) sit impedimentum VIS seu METUS: 2°) *quae* CONDITIONES requirantur ad illud incurrendum: 3°) *quo* JURE matrimonium dirimat; et 4°) *an* metum INJUSTE incutiens incidat in aliquam *poenam*? 161
Q. 125. *Quid* 1°) sit imp. ORDINIS; 2°) *quo* JURE dirimat matrimonium; 3°) a *quo* TEMPORE, et 4°) sub *qua* POENA? . . 163
Q. 126. *Quid* 1°) sit imp. LIGAMINIS; 2°) *quo* JURE dirimat; et 3°) *quomodo* agendum *in dubio* de MORTE *prioris conjugis*? 164

Q. 127. *Quid* 1°) sit imp. PUBLICAE HONESTATIS; 2°) *quo* JURE sit introductum et *quare* sic vocetur; 3°) ex *quotuplici capite* oriatur et *quousque* se extendat; 4°) an sit *perpetuum*; 5°) an oriatur ex *matrimonio civili;* 6°) an liget *infideles;* 7°) an quandoque *multiplicetur*? 166

CAP. 6. De impedimentis : AETATIS et AFFINITATIS.

Q. 128. *Quid* 1°) sit imp. AETATIS; et 2°) *quo* JURE dirimat? . 169
Q. 129. *Quid* sit imp. AFFINITATIS? 170
Q. 130. *An* 1°) in AFFINITATE distinguantur : *stipes*, *linea* et *gradus;* et 2°) *quae* sit *regula* ad lineam et gradum *affinitatis* dignoscendum? 173
Q. 131. Ad *quem gradum* AFFINITAS dirimat matrimonium? . 174
Q. 132. Ad *quem gradum* se extendat AFFINITAS ex matrimonio *consummato*, sed *invalido*? . . . . . »
Q. 133. *Quo jure* AFFINITAS dirimat matrimonium? . . . »
Q. 134. *An* 1°) aliquando AFFINITAS sit *multiplex;* et 2°) *utrum* haec *multiplicitas* necessario sit *exprimenda* in libello supplici? 176
Q. 135. *Quid* dicendum de AFFINITATE, quae matrimonio jam contracto *supervenit*? 177

CAP. 7. De impedimento CLANDESTINITATIS.

Q. 136. *Quid* 1°) sit CLANDESTINITAS; 2°) *cur* illud imp. sit *introductum;* 3°) *quosnam* obliget: et 4°) *an* etiam *haeretici* eo ligentur? . . . . . »
Q. 137. *Quis* PAROCHUS ex TRID. nuptiis assistere debeat? . 183
Q. 138. *Quid* 1°) sit DOMICILIUM et QUASI-DOMICILIUM; 2°) *quaenam* ad utrumque REQUIRANTUR; 3°) *quomodo* in foro externo CONSTET, requisita *adesse*; 4°) *quandonam* censeatur acquisitum DOMICILIUM vel QUASI-DOMICILIUM relate ad matrimonium valide ac licite contrahendum; 5°) *quomodo* utrumque AMITTATUR? 187
Q. 139. *Qualis* esse debeat PRAESENTIA : tum *parochi*, tum *testium*? 191
Q. 140. *An* POENAM incurrat conjungens *alterius* parochianos? 192

CAP. 8. De impedimento IMPOTENTIAE.

Q. 141. *Quid* 1°) proprie sit IMPOTENTIA conjugalis; *quotupliciter* distinguatur; 3°) *qualis* dirimat matrimonium, et *quo jure*? . . . . . »
Q. 142. *Quid* dicendum in casu IMPOTENTIAE sive 1°) *certae*, sive 2°) *dubiae?* 196
Q. 143. *Quid* dicendum de HERMAPHRODITIS? 198

Q. 144. *An* ARCTITUDO vasis in muliere possit esse causa *impotentiae perpetuae*? 198
Q. 145. *Quae* sint CAUSAE praecipuae, ob quas *generatio* non sequitur *per accidens*, et consequenter non adest impedimentum *impotentiae*? 199

CAP. 9. De impedimento RAPTUS.

Q. 146. *Quid* 1°) sit imp. RAPTUS; 2°) *quae* CONDITIONES requirantur, ut *raptus* sit; 3°) *quo* JURE et QUARE hoc imp. sit *introductum*; 4°) in *quas* POENAS incidant *raptores*? . . . 200

SECTIO 3a. — DE DISPENSATIONIBUS IN IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

CAP. 1. De potestate dispensandi in imp. dirimentibus.

Q. 147. *Quinam* possint *dispensare* in imp. DIRIMENTIBUS *et quo jure*? 202

CAP. 2. De causis dispensationum.

Q. 148. *An* 1°) *requirantur*, et 2°) *quae* sint JUSTAE CAUSAE dispensandi? 206
Q. 149. *Quae* sint CAUSAE, quae vocantur *honestae*? . . . 207
Q. 150. *Quae* sint CAUSAE, quae vocantur *famosae*? . . . 209
Q. 151. *An* VALEAT dispensatio, si *non subsistant* causae, quae ad illam obtinendam fuerunt allegatae? . . . . . »
Q. 152. *Quandonam* subsistere debeat CAUSA, quae ad dispensationis *validitatem* reputatur *necessaria*? 210

CAP. 3 De modo dispensationes a R. P. impetrandi.

Q. 153. *Qua* 1°) VIA dispensationes matrimoniales a R. P. impetrentur; 2°) quas dispensationes concedat *S. Poenitentiaria*, quas vero *Dataria Apostolica*; 3°) pro *quibusnam* dispensationibus exigatur TAXA solvenda; 4°) quae sit dispensatio in forma *ordinaria*, quae vero in forma *pauperum*; 5°) *an* valeat dispensatio petita in forma *pauperum*, si oratores non sint pauperes; 6°) *quinam* ad Tribunalia Romana *recurrere* possint? . . 212

CAP. 4. De proponendis in libello supplici, seu de Stylo Curiae Romanae.

Q. 154. *Quaenam* in LIBELLO supplici necessario sint *exprimenda*, quando petitur dispensatio: 1°) in impedimento *publico*; 2°) in impedimento *occulto*? 214

CAP. 5. De exsecutione dispensationis pontificiae.

Q. 155. *Quisnam*, pro *foro externo*, COMMITTI soleat pro *exsecutione* dispensationis romanae? 218

Q. 156. *An* VERIFICATIO *precum*, quae in rescripto praescribitur, necessaria sit pro *valore* dispensationis? 219
Q. 157. Dic : 1°) *quandonam* praescribatur SEPARATIO oratorum facienda; 2°) *in quo* consistat; 3°) *quanto* TEMPORE durare debeat; et 4°) an sub *poena* NULLITATIS sit ab exsecutore *imponenda* vel ab oratoribus *observanda*? 221
Q. 158. *Quae* sint praecipuae CLAUSULAE, quae in rescriptis S. POENIT. apponi solent? 222
Q. 159. *Quid* agendum, si oratores, conscii impedimenti et complices peccati, *diversos* habeant *confessarios*? 224
Q. 160. *Quid* facto opus, si *post fulminatam* dispensationem super uno imp. dirimente, 1°) *detegatur* et aliud ante eam jam exsistens; 2°) *novum* suboriatur; aut 3°) copula *iteretur* ex qua orta fuit affinitas? . . . . . »

SECTIO 4ª. — DE REVALIDATIONE MATRIMONII.

CAP. UNIC. De officio parochi et confessarii in casu matrimonii invalide contracti, deque modo illud revalidandi.

Q. 161. *Quid* agere debeat parochus vel confessarius, qui *certo novit* matrimonii alicujus *nullitatem*? 225
Q. 162. *Quomodo* matrimonium irritum *revalidari* possit? . 226
Q. 163. *Quid* 1°) sit SANATIO IN RADICE; 2°) *quomodo* ab ORDINARIA dispensatione *differat;* 3°) *quinam* sint illius EFFECTUS; 4°) *quisnam* possit dispensare IN RADICE; et 5°) *quaenam* CONDITIONES ad hoc requirantur? 227

PARS QUARTA.

DE USU ET DEBITO CONJUGALI

CAP. 1. De honestate actus conjugalis.

Q. 164. *An* actus CONJUGALIS sit *licitus* et possit esse *meritorius*? 229
Q. 165. *Quis* 1°) sit debitus FINIS; 2°) *quae* vero debitae CIRCUMSTANTIAE ad actum conjugalem *licite* exercendum? . . »

CAP. 2. De obligatione actus conjugalis.

Q. 166. *Quae* et *quanta* sit OBLIGATIO debiti conjugalis? . . 231
Q. 167. *Quandonam* conjux EXCUSETUR a *reddendo* debitum? . »
Q. 168. *Quomodo* 1°) se geret uxor cum viro ONANISTA; et 2°) *qualiter* peccavit, actioni viri *interius* consentiendo, etsi *exterius* repugnantiam ostendat? 233
Q. 169. *Quale* MEDIUM a confessario insinuari possit iis conjugibus, qui alioquin *onanismo* indulgerent? 234

CAP. 3. De actibus carnalibus conjugum extra debiti exercitium habitis, ubi de peccatis conjugum.

Q. 170. Dic : 1°) *quotupliciter* distingui possint ACTUS CARNALES conjugum *extra copulae exercitium* positi'; et 2°) *quinam* eorum sint LICITI, *quinam* MORTALES, *quinam* VENIALES tantum? "
Q. 171. *An* PECCENT conjuges qui, ad vitandam prolem, copulam non habent nisi solo tempore *ageneseos*, seu quo foecunditas raro locum habere solet? 238
Q. 172. Ad *quid* ATTENDERE debeat confessarius, dum audit confessiones *conjugum*? . . . . . "

APPENDIX.

CAP. UNIC. De juris civilis solemniis non omittendis.

Q. 173. An solemnitates *a jure civili* pro matrimonii celebratione praescriptae sint omittendae? 240
Q. 174. *Quomodo* in his partibus agendum, si quis coram Ecclesia vel 1°) *inire intendat*, vel 2°) *jam contraxerit*, sed, in utroque casu, sive *neglecto actu civili*, sive *cum impedimento civili dirimente*? 241
Q. 175. *Quomodo* agendum, si quis, *antequam* coram Ecclesia contraxerit, juris civilis solemnia *adimplevisset* cum impedimento *civili dirimente*? 243

DE INDULGENTIIS ET JUBILAEO.

PRAEAMBULUM 245

PARS PRIMA.

DE INDULGENTIIS.

CAP. 1. De quidditate indulgentiarum, divisione, utilitate et potestate eas concedendi deque earum publicatione.

Q. 1. *Quid* sit INDULGENTIA? 246
Q. 2. *Quotuplici* ratione distinguatur INDULGENTIA? . . . 249
Q. 3. *An* INDULGENTIAE sint *utiles*, deturque in Ecclesia *potestas* eas concedendi? 251
Q. 4. *Quis* possit *concedere* INDULGENTIAS? 253
Q. 5. *An* 1°) ad indulgentiarum VALOREM requiratur *justa causa;* et 2°) an *eidem* pietatis *actui* aut *eidem rei*, jam *indulgentiis ditatae*, possint a praelatis R. Pontifice inferioribus, *novae* adnecti indulgentiae? 255

CAP. 2. De vivis quibus applicantur indulgentiae.

Q. 6. *Quinam* VIVENTES sint *capaces* indulgentiarum? . . 259
Q. 7. *Quaenam* requirantur, ut VIVI, indulgentiarum capaces, eas sibi lucrentur, i. e. earum fructum sibi applicare valeant? . 260
Q. 8. *An* peccatum VENIALE, quoad culpam non remissum, possit esse OBEX ad lucrandam indulgentiam *plenariam*? . . . 263

CAP. 3. De defunctis quibus applicantur indulgentiae.

Q. 9. Dic : 1°) *an*, et 2°) *quomodo* indulgentiae possint concedi et applicari *defunctis* ; et 3°) *an* ipsis prosint *infallibiliter*? . . »
Q. 10. *Quaenam* CONDITIONES requirantur, ut indulgentiae *prosint* animabus *in purgatorio* detentis? 266
Q. 11. *An* MAGIS sit meritorium indulgentias liberas potius *defunctis* quam *sibi* applicare? 268
Q. 12. *Quid* 1°) sit actus charitatis *erga defunctos*, quem vulgo vocant VOTUM HEROICUM ; et 2°) *utrum* a S. SEDE sit *commendatus*? 269

CAP. 4. De operibus injunctis pro Indulgentiis lucrandis.

Q. 13. *An* et *quomodo* injuncta opera sint ADIMPLENDA ad indulgentias *lucrandas*? 271
Q. 14. *An*, ad LUCRANDAM indulgentiam, requirantur : 1°) opera *alias indebita* ; 2°) *confessio*? 276
Q. 15. In casibus ubi requiritur CONFESSIO, *quandonam* haec institui *debeat*? 277
Q. 16. *An*, ad lucrandam indulgentiam *plenariam*, requiratur *communio*? 279
Q. 17. *An* possimus *eadem die* lucrari *pluries* indulgentiam EAMDEM? . . . . . »
Q. 18. *An* possimus *eadem die* lucrari *plures* indulgentias DIVERSAS? 282
Q. 19. *An* COMMUTATIO *operum*, si concedatur, necessario facienda sit *in confessione*? 284

CAP. 5. De tempore quo incipiant indulgentiae lucrandae deque duratione, cessatione et translatione indulgentiarum.

Q. 20. Dic : 1°) quo *tempore* incipiant indulgentiae, et 2°) *quousque* DURET seu *permaneat* earum concessio? 285
Q. 21. *Quomodo* CESSENT indulgentiae? 286
Q. 22. *Quid* dicendum circa TRANSLATIONEM indulgentiarum? . 288

CAP. 6. De quibusdam indulgentiis in specie : Viae Crucis, Altaris Privilegiati, Coronarum, Scapularium.

ART. 1. De S. Via Crucis.

Q. 23. Dic : 1°) *quales* sint indulg. adnexae exercitio **Viae Crucis**; et 2°) *quaenam* REQUIRANTUR ad illas lucrandas? . . 289
Q. 24. *Quae* REQUIRANTUR ad indulgentias **Viae Crucis** *privatim* lucrandas cum CRUCIFIXO? 296
Q. 25. *An* TABULAE vel IMAGINES sint necessarise pro **Via Crucis?** 297
Q. 26. *An* PEREANT indulgentiae **Viae Crucis:** 1°) si cruces stationum *partim* aut *integre* e loco *removeantur ad tempus*, ut denuo eidem loco restituantur: 2°) si *in minori quantitate* ob vetustatem *renoventur;* 3°) si *commutarentur quoad locum;* 4°) si a vetustis tabulis ad novas *transferantur*? . . . 298

ART. 2. De Altari privilegiato.

Q. 27. *Quid* 1°) sit indulgentia **Altaris privilegiati**; 2°) *quotuplex* sit *altaris* PRIVILEGIUM, et quaenam circa *singulum* veniant *notanda*? . . . . . »
Q. 28. *An* **privilegium Altaris** valeat applicari *pluribus* defunctorum animabus in *eadem missa*? 300
Q. 29. *An* 1°) ad lucrandum indulgentiam **Altaris privilegiati** missa debeat esse DE REQUIEM; et *an* 2°) MISSA pro *uno*, INDULGENTIA vero pro *alio* possit applicari? 301

ART. 3. De Coronis et Rosariis.

Q. 30. **Coronae** et **Rosaria** *an* 1°) PROMISCUE accipienda sint; 2°) ex *quanam* MATERIA possint confici, ut valeant benedici cum applicatione indulgentiarum; 3°) *quomodo* debeant BENEDICI ad applicandas indulgentias; 4°) *an* UNI coronae possint applicari *diversae* indulgentiae? 303
Q. 31. *Quid* speciatim dicendum de coronis : 1°) **S. Birgittae;** 2°) **Crucigerorum?** 306
Q. 32. *Quid* speciatim notandum circa rosarium **S. Dominici?** 307

ART. 4. De Scapularibus.

Q. 33. **Scapularia,** ut ipsis adnecti possint indulgentiae, *cujusnam* debeant esse : 1°) MATERIAE; 2°) FORMAE? . . . 309
Q. 34. **Scapul.** quomodo debeant 1°) *gestari;* 2°) *imponi*? . 311
Q 35. *Quousque* se EXTENDAT data facultas *benedicendi* et *imponendi* **Scapularia?** 314
Q. 36. Quae sint indulgentiae et privilegia concessa confratribus **Scapularis** ; 1°) B. M. V. *de Monte Carmelo;* 2°) *Immac. Conceptionis?* 315

APPENDIX A.

De Gregoriano Tricenario (Trentains pour les défunts), *de Altari S. Gregorii in Monte Coelio et de Altaribus Gregorianis ad instar*, seu per communicationem 318

APPENDIX B.

De Confraternitatibus 320

APPENDIX C.

De Tertio Ordine saeculari S. Francisci 324

APPENDIX D.

De selectis quibusdam precibus jaculatoriis quibus indulgentiae **toties quoties** *etiam pro defunctis adnectuntur* . . . 327

PARS SECUNDA.

DE JUBILAEO.

CAP. 1. De ejus natura, antiquitate, divisione et aliarum indulgentiarum tempore jubilaei suspensione.

Q. 37. *Quid* 1°) sit JUBILAEUM; an 2°) ejus *usus* sit antiquissimus; 3°) *quotuplex* distinguatur; 4°) an tempore jubilaei *Anni Sancti* aliae indulgentiae *suspendantur*? 330

CAP. 2. De operibus ad lucrandum jubilaeum praemittendis.

Q. 38. *Quaenam* 1°) sint OPERA pro jubilaeo lucrando ordinarie praescripta; an 2°) debeant esse *supererogatoria* seu aliunde non debita: an 3°) *intra tempus* pro jubilaeo lucrando praefixum sint *adimplenda?* 332
Q. 39. *Quaenam* speciatim sint OBSERVANDA circa: 1°) *confessionem;* 2°) *communionem;* 3°) *visitationem ecclesiarum;* 4°) *preces ad intentionem S. P.*, pro lucrando jubilaeo requisitas? . 333
Q. 40. *Quid* speciatim notandum circa: 1°) JEJUNIUM et 2°) ELEEMOSYNAM in ordine ad jubilaeum lucrandum? 338
Q. 41. Dic: 1°) *quaenam* ex dictis operibus COMMUTARE ordinarie possit confessarius; et 2°) *quomodo* haec COMMUTATIO sit facienda? 340
Q. 42. *An* quis, opera praescripta **pluries** praestando, *pluries* lucrari possit idem jubilaeum? 341

CAP. 3. De privilegiis in jubilaeo concedi solitis.

Q. 43. *Quaenam* in jubilaeo soleant concedi PRIVILEGIA? . . . 342
Q. 44. *Quid* dicendum circa privilegium ELIGENDI CONFESSARIUM? 343
Q. 45. *Quid* notandum circa privilegium *absolvendi a* RESERVATIS et CENSURIS? . . . . . »
Q. 46. *Quid* notandum circa privilegium *commutandi* **vota?** . 347
Q. 47. *Quid* notandum circa privilegium *dispensandi* **super irregularitate?** 348
Q. 48. *An* et *quale* sit *peccatum* jubilaeum concessum **non lucrari?** . . . . . »

DE IRREGULARITATIBUS.

PRAEAMBULUM 349

CAP. 1. De irregularitatibus in communi. Ubi de earum quidditate, subjecto, effectibus, divisione et conditionibus ad illas requisitis.

Q. 1. *Quid* sit IRREGULARITAS? 349
Q. 2. *Qui* sint: 1°) *subjectum* IRREGULARITATIS; 2°) ejus *effectus?* 350
Q. 3. *Quotupliciter* distinguatur IRREGULARITAS? . . . 352
Q. 4. *Quaenam* requirantur *conditiones* ad IRREGULARITATEM incurrendam? . . . . . »

CAP. 2. De irregularitatibus in specie.

ART. 1. De irregularitatibus ex defectu.

Q. 5. *Quot* et *quales* sint IRREGULARITATES *ex defectu?* . . 353
Q. 6. *Quinam* sint irregulares *ex defectu* ANIMI? . . . »
Q. 7. *Quinam* sint irregulares *ex defectu* CORPORIS? . . . 354
Q. 8. *Qui* 1°) sint irregulares *ex defectu* NATALIUM; et 2°) *cur* ita sit statutum? . . . . . »
Q. 9. *Quinam* sint illegitimi *ex defectu*: 1°) AETATIS; 2°) LIBERTATIS? 355
Q. 10. *Quinam* et *cur* sint irregulares *ex defectu* SACRAMENTI? . 356
Q. 11. *Quinam* 1°) sint irregulares *ex defectu* LENITATIS, et 2°) *quae* sit RATIO hujus irregularitatis? . . . . »
Q. 12. *Quinam* sint irregulares *ex defectu* FAMAE? . . . 358

ART. 2. De irregularitatibus ex delicto.

Q. 13. *Quae* sint irregularitates EX DELICTO? 359
Q. 14. *Quinam* sint irregulares EX ABUSU SACRAMENTI, seu OB MALAM SUSCEPTIONEM vel ITERATIONEM BAPTISMI? . . . »

Q. 15. *Quinam* sint irregulares EX ABUSU ORDINIS seu 1°) ob ORDINUM USURPATIONEM, 2°) ob ILLICITAM SUSCEPTIONEM? . 360
Q. 16. *Quinam* sint irregulares EX VIOLATIONE CENSURAE? . 362
Q. 17. *Quinam* sint irregulares *ex delicto* INFAMANTE? . . »
Q. 18. *Quinam* sint irregulares *ex delicto* : 1°) HOMICIDII ; 2°) MUTILATIONIS? 363
Q. 19. *An* incurratur irregularitas in dubio *facti* de homicidio vel mutilatione? 366

CAP. 3. De irregularitatis cessatione.

Q. 20. *Quibus* MODIS *cesset* seu *tollatur* irregularitas? . . 367
Q. 21. *Quis* possit DISPENSARE super irregularitatibus? . . »
Q. 22. *Quaenam* sint observanda circa MODUM *postulandi* et *exsequendi* dispensationem super irregularitatibus? . . . 369

DE POENIS CANONICIS.

PRAEAMBULUM 370
Q. 1. Dic : 1°) *quid*, et 2°) *quotuplex* sit POENA *canonica*? . »

PARS PRIMA.

DE POENIS VINDICATIVIS.

CAP. UNIC. De depositione et degradatione. Ubi de cessatione a divinis.

Q. 2. *Quid* sit DEPOSITIO? 371
Q. 3. Dic : 1°) *quid*, et 2°) *quotuplex* sit DEGRADATIO ; et 3°) *a quo* fieri debeat? 372
Q. 4. *Quid* 1°) sit CESSATIO A DIVINIS, et 2°) *quinam* sint ejus EFFECTUS? 373

PARS SECUNDA.

DE POENIS MEDICINALIBUS SEU CENSURIS.

SECTIO 1ª. — DE CENSURIS IN GENERE.

CAP. 1. De quidditate et divisione censurarum.

Q. 5. *Quid* sit CENSURA? 374
Q. 6. *Quomodo* CENSURA *dividatur*? 376
Q. 7. *Quae* sit 1°) censura A JURE: *quae* vero 2°) AB HOMINE ; 3°) *quomodo* inter se DIFFERANT? . . . . . »
Q. 8. *Quae* 1°) sit censura LATAE ; *quae* vero 2°) FERENDAE sententiae; et 3°) *quomodo* una ab ab altera DISCERNATUR? . . 378

CAP. 2. De potestate ferendi censuras. Ubi et de forma essentialiter servanda et monitionibus praemittendis.

Q. 9. *An* 1°) in Ecclesia detur POTESTAS *ferendi* censuras; 2°) *quotupliciter* haec DISTINGUATUR; et *quaenam* 3°) requirantur, ut VALIDE exerceatur? 379
Q. 10. *An* EPISCOPUS posset ferre censuram, si sit *extra* dioecesim? 382
Q. 11. *Qualis* forma ESSENTIALITER requiratur in ferendis censuris? . . . . . »
Q. 12. *Quandonam* requiratur ADMONITIO *canonica*? . . . 383
Q. 13. *Quomodo* admonitio CANONICA fieri debeat? . . . . »

CAP. 3. De subjecto censurae.

Q. 14. *Quisnam* sit SUBJECTUM censurarum? 384
Q. 15. *An* subditus, EXTRA SUAM DIOECESIM EXSISTENS, ligetur censuris *proprii sui episcopi*? 385
Q. 16. *An* PEREGRINI ligentur censuris *locorum* per quae transeunt sine animo ibi manendi? 386
Q. 17. *An* episcopi possint ferre censuras in *regulares exemptos*? »
Q. 18. *An* PRAELATI *regulares* possint ferre censuram in suos subditos, *in quocumque loco exsistant*? 387
Q. 19. *An* censurae *subjectum* possit esse INTEGRA COMMUNITAS? »
Q. 20. *Quomodo* se gerere debeat DUBITANS circa censuram? . . »
Q. 21. *An* quis possit *pluribus* censuris SIMUL innodari? . . . 388

CAP. 4. De materia censurarum.

Q. 22. *Quodnam peccatum* sit MATERIA censurae? 389
Q. 23. *An* possit quis LIGARI censura ob peccatum *alienum*? . 390

CAP. 5. De causis excusantibus ab incurrendis censuris.

Q. 24. *Quaenam* sint CAUSAE *excusantes* a censura? . . . . »

CAP. 6. De absolutione censurarum.

Q. 25. *Quomodo* TOLLANTUR censurae? 392
Q. 26. *Quinam* a CENSURIS *absolvere* possint? 393
Q. 27. *Quid* requiratur in absolutione CENSURARUM: 1°) ex parte *absolventis*; 2°) ex parte *absolvendi*; 3°) ex parte *formae* absolutionis? 396

SECTIO 2a. — DE CENSURIS IN SPECIE.

ART. 1us. De excommunicatione.

CAP. UNIC. De natura excommunicationis, divisione et effectibus.

Q. 28. Dic : 1°) *quid*, et 2°) *quotuplex* sit EXCOMMUNICATIO? . 398
Q. 29. *Quid* 1°) sit excommunicatio MINOR ; 2°) *quinam* sint ejus EFFECTUS, et 3°) *quotuplex* DISTINGUATUR? 399
Q. 30. *Quid* 1°) sit excommunicatio MAJOR, et 2°) *quotupliciter* excommunicati excommunicatione MAJORI *distinguantur?* . 400
Q. 31. *Quotupliciter* effectus excommunicationis MAJORIS distinguantur? 402
Q. 32. *Quid* dicendum de 1° effectu excomm. MAJORIS, seu de privatione 1°) *activa* et 2°) *passiva sacramentorum?* . . 403
Q. 33. *An* et *qualiter* peccet et *in poenam* incidat, qui 1°) RECIPIT sacramenta ab *excommunicato ;* 2°) ADMINISTRAT sacramenta EXCOMMUNICATO? 404
Q. 34. *Quid* dicendum de 2° effectu excom. MAJORIS, seu de privatione *communium Ecclesiae suffragiorum?* 405
Q. 35. *Quid* dicendum de 3° effectu excom. MAJORIS, seu privatione *divinorum officiorum?* 406
Q. 36. *Quid* dicendum de 4° effectu excom. MAJORIS, seu de privatione *jurisdictionis ecclesiasticae?* 407
Q. 37. *Quid* dicendum de 5° effectu excom. MAJORIS, seu de privatione *sepulturae ecclesiasticae?* 408
Q. 38. *Quid* dicendum de 6° effectu excom. MAJORIS, seu de privatione *communionis*, tum *civilis*, tum *forensis?* . . . . "
Q. 39. *Quae* sint CAUSAE licitam reddentes communionem cum *vitandis* in rebus *humanis*, seu in *civilibus* et *forensibus?* . 409
Q. 40. *Quid* dicendum de 7° et 8° effectu excom. MAJORIS, seu 1°) de *inhabilitate ad beneficia* et 2°) de *nullitate rescriptorum pontificiorum?* 410

ART. 2us. De suspensione.

CAP. UNIC. De quidditate suspensionis, divisione, effectibus et absolutione.

Q. 41. *Quid* 1°) sit SUSPENSIO, et 2°) *quomodo* DIFFERAT ab aliis censuris? 412
Q. 42. *Quotupliciter* SUSPENSIO *distinguatur?* . . . . . "
Q. 43. *Quaenam* sint REGULAE ad dignoscendum quousque se extendat suspensio, seu an sit *totalis*, an vero *partialis?* . 413
Q. 44. *Quomodo* intelligenda sit SUSPENSIO quae dicitur *a divinis*, sine alio addito? 416

Q. 45. *Quaenam* SERVANDA sint in inflictione *suspensionis*? . 417
Q. 46. *An* 1°) SUSPENSIO ferri possit *ex informata conscientia*, et 2°) *an* tunc VIM *censurae* obtineat? . . . . . »
Q. 47. *An* SUSPENSIO lata in *definitum* tempus, sive longum, sive breve, sit *proprii nominis* censura? 420
Q. 48. *Quinam* sint EFFECTUS suspensionis? . . . . . »
Q. 49. *An* PECCET, qui a suspenso *petit* exercitium illius, a quo est suspensus? 421
Q. 50. *Quid* dicendum circa *absolutionem* suspensionis? . . »

ART. 3us. De interdicto.

CAP. UNIC. De quidditate interdicti, divisione, effectibus et absolutione.

Q. 51. *Quid* 1°) sit INTERDICTUM, et 2°) QUOMODO *differat* a suspensione et excommunicatione? 422
Q. 52. *Quotuplex* sit INTERDICTUM? . . . . . »
Q. 53. *Quaenam* sint REGULAE observandae in interdicto 1°) *locali*, 2°) *personali*? 423
Q. 54. *Quinam* sint EFFECTUS interdicti? 425
Q. 55. Dic : 1°) *qualiter* PECCENT. et 2°) in *quam* POENAM incurrant *violatores* interdicti? 427
Q. 56. *Quis* possit ABSOLVERE ab interdicto? . . . . . »
Q. 57. *Quid* sit INTERDICTUM, quod vocatur *ab ingressu ecclesiae*? 428

APPENDIX I

SEU ADNOTATIONES IN CONSTITUTIONEM

« *APOSTOLICAE SEDIS* »

QUA CENSURAE LATAE SENTENTIAE LIMITANTUR.

PRAEAMBULUM 429

TENOR CONSTITUTIONIS

CUM NOTIS APPOSITIS AD SINGULAS CENSURAS.

Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae 432
Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici [simpliciter] reservatae 448
Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae 473
Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae . . 479
Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae . 486
Interdicta latae sententiae reservata 498

APPENDIX II

SEU ADNOTATIONES IN CONST. LEON. XIII

« OFFICIORUM AC MUNERUM »

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM.

NOTIONES PRAEVIAE 505

PARS I.

Seu Introductio 507

PARS II.

Decreta generalia de prohibitione et censura librorum . . 509

TITULUS I. — DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

CAPUT I. — De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris . . . . . »
CAPUT II. — De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae 511
CAPUT III. — De versionibus vernaculis in lingua vulgari . . »
CAPUT IV. — De libris obscenis 512
CAPUT V. — De quibusdam specialis argumenti libris . . . 513
CAPUT VI. — De sacris Imaginibus et Indulgentiis . . . 515
CAPUT VII. — De libris liturgicis et precatoriis 516
CAPUT VIII. — De diariis, foliis et libellis periodicis . . . 517
CAPUT IX. — De facultate legendi et retinendi libros prohibitos 518
CAPUT X. — De denunciatione pravorum librorum . . . 519

TITULUS II. — DE CENSURA LIBRORUM.

CAPUT I. — De Praelatis librorum censurae praepositis . . »
CAPUT II. — De censorum officio in praevio librorum examine . 521
CAPUT III. — De libris praeviae censurae subjiciendis . . 522
CAPUT IV. — De typographis et editoribus librorum . . . 524
CAPUT V. — De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis 525

INDEX ALPHABETICUS

NUMERUS *Romanus* INDICAT TOMUM, *Arabicus* VERO PAGINAM.

A.

A. B. C. D. Quod missam legendam III, 145.

Abbates seu *Praelati inferiores*. Quoad potestatem ferendi leges I, 117. — Quoad votorum irritationem 409. — Quoad missam pro populo III, 120.— Quoad candelas in missa 156.— Quoad consecrationem SS. Vasorum et Campanarum 157. — Quoad reservationem casuum eorumque absolutionem 338 seq.— Quoad tonsuram et ord. minores 456. — Quoad indulgentias IV, 255. — Quoad potestatem ferendi censuras 381 et 387.—Quoad absolutionem censurarum 395. — Quoad libros prohibitos 518.

Abbatissa. Quoad potestatem ferendi leges I, 117.— Quoad irritationem votorum 409.— Quoad earum initiationem III, 461.— Quoad potestatem ferendi censuras IV, 381.

Abigeatus. Quid sit II, 74.

Abjuratio a Massonibus petenda IV, 456.

Ablutio. Quoad baptismum II, 455 seq.

Abominationis odium quid sit I, 314 seq.

Abortus. Quid sit IV, 476.— Directe procurare non licet I, 457.— An et quando indirecte 458.— Poenae in procurantes abortum IV, 475 seq.

Abrogatio. Legis I, 167. — Consuetudinis 183.

Absens. Quoad leges sui territorii I, 130 seqq. — Quoad absolutionem a peccatis III, 217. — Quoad censuras IV, 385 seq — Quoad earum absolutionem 396.

Absentia. Quoad episcopos II, 313. — Quoad canonicos 313 seq. — Quoad parochos 316. — Quoad obligationem denuntiandi episcopos absentes IV, 500 seq.

Absolutio. Quoad peccata III, 209 seqq. — Quoad casus reservatos 331 seqq. — Quoad complicem in peccato turpi 340 seqq. et IV, 443 seqq — Quoad indulgentias IV, 251, 265 et 325. — Quoad censuras 392 seqq.

Absolvere praesumentes a censuris *specialiter* R. P. reservatis, ipsi excommunicationem incurrunt R. P. simpliciter reservatam IV, 448 et 472 seq.

Abstinentia. Extra jejunium I, 500 seq. — In jejunio 509 seq.

Abusus. Quoad Missarum eleemosynas III, 132 et IV, 466 et 474. — Quoad potestatem in confessario III, 339 seqq.

Acceleratio partus I, 460 et IV, 476.

Acceptatio. Quoad legem I, 137. — Quoad promissionem II, 202 seqq. — Quoad donationem 208. — Quoad haereditatem 212 seq.

Acceptio. Injusta II, 98.

Accessio. Ut est modus acquirendi II, 52 seqq.

Accidentia. In Eucharistia III, 17 seq.

Accipere vel *dare* aliquid pro administratione Sacramentorum an liceat II, 413 seqq.

Accusatio judicialis. II, 275.

Accusator seu *Actor*. In judicio II, 275. — In judicio sanguinis fit irregul. IV, 357.

Accusatus. An possit accusatori vel testi crimen imponere II, 170 et 274.

Acedia. Quid, quale peccatum, ejus filiae et remedia I, 224 seq.
Acescens vinum quoad consecrationem III, 28 seq.
Acolythatus III, 500 seq.
Acta S. Sedis. Quid IV, 442.
Actiones. An liceat clericis eas emere II. 310 seqq.
Actus. Sunt *duodecim* qui concurrere possunt ad actum humanum I, 6 seq.
Actus conjugalis. Quoad communionem III, 81. — Quoad honestatem IV, 229 seqq. — Quoad obligationem 231 seq.
Actus externus. Quoad bonitatem vel malitiam actus interni I, 49.
Actus heroicus. Quoad legem I, 124. — Quoad indulgentias IV, 269 seqq.
Actus hominis. Quidditas I, 2 seq.
Actus humanus. Quidditas, principia, divisio I, 1 seqq. Cfr. *Index Syn.* tom. I.
Actus indifferens. An detur I, 48 seq.
Actus internus. Quoad legem I, 124.
Actus moralis. Quidditas I, 4 et 45 seq. — Objectum, circumstantiae, finis 53 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Adam. Ejus peccatum nobis voluntarium I, 8 seq. et 152.
Additio. In formis sacramentorum II, 385. — Signanter Baptismi 458. In missa III, 171.
Adeps in die jejunii I, 509 et 512 seq.
Adjunctio. Ut est modus acquirendi II, 53 seq.
Adjuratio. Quidditas I, 386 et 396 seq. — An licita 398 seq.
Administratores ecclesiarum quoad stipendia III, 131.
Admixtio. Vid. *Adulteratio.*
Admonitio canonica. Quoad censuras IV, 382 seq.
Adoptio. Quidditas IV, 149 seq. — Ut impedimentum dirimens 150 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Adoratio. Quid, quotuplex I, 341 seqq.
Adrogatio IV, 150.
Adulteratio. Quoad mercium venditionem II, 239 seq.
Adulterium. Ut peccatum I, 241 seq. — Ut causa restitutionis II, 164 seqq. — Ut causa separationis conjugum IV, 91 seqq. — Ut causa divortii civilis 95 seqq. — Ut impedimentum matrimonii 152 seqq.
Adultus. Qualem habere debeat intentionem ad validam susceptionem sacramentorum II, 421 seq. — Ejus dispositiones requisitae pro baptismo 468.
Advena. V. *Peregrinus.*
Adventitia bona II, 26.
Advertentia. In peccato I, 194 seqq.
Advocati. Officia II, 270 seq. — In causa divortii IV, 101.
Aedificatio. Ut est modus acquirendi II, 53 seqq.
Aemulatio. Quid I, 223.
Aequiprobabilismus. Quid sit I, 99 seq. — An sit systema S. Lig. 100 seq.
Aequivocatio seu *Amphibologia* I, 474 seq. et II, 273.
Aere alieno gravatus an possit ingredi in religionem II, 155 seq.
Aetas. Quoad leges servandas I, 128 seq. — Quoad jejunium 505. — Quoad annuam confessionem 518 seq. — Quoad communionem paschalem 524 seq. — Quoad communionem in articulo mortis et primam communionem 524 seq. Quoad matrimonium IV, 169. — Quoad irregularitatem 355.

Aether. Ejus usus in operationibus chirurgicis I, 233.
Affectus praesentis saeculi, filia luxuriae I, 237.
Affinitas. Prout dirimit matrim. tom. IV, 169 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* — Prout matrimonio accedit 177.
Agapae. Quid III, 9.
Agenesis. Quid IV, 234 et 238.
Aggressor. Vitae, bonorum fortunae, pudicitiae, famae I, 453 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Agnus Dei. Ut sacramentale II, 435.
Agnus paschalis. Ut praecipua figura Eucharistiae III, 7.
Agricolae. Quoad jejunium I, 514.
Alapa in Confirmat. II, 514.
Albæ. Quoad missam III, 163. — Quoad ejus benedict. et exsecrat. *ibid.* — Quoad duplicem ejus significationem 165 seq.
Alea. Contractus aleatorii II, 259. — Ludus alearum 262.
Alienatio. Quoad dominia S. Sedis IV, 467 seq. — Quoad bona ecclesiastica 480 seq.
Alluvio. Ut modus acquir. II, 53 seq.
Altare. Cur *lapideum* III, 153 seq. — Quid *fixum*, quid *mobile* 154. — Quandonam *exsecretur* ibid. — Quid *privilegiatum* IV, 299 seqq. — Quid sit altare *S. Greg, in Monte Coelio* et quid altare *Gregorianum ad instar* ibid. 319 seqq.
Aluminium. Quoad calicem et patenam III, 158.
Amasii. Quid de illis dicendum I, 266 seqq
Ambitio. Filia superbiae I, 220.
Amentes. Quoad leges servandas I, 126 seq. — Quoad dominium II, 21. — Quoad sacramenta 416.
Amictus. Quoad missam III, 162. — Quoad benedictionem et exsecrationem *ibid.* — Quoad duplicem significationem 165 seq.
Amissae res. Quoad occupationem II, 50 seq.
Amissio status. Ut excusans a restitutione II, 152.
Amissio virtutum I, 272 seq.
Amor boni in communi an sit actus humanus I, 2. — Quid sit amor *benevolentiae*, quid *concupiscentiae* 308 et III, 226 seq. — Filiorum erga parentes I, 431. — Parentum erga filios 433.
Amor sui, filia luxuriae I, 237.
Amphibia. Quoad abstin. I, 511.
Amphibologia. Vid. *Aequivocatio.*
Ampullae. Quoad missam III, 160.
Angelus. Ut indulgentia IV, 337 seq.
Anglicanae ordinationes III, 455.
Angustia loci. Ut causa dispensandi in matrim. IV, 207.
Animae in purgatorio an possint invocari I, 352.
Animalia. Quoad occupationem II, 43 seq.
Animatio. Quoad foetum II, 465, 481 seq. et IV, 475 seq.
Animus. Clericandi III, 465 seq. — Irregulares ex defectu animi IV, 353 seq.
Annulus. Quoad bened. nupt. IV, 102.
Annus sanctus IV, 331 seqq.
Anticipatio horae. Quoad refectionem in jejunio I, 504 seq. — Quoad matutinum et laudes II, 291 seq.
Antipendium seu *Pallium.* Quoad ornatum altaris III, 155.
Aperitio litterarum an liceat I, 495.
Apostasia. Quid, quotuplex I, 300. — Quoad irregularitatem IV, 363. Quoad poenam 433 seq.
Apostatae religiosi II, 346.

Apostoli. An unquam baptizaverint in nomine Jesu tantum II, 458 seq.
Apparitiones. In Eucharistia III, 19 seq. — Quoad animas purgatorii II, 95. — Quoad libros prohibitos IV, 514.
Apparitores. Quoad judicium sanguinis IV, 357.
Appellantes. Quoad poenas IV, 436 et 498.
Appellatio. A lege an liceat I, 137.
Appetitus sensitivus quomodo moveatur a voluntate I, 5.
Applicatio Missae III, 115 seqq. — Indulgentiarum pro defunctis IV, 263 seqq.
Approbatio. Quoad confessarios III, 308 seqq. — Quoad libros IV, 518 seq.
Aqua. Lustralis seu benedicta II, 433. — In Baptismo 452 seq.; — Vino miscenda in missa, in quanam quantitate et cur III, 29 seq.; — Cur non benedicatur in Missa de requiem 30; — Quid de illa aqua fiat in consecratione 30 seq.; — Quid si aqua non fuerit apposita 32.
Ara. Quoad missam III, 153 seq.
Archiepiscopatus. Quid III, 445.
Archiepiscopi. Quoad indulgentias IV, 254. — Quoad immunitatem 437 seq.
Architecti quoad templa haereticorum I, 333 seq.
Arctatus. Quis II, 315. — III, 458 seq. et IV, 488.
Arctitudo vasis in muliere IV, 198.
Armorum gestatio. Quoad clericos II, 307. — Quoad religiosos IV, 502.
Arreptitii seu *energumeni* sunt irregulares IV, 353,
Arrha. In sponsalibus IV, 17 seq.
Ars notoria. Quid I, 362.
Articuli fidei. Quinam *explicite* credendi I, 286.
Articulus mortis. Quoad benedictionem apostolicam III, 412 seq.
Artifices. Quoad cooperat. I, 333 seq. — Quoad injustitiam II, 278 seq.
Aruspicium. Species divinat. I, 358.
Aspectus. Extra connubium I, 262.
Assasinium. Species homic. I, 449.
Assecuratio II, 259 seq.
Asserens pertinaciter confessionem necessario praemittendam non esse communioni, excommunicatur IV, 484.
Asservatio Eucharistiae III, 50 seqq.
Assessores. Ut cooperatores negativi II, 129. — Ut concurrentes ad judicium sanguinis IV, 357.
Assistentia funeribus, sepulturae, etc., haereticorum III, 439 seq. et IV, 434. — Parochi et testium matrimonio IV, 183 seqq.
Astrologi seu *Priscillianistae.* Circa libertatem I, 22.
Astrologia. Quid I, 360.
Asyli *ecclesiastici immunitas* IV, 458.
Attentio. In missa I, 419. — In Horis II, 298 seq. — In confectione sacramentorum 401.
Attritio. Quid III, 226 seqq.
Auctarium a lege concessum in mutuo II, 233 seq.
Auctores. Quoad probabilitatem I, 94 seq. — Quoad dominium II, 39.
Aucupium. Modus acquir. II, 43 seqq.
Augurium. Species divinat. I, 358.
Aurichalcum. Quoad calicem et patenam III, 158.
Auriga. Quoad jejunium I, 514.
Aurora. Quoad missam celebrandam III, 141 seq.
Auspicium. Species divinat. I, 358.

Avaritia. Quid, quale peccatum, ejus filiae et remedia I, 221.
Ave Maria. Quoad indulgentias in rosariis Crucigerorum IV, 306; — in recitatione SS. Rosarii 308.
Aves quoad jejunium I, 511.
Avocans a religione ad quid teneatur II, 71 et 158 seq.
Azymus panis III, 24 seq.

B.

Bajuli. Quoad jejunium I, 514.
Bajus. Circa libertatem I, 23, 25.
Baldachinum III, 151.
Balsamum. Quoad confirmationem II, 494 seq. et 513.
Banna. Quidditas, etc. etc. IV, 30 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Baptismus II, 439 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.
Beatorum cultus publicus limitatur quoad *locum* et *modum* I, 345 seq.
Belligerare. An liceat in dubio de justitia belli, — in bello injusto I, 466.
Bellum. Quid, quotuplex I, 446. — An licitum 464 seq. — Quid in dubio de ejus justitia 466.
Benedicamus Domino. Quoad missam III, 99.
Benedicens. Ut sacramentale II, 434.
Benedictio apostolica in art. mort. III, 412 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* t. III.
Benedictiones. Multiplices distinguuntur II, 435 seq.
Benedictio nuptialis IV, 102 seqq.
Benedictio post partem, in casu quo *proles* sine *baptismo mortua* est, II, 436.
Beneficiatus. Quoad bona superflua II, 34 seq. — Quoad horas canonicas 283 seqq. — Quoad missam celebrandam III, 124 seqq.
Beneficium inventarii. Quid II, 212 seq.
Beneficium ecclesiasticum. Quid, etc. II, 320 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.
Bestialitas. Quid I, 251.
Bibere ob voluptatem quale peccatum I, 227.
Biblia sacra. Quoad imprimentes seu imprimi facientes IV, 529.
Bibliopolae. Cfr. *Libri prohibiti.*
Bigamia. Triplex IV, 356.
Binatio. Quoad stipendium pro iterata missa III, 137 seq. — Quoad facultatem 143 seq. — Quoad calicem 144.
Birgittae (S.) corona IV, 306.
Biviratus IV, 76.
Blaesus. Quoad irregul. IV, 354.
Blasphemia I, 378 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Bona. *Externa* quoad dominium II, 19 seq. — *Filiorum* 25 seq. — *Uxorum* 28 seqq. — *Clericorum* 33 seqq. — *Religiosorum* 36 seqq. *Derelicta* et *vacantia* 47 seq. — Jure *belli* capta 48. — *Amissa* 50. — *Animi* 70 seq. — *Matrimonii* IV, 50 seqq.
Bona ecclesiastica. Tempore perturbationis gallicanae usurpata ad quem pertineant II, 177. — Censura lata in usurpantes vel sequestrantes bona ad ecclesiasticas personas pertinentia IV, 444. — Item contra usurpatores bonorum ecclesiae 473. — Item contra alienantes et recipientes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apost. 480 seq.
Bona fides. Quoad praescriptionem *acquisitivam* II, 58 seq. — Quoad praescriptionem *liberativam* 64.

Bonae fidei possessor. Quoad restitutionem II, 99 seqq.
Bonitas actuum humanorum I, 52 seqq.
Bonum pacis. Ut causa dispensandi IV, 208.
Brevia. Quid sint IV, 443.
Breviarium II, 281 seqq.
Bulla (*Apostolicae Sedis.*) IV, 429 seqq. — Bulla *coenae* 432. — Bulla *cruciata* quoad privilegia Hispanis concessa I, 172 et quoad compositionem II, 153.
Bullae. Quid sint IV, 443.
Bursa. Quoad administrationem Eucharistiae III, 46. — Quoad missam 159.

C.

Caecitas mentis filia luxuriae I, 237.
Caecus. Quoad celebrationem missae III, 159 seq. — Quoad extrem. unct. 396. — Quoad irregularitatem IV, 354.
Caedere ligna in sylva aliena II, 47.
Caerei. Quoad missam III, 155 seq.
Caeremoniae. Quoad administrationem sacramentorum II, 429 seqq, — Quoad baptismum 476 seq. — Quoad confirm. 511 seqq. — Quoad Euch. administrandam III, 44 seqq. — Quoad missam 169 seqq. — Quoad poenitentiam 209 seqq. — Quoad extr. unct. 402 seqq. — Quoad visitationem infirmorum 409. — Quoad benedictionem apostolicam 412 seq. — Quoad sepulturam 423 seq. — Quoad exsequias 435 seqq. — Quoad matrimonium IV, 101 seqq. — Quoad exsequendam dispensationem super irregularitate 369. — Quoad absolutionem censurarum 397.
Caesaries adscititia quoad missam II, 306 et III, 173 seq.
Calendarium. Quoad horas canon. II, 289. — Quoad missam III, 174 seqq.
Calix. Quoad materiam, consecrationem et exsecrationem III, 157 seq.
Calumnia. Malitia I, 479 seqq. — Quomodo reparanda II, 168 seqq. — Causae excusantes 170 seq.
Calvinistae. Circa libertatem I, 22. — Quoad causam peccati 199.
Camaldulensium corona IV, 304.
Cambium. Quid, quotuplex, an licitum II, 254. — Transmittenti alio missarum stipendia non licet retinere lucrum ex cambio seu permutatione monetae IV, 466.
Campanula. Quoad missam III, 160 seq. — Quoad ordinationem 499. — Quoad interdictum IV, 425.
Candelae. Coram SS^mo^ III, 54. — In celebratione Missae 155 seq.
Canon. Submissa voce convenienter recitatur III, 178. — Quoad privilegium clericorum II, 319 et IV, 450 seqq.
Canonici. Obligationes II, 313 seqq.
Canonizatio. Quoad libros non habetur I, 101. — An quae ad causas *canonizz.* pertinent liceat publicare IV, 520.
Capellanus. Quoad obligationem celebrandi missam III, 124 seqq. — Cappellanus *militum* quoad jurisdictionem ad confessiones 305.
Capitalia peccata. Quidditas I, 188; — variae species 219 seqq.
Capite damnati. Quoad communionem III, 59 et 64. — Quoad extr. unct. 405. — Quoad sepulturam 429,
Capitulum sede vacante II, 315 seq. — Quoad indulgentias IV, 254.

Capuccini. Quoad dominium II, 37. — Quoad eorum confessiones II, 349 et III, 317. — Quoad novitiorum sustentationem I, 376 et IV, 464.

Carbonarii. Quoad poenam et absolutionem IV, 454 seqq.

Carcerati. Quoad fugam I, 142 seq. item II. 274 seq.

Cardinalatus. Quoad hierarchiam jurisdictionem III, 445.

Cardinales. Quoad sponsiones circa eorum promotionem II, 261. — Quoad vota et regulas 339 seq. — Quoad indulgentias IV, 255. — Quoad immunitatem 436 seq.

Carnes. Quoad privilegium Belgis concessum I, 172. — Quoad abstinentiam 500 seqq.

Carthusiani. Quoad abstinentiam a carnibus I, 154.

Castitas. Ut virtus I, 468 seq. — Quoad votum reservatum 400 seq. — Quoad religiosos II, 336.

Castrare pueros an liceat I. 452.

Castrensia bona II, 26.

Casula. Quoad benedictionem, exsecrationem, materiam, colorem, formam et significationem III, 162 seqq.

Casus reservatus III, 321 seqq. — Apostoli IV, 86 seqq.

Catechumeni. Quoad leges ecclesiae I, 128. — Quoad sacrificium missae III, 99 et 111. — Quoad sepulturam 149 seq.

Cauponae. Quoad clericos II, 307.

Caupones. Quoad cooperationem I, 334 et II, 125.

Causa peccati. Quis sit I, 199 seqq. — Immediata et mediata, extrinseca et intrinseca 200 seq.

Cautio seu *cautela* quoad suspensionem IV, 417.

Celebrare missam. Quoad dispositiones requisitas III, 115. — Quoad obligationem ratione sacerdotii 119. — Ratione officii 120. — Ratione fidelitatis aut justitiae 124. — Quoad tempus 140. — Quoad iterationem 142. — Quoad locum 145. — In ecclesia aliena 176.

Censualista, *censuarius* II, 255.

Censura librorum. Quid sit IV, 506. — Ad quem pertineat 519 seqq.

Censurae ut poenae medicinales. In *genere* IV, 374 seqq. — In *specie* 398 seqq. — In *particulari*, prout in Bul. « *Apost. Sedis* » recensentur 429 seqq. — Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Census II, 255 seq.

Certitudo. Quid et quotuplex I, 84; — quoad fidem 275; — quoad spem 303; — quoad correctionem fraternam 322; — quoad materiam et formam in sacramentis II, 386 seq.; — quoad dispositionem poenitentis III, 358 seq.

Cessatio. Quoad legem I, 167 seq. — Quoad dispensationem 165 seq. — Quoad privilegia 176 seq. — Quoad obligationem juramenti 395. — Quoad votorum obligationem 408. — Quoad servilia et forensia 427 seqq. — Quoad contractuum obligationem II, 201. — Quoad obligationem promissionis 204. — Quoad praesentiam realem in Euch. III, 20 seqq. — Quoad indulgentias IV, 286 seq. — Quoad irregularitatem 367. — Quoad censuras 392 seq.

Cessatio a divinis IV, 373.

Cessio bonorum an excuset a restitutione II, 155.
Character sacramentalis II,370 seqq.
Charitas. Natura, divisio, objectum, necessitas I, 309 seqq.— Charitas Dei 311 seq. — Charitas proximi 314 seqq.
Chartarum ludus II, 262 seq.
Chirographa et *credita*. Quoad emptionem II, 239.
Chiromantia. Species divinat. I, 358.
Chirurgi. Obligationes II, 277 seq.
Chirurgia. Quoad clericos II, 306.
Choreae. Quid de iis dicendum I, 264 seq. — Quoad clericos II, 207. — An convenientes choreis *Massonum* incidant in excom. R. P. simpliciter reservatam IV, 455,
Chocolatum. Quoad jejunium I, 508.
Chrisma. Quoad confirmationem II, 494 seqq. et 512 seq.
Ciborium. Quoad benedictionem, exsecrationem et tactum III, 161 seq.
Cicero. Quoad moribundos III, 269.
Cingulum. Quoad benedictionem, exsecrationem, materiam, colorem, formam, significationem III, 162 seqq.
Circumcisio. Ut remedium salutis II, 357: — An fuerit sacramentum (*ibid.*); — Quomodo conferebat gratiam (*ibid.*).
Circuminsessio. Quid sit III, 14.
Circumstantiae. Quid sint I, 54. — Qualem bonitatem vel malitiam tribuant actui humano 55. — Quomodo distinguantur (*ibid.*). Quandonam malitiam in eadem specie aggravent notabiliter vel leviter 56. — Quot numerentur 57. — An leviter mala totum actum vitiet 58. — Circumstantia mala quoad adimpletionem legis 148 seq. — Quoad restitutionem II, 133 seqq. — Quoad confessionem III, 252 seqq. — Quoad copulam carnalem IV, 229 seqq. — Quoad indulgent. 273.
Cives. Quoad eorum obligationes erga auctoritatem civilem I, 438.
Civile matrimonium. Quoad sensum IV, 45. — Quoad imped. *publicae honest.* 166 seqq. — Quoad ejus solemnia non omittenda 240 seqq. — Quoad dispensationem in periculo mortis 203. — Quoad clericos in sacris vel regulares aut moniales post solemnem professionem 474.
Clamor. Ut filia irae I, 222.
Clandestinitas IV, 177 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Classici auctores. Quoad lectionem librorum IV, 513.
Claudi. Quoad irregul. IV, 354.
Clausulae. Quoad oratoria privata III, 152. — Quoad disp in matr. *mixto* IV, 109 seqq. — Quoad rescripta S. Poenit. pro matr. 222 seqq. — Quoad sanationem in radice 227 seq. — Quoad absolutionem confessarii qui complicem absolvit 443. — Quoad absolvendos eos qui sectis massonicis nomen dederunt 456.
Clausura. Quoad quidditatem II, 341.— Quoad obligationem (*ibid.*) Quoad erectionem *viae crucis* IV, 293.—Quoadviolationem 458 seqq.
Claves. Quoad ostiariatum III, 497.
Clerici. Quoad leges civiles I, 130.— Quoad dominium II, 33 seqq. — Quoad obligationes *positivas* 279 seqq.; — quoad *negativas* 305 seqq. — Quoad privilegia 319 seqq. — Quoad absolutionem si habituatus

in peccato turpi cupiat ascendere ad SS. Ordines 411. — Quoad nomen III, 503. — Quoad poenam si in sacris constituti matr. contrahere praesumant IV, 474.

Coalescere possunt furta minuta II, 82 seqq.

Cochlear. Quoad missam III, 29 et 160.

Coelibatus. Quoad clericos II, 302.

Coemeterium. Ejus pollutio, exsecratio, reconciliato III. 433 seqq.

Coena. Triplex habita fuit a Christo pridie mortis suae III, 5 seq,

Coena Domini. Quoad communionem in ecclesiis regularium I, 530 et II, 348.— Quoad celebrationem missae III, 140. — Quoad benedictionem olei 395.

Coenula. Quoad jejunium., I, 506 seq.

Cogentes. Ad tribunal saeculare ecclesiasticas personas IV, 439 seqq. — Tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios etc. 479.— Ad matrimonium 484. — Mulierem ad ingrediendam vel profitendam relig. 485 seq.

Cognatio. Triplex IV, 137.

Cognatio carnalis IV, 137 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Cognatio legalis IV, 149 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Cognatio spiritualis IV, 145 seqq. Cf. *Ind. Syn.* tom. IV.

Collatio. Quoad donationem II, 203.

Collationes protestantium mera curiositate auscultare prohibetur IV, 430.

Collatiuncula. Quoad jejunium I, 506 seq.

Collectiones decretorum SS. Congregationum quoad censuram librorum IV, 520.

Collegia. Quoad appellationem ad futurum Concilium IV, 498.

Colligentes eleemosynas pro Missis III, 137 seq. et IV, 465 seq.

Colloquia turpia I, 263.

Color. Quoad paramenta in missa III, 163 seqq. — Quoad significationem mysticam 166.

Columbae. Quoad occupation. II, 45.

Columbinum osculum I, 262.

Coma. Quoad clericos II, 306. — *Adscititia* in celebr. Miss. III, 173 seq.

Comessatio. Ut species gulae I, 226.

Comites juramenti I. 390.

Commercium nigritarum II, 18 seq.

Commixtio. Ut est modus *accessionis* II, 53 seqq.

Commodatum II, 220 seqq.

Communicatio. Quoad *privilegia* I, 179. — Communicantes cum *vitandis* in duobus casibus excommunicationem incurrunt IV, 469.

Communio fidelium triplex IV, 398 seq. — Quid sit privatio communionis *civilis* et *forensis* 408 seq.

Communio *Paschalis* I, 522 seqq. — *Prima* communio 525.— In missa et extra missam III, 45 seqq. — In specie *vini* tantum 48. — Sub *utraque specie* 56 seq.— In *mortis* periculo 59 seqq. — *Frequens* 82 seqq. — *Spiritualis* 89 seq.

Communistae. Quoad jus proprietatis II, 16 seq. — Quoad excommunicationem IV, 454 seq.

Communitas. Quoad censuram IV, 387 seq.

Commutatio. In juramento I, 395.— In votis 414 seqq.— In testamento II, 219. — In satisfactione sacramentali III, 294 seqq. — Quoad indulgentias et jubilaeum IV, 284, 340, 347.

Comoediae seu *spectacula*. Quoad liceitatem I, 265. — Quoad clericos II, 307.
Comoedii. Quoad sepulturam III, 429. — Quoad irregul. IV, 359.
Compaternitas IV, 146.
Compensatio legalis II, 91.
Compensatio occulta. Quid, quotuplex, an licita, ejus conditiones I, 91 seqq. — An admitti possit inter famam et pecuniam 171.
Competentia. Ut privilegium clericorum II, 319.
Complacentia. De re mala I, 213 seqq. vide *Gaudium*.
Complex. Quoad manifestationem in confessione III, 265 seqq — Quoad absolutionem 340 seqq. — Quoad excommunicationem IV, 443 seq.
Componenda. In dispensatione IV, 212.
Compositio. Quoad restitutionem II, 154. — Corporis quoad Euch. sumendam III, 80 seqq.
Concilia. Quoad leges I, 116.
Concio seu *Sermo* in laudem defuncti III, 439.
Conclusio theologica. Quoad haeresim I, 298.
Concomitantia naturalis et supernaturalis in Euch. III, 14.
Concubinatus. Quid sit I, 239.
Concupiscentia. Quid, quotuplex, quid faciat in ordine ad voluntarium et peccatum I, 41 seq. — Triplex distinguitur prout est causa peccati 201.
Concursus seu *Cooperatio* quoad peccatum I, 330 seqq. — Quoad damnum II, 114 seqq. — Quoad beneficia 7 et 323.
Conditio. Quoad contractus II, 199 seq. — Quoad absolutionem III, 216 seqq. — Quoad sponsalia IV, 12. — Quoad matrimonium 50 et 55 seqq. — Quatenus impedimentum 133.
Condonatio seu *remissio*. Quoad restitutionem II, 153. — Quoad missas non celebratas III, 128.
Conductio. Ut contractus II, 349.
Conductor. Ejus obligationes tum in locatione *rerum*, tum in locatione *operarum* II, 250 et 252 seqq.
Confessarius. Ejus munus seu officium III, 354 seqq. — Cfr. *Ind. Syn.* tom. III. — Dum audit confessiones conjugum IV, 238 seq.
Confessio III, 243 seqq. — Cfr. *Ind. Syn.* tom. III. — Confessio *publica* 246 et 248.
Confessionale. Quoad locum III, 223 seq. — Quoad sollicitationem 350.
Confidentia. Quoad simoniam I, 373 et IV, 463.
Confirmatio II, 485. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.
Confitens. Tempore missae I, 150 et 420. — Ut sacramentale II, 434.
Confraternitas. Quoad indulgentias, si sodales statuta non observent IV, 273. — Quoad erectionem, aggregationem, visitationem, inscriptionem, etc., 320 seqq. — Quoad SS. Rosarium 308. — Quoad scapularia 315.
Confusio seu *commixtio*. Ut modus acquirendi II, 54.
Congregationes religiosae II, 352 seqq.
Congregationes Romanae. Quomodo obligent earum declarationes I, 119 seq.
Conjuges. Quoad mutuas obligationes I, 438 et 441. — Quoad actus carnales extra debiti exercitium

IV, 234 seqq. — Quoad conjugum confessiones excipiendas 238 seq. — Quoad irregularitatem 355.

Conjugicidium, ut impedimentum matrimonii IV, 155 seq.

Connexio. Quoad virtutes I, 270 seqq.

Conopeum. Quoad tabernac. III, 51.

Consanguinitas IV, 137 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Conscientia. Quidditas, etc. etc. I, 73 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.— Conscientiae aperitio quoad moniales III, 87 seqq. — Matrimonium conscientiae IV, 63.

Conscriptio. Quoad militiam II, 175.

Consecratio. Quoad Eucharistiam III, 32 seqq. — Quoad essentiam sacrif. miss. 102 seqq.

Consensus. Quoad peccatum I, 190 seqq. — Quoad contractum II, 188 seqq. — Quoad sponsalia IV, 4 seqq. — Quoad matrimonium 49 seqq.

Consentiens. Quoad restitutionem II, 123 seq.

Consilia evangelica II, 325 seq.

Consiliarii. Quoad eorum electionem II, 267 seq.

Consilium. Quotuplex II, 119.

Conspiratio. Quoad furta minuta II, 83 seqq. — Quoad emptores, venditores, operarios (*grèves*) 245 seq. et 278 seq.

Constitutiones Ordinum. Quomodo obligent II, 334 seq.

Consubstantiatores III, 16.

Consuetudinarii. Quoad absolutionem III, 363 seqq. Cfr. *Ind. Syn.*

Consuetudo. Ut *habitus pravus* I, 44. — Ut *lex non scripta* 181. — Quidditas, conditiones, obligatio, abrogatio 181 seqq.

Consulens. Quoad restitut. II, 119 seqq.

Contemptus. Quoad legem I, 197.

Contentio. Ut filia superbiae I, 220.

Contractus. In genere II, 179 seqq. — In specie 201 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.

Contritio III, 224 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.

Contumacia. Quoad censuram IV, 375.

Contumelia. Quid, quot modis fieri possit, quale peccatum I, 488 seqq.

Convalescentes. Quoad jejunium I, 514. — Quoad scandalum tollendum, si in mortis periculo dispensati fuerint in Sacro ordine vel solemni professione IV, 204.

Conventus Regularium quoad exemptionem II, 348.

Convictores Regularium. Quoad confessionem II, 348 et III, 315. — Quoad extr. unct. 402 et IV, 468.

Convitium. Quid I, 489 seq.

Cooperatio. Quoad peccatum alterius I, 330 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I. — Quoad damnum II, 114 seqq. — Quoad restitutionem 133 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.

Copia *confessoris* quandonam deesse censeatur III, 70 seq.

Copula. Ut sponsalibus superveniens IV, 18 seq. — Ut causa famosa dispensationis 209. — An debeat exprimi in libello supplici 216 seq.

Coqui. Quoad servilia I, 428.

Cor Jesu. Quomodo colendum I, 343 seqq.

Coronae seu *Rosaria*. Quoad indulgentias IV, 303 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Corporale. Quoad missam III, 158. — Quoad tactum 161.

Correctio fraterna I, 322 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.— Quoad errores

a confessario in confessione commissos III, 372 seq. et II, 131 seq.
Corruptio verborum in Sacramentis II, 385. — Specierum in Eucharistia III, 20; — in communione 21 seq.
Craniotomia I, 459 et IV, 476 seq.
Crapula. Species gulae I, 226.
Credenda Quaenam *de necessitate medii*, quaenam *de necessitate praecepti* I, 286. — Quaenam circa naturam Euch. III, 9 seqq.
Credentes apostasis et haereticis. Quoad poenam IV, 433 seq.
Credita. Quoad venditionem pretio non soluto II, 239.
Creditores. Quoad ordinem in restitutione II, 142 seq.
Crematio cadaverum III, 423 seqq.
Crimen. Ut denuntiandum II, 276.— Ut causa dissolutionis sponsalium IV, 23. — Ut impedimentum matrimonii dirimens 152 seqq. — Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Crimen criminosum. Quid sit IV, 409 et 469 seq.
Crucifixus. Quoad indulgentias *Viae crucis* IV, 296.
Crucigerorum corona IV, 306 seq.
Crux. Quoad expositionem SS. Euch. III, 54 et 155. — Quoad missam 155. — Quoad indulgentias *Viae crucis* 293 seqq.
Culpa. Theologica II, 106 seq. — Juridica 112 seq.
Cultus. Quid, quotuplex I, 341 seqq.
Cultus disparitas. Ut imped. dir. IV, 151 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Curialistae. Quoad irregularitatem IV, 355.
Cussinus. Quoad missale III, 160.
Custodes. Quoad restitutionem II, 129.

D.

Daemon. Quoad coitum I, 252. — Quoad signa possessionis 398. — Quoad pecuniam acceptam II, 140.
Damnificatio injusta. Conditiones requisitae ad restitutionem II, 106 seqq.
Damnificatores injusti. Quinam, quot sint, et quo titulo teneantur ad restitutionem II, 105.
Dataria IV, 211 seq.
Debiles. Quoad jejunium I, 514.
Debita. Quomodo restituenda II, 133 seqq.
Debitor. An valet restituere per fictam donationem II, 144. — An debeat restituere, si creditor in casu aliud donum rependat 145.
Debitum conjugale. Quoad liceitatem IV, 229. — Quoad circumstantias servandas 230. — Quoad obligationem 231. — Quandonam licite non redditur 231 seq.
Decalogi praecepta I, 335 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Decentia corporis p. o communione III, 80 seqq.
Decimae I, 339 et IV, 415.
Decoctio. Vid. *Cessio bonorum.*
Decreta seu *declaratianes.* Quoad SS. Congregationes I, 119 seq.
Defectus. Circa materiam in Missa quomodo suppleudus III, 31 seq. — Circa confessionem 372 seq. — Quoad irregularitatem IV, 353. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Deflorator. Quis sit II, 163. — Ad quid teneatur 164.
Defuncti quibus applicantur indulgentiae IV, 263 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Degradatio IV, 372 seq.

Delectatio morosa. An et quale peccatum I, 216 seqq. — *Venera* 235; — *organica* 235 seq.
Delegatio generalis ad assistendum matrimoniis an et sub quibusnam conditionibus liceat IV, 186.
Delegatus ad dispensandum an possit *subdelegare* I, 163.
Deliberatio de consensu praestando I, 193 seq.
Denuntiatio. Judicialis II, 275; —, fraterna 276 et I, 322 seqq.
Depositio. Ut poena canonica IV, 371.
Depositum II, 221 seq.
Deputati. Ut inique suffragantes II, 123 seq. — Ut senatum subterfugientes 129. — In ordine ad electionem 267 seq
Derelicta bona II, 42 seq.
Derogatio. Quoad legem I, 167 seq.
Desertores militiae II, 176.
Desiderium. Mali quale peccatum I, 212 seq. — Pollutionis naturalis 215.
Desperatio. Quid, quale peccatum I, 225 et 305 seq.
Desuetudo. Quoad legem I, 168.
Determinatio. Materiae et formae in sacramentis II, 380 seqq.
Detractio. Quid, quot modis fiat, quale peccatum I, 478 seqq. — Quoad auditionem 486. — Quoad restitutionem II, 168 seqq. — Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.
Deus meus et omnia. Invocatio S. Franc. Ass. I, 378: — cui adnexa est indug. IV, 327.
Devotio. Quoad horas canonicas II, 296 seq.
Diabolus. Ut causa peccati I, 201. — Signa possessionis diabolicae 398. vid. *Daemon.*
Diaconatus III, 493 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.
Diaconissae III, 461.
Diaria. Quoad caupones I, 334. — Quoad missarum applicationem III, 132 seq. et IV, 465 seq. — Quoad prohibitionem 517. — Quandonam praeviae censurae sint subjicienda 522 seqq.
Digestio specierum in stomacho quo tempore fiat III. 21 seqq.
Digitus. Quoad irregularitatem IV, 354 et 366.
Digniores promovendi II, 323.
Dilectio. Quoad ordinem servandum I, 315.
Dimissoriales litterae III, 447 seq.
Discessus. Ut causa dissolvendi sponsalia IV, 28.
Disciplina arcani II, 360.
Discipuli. Quoad eorum obligationes I, 438.
Discordia. Ut filia superbiae I, 220.
Disparitas cultus IV, 151 seqq.
Dispensatio. Quidditas, potestas, causae, materiae, interpretatio, cessatio I, 160-167. — Quoad vota 410 seqq. — Quoad opera servilia 161 et 429. — Quoad jejunium 516 seq. — Quoad banna IV, 36 seq. — Quoad matrimonium 83, — Quoad imped. impedientia 115. — Quoad imped. dirimentia 202 seqq. — Quoad irregularitates 367 seq.
Dispersio. Quoad religiosos II, 351.
Dissimulare fidem I, 290 et 477.
Dissimulatio. Quid I, 477.
Dissolutio. Quoad sponsalia IV, 20 seq. — Quoad matrimonium 82 seqq. — Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Distantia. Quoad auditionem missae I, 419 et 424. — Quoad consecrationem III, 32 seq. — Quoad abso-

lutionem a peccatis 217. — Quoad cadaver sepultum et ipsum altare 425. — Quoad absol. a censuris IV, 396 seq.

Distillatio carnalis. Distinguitur a *pollutione* I, 257 seq. — Quandonam peccatum (*ibid.*).

Distinctio. *Specifica* et *numerica* peccatorum I, 204 seqq.

Distractio. Quoad orationem I, 354 seq. — Quoad auditionem missae 420. — Quoad horas canonicas II, 299.

Distributiva justitia II, 4 seqq.

Dives. Quoad praeceptum eleemosynae I, 319 seq. — An teneatur *ex justitia* subvenire extreme indigenti II, 89 seq.

Divinatio. Quid, quotuplex, quale peccatum I, 357 seq.

Divisio rerum quo jure facta II, 16 seq.

Divitum obligationes I, 441 seq.

Divortium. Improprie dictum IV, 89 seqq. — Proprie dictum 95 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Divulgare indulgentias apocryphas, proscriptas aut revocatas interdicitur IV, 250 et 515.

Dolium vini. Quoad consecrationem III, 32 et 35 seq.

Dolor. Quoad contritionem III, 225.

Dolus. Quoad contractus II, 190 seq.

Domicilium. Quoad ordinationem III, 458. — Quoad matrimonium IV, 187 seqq.

Domini seu *Heri*. Eorum obligationes qua sunt *superiores* I, 441 seq. — Qua *locatores* rerum II, 249. — Qua *conductores* operarum 252.

Dominica dies. Quoad institutionem I, 417. — Quoad observationem 416 seq.

Dominici (S) corona IV, 304 et 307.

Dominium. Quidditas, divisio II, 10 seqq.; — objectum 15; — subjectum 21; — filiorum 25 seqq.; — uxorum 28 seqq.; — clericorum 33 seqq.; — religiosorum 35 seqq.; — auctorum et inventorum 39; — personarum moralium 40 seqq.; — modi illud acquirendi 42 seq.; — amittendi, 66 seq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.

Domus regularium Vid. *Conventus*.

Dona Spiritus S. II, 489 seqq.

Donatio. Ut modus restitutionis II, 144 seq. — Ut contractus 204 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.

Dos. Ut causa dispensationis in imped. IV, 208.

Dotalia bona II, 30 seq.

Dotes. Confessionis III, 246. — Confessarii 354 seqq.

Dubitatio temeraria I, 492.

Dubium. An differat ab opinione I, 85. — Quotuplex (*ibid.*).

Duellum seu *Monomachia*. Quidditas, malitia, poena I, 460 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.

Dulia I, 342 seqq.

Durities cordis erga miseros I, 221.

Dux exercitus. Obligationes ejus qua superioris I, 441.

E.

Ebrietas. Quid, quotuplex, signa perfectae ebriet., quale peccatum I, 228 seqq. — Quoad mala in ebrietate commissa 234.

Ebrii. Quoad leges servandas I, 127. — Quoad occisionem 453 seq. — Quoad viaticum III, 63. — Quoad absolutionem 268 seq.

Ecclesia. Capax dominii II, 22 seqq. — Quoad exsecrationem III, 150.

— Ejus potestas statuendi imp. dirimentia IV, 117 seqq.
Ecclesiae vetitum IV, 106 seqq.
Editores librorum IV, 524.
Effectus peccatorum I, 201 seq.
Egressus e clausura quandonam monialibus permittitur II, 341 et IV, 459 seq.
Ejecti ex religione II, 345 seq.
Electio status perfectioris ut causa dissolvendi sponsalia IV, 26 seqq. — Electio confessarii tempore jubilaei 343.
Electores. Deputatorum II, 267 seq.
Eleemosyna. Quoad praeceptum I, 318 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I. — Quoad jubilaeum IV, 339 seq.
Emancipatio II, 25 seq.
Emblemata nova SS. Cordis non sunt probanda I, 348 et IV, 514.
Embriotomia. Vide *Craniotomia.*
Emphyteusis II, 256.
Emptio-venditio II, 235 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.
Energumeni. Quoad irregularitatem IV, 353.
Ephemerides. Si religionem et bonos mores data opera impetunt etiam jure ecclesiastico prohibentur, nec licet catholicis quidquam sine justa causa in iis publicare IV, 517. — Quandonam censurae sunt subjiciendae 522. — Qua licentia indigeant viri ecclesiastici ad eas *moderandas* 523.
Epikeia. Quomodo differat ab interpretatione stricte dicta I, 157 seq. — *Quandonam* locum habeat 159. — An obtineat in dubio 160. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Epileptici. Quoad irregularitatem IV, 353 seq.
Episcopatus quoad hierarchiam jurisdictionis III, 445. — Quoad ordines 488 seq.
Episcopi. Quoad potestatem legiferam I, 117 seqq. — Quoad legis dispensationem 161 seq. — Quoad votorum dispensationem 410 seqq. — Quoad jejunii disp. 516. — Quoad tempus pascale 526. — Quoad pia legata II, 219. — Quoad eorum obligationes 312 seq. — Quoad reductionem missarum III, 127. — Quoad approbationem 308 seqq. — Quoad absolutionem a reservatis 338. — Quoad dispensationem in bannis IV, 36. — In imped. impedientibus 115. — In imped. dirimentibus 203 seq. — Quoad indulgentias 253 seq. — Quoad irregularitates 368. — Quoad absolutionem a censuris 393 seqq.
Equites Velleris aurei. Eorum privilegia I, 172.
Error. In contractibus II, 190 seq. — A confessario commissus quomodo corrigendus II, 131 et III, 372.
Eucharistia. Ut Sacramentum III, 1 seqq. — Ut sacrificium 94 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.
Eutrapelia II, 261 et I, 489.
Evagatio mentis. Ut filia acediae I. 225.
Evictio II, 241.
Eviratio I, 452.
Exactores tributorum. Quoad restitutionem II, 129.
Examen. Quoad conscientiam III, 274 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III. — Quoad confessarios 313. — Quoad ordinandos 464. — Quoad nupturientes IV, 42. — Quoad libros antequam publicentur 521 seqq.
Excardinatio seu **Exeat** III, 457.

Excellentiae potestas. Quood sacramenta II, 360.
Excommunicatio IV, 398 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Excommunicationes R. P. *specialiter* reservatae IV, 433 seqq. — *Simpliciter* reservatae 448 seqq.— *Ordinariis* reservatae 474 seqq.— *Nemini* reservatae 479 seqq.
Excommunicatus. Alius *toleratus*, alius *vitandus*. IV, 400 seqq. — Duo sunt casus in quibus communicantes cum excommunicatis *vitandis* incurrunt excommunicationem majorem 470 seqq.
Exemplum pravum. Quoad restitutionem II, 122.
Exemptio. Quoad regul. II, 346 seq.
Exercitium. Quoad ordinationem III, 466 et 471; IV, 492 seq.
Exhaeredatio II, 218.
Exhumatio III, 435.
Exlex. An detur I, 127.
Exorcismi. Quoad baptismum II, 476. — Solemnes sacerdotibus reservantur i, 397; III, 500.
Exorcistatus III, 500 seq.
Expensae seu *Impensae*. Quoad restitutionem ex parte possessoris bonae fidei II, 100. — Ex parte possessoris malae fidei 102.
Experientia triennalis in matrimonio IV, 197.
Expositi infantes. Quoad xenodochia II, 167. — Quod baptism. 469 seq.
Expositio. Quoad eucharistiam III, 53 seq.
Exsecratio. Ecclesiae III, 150. — Altaris 154.— SS. Vasor. 158. — SS. Vest. 163 seq. — Coemet. 433.
Exsecutor. Quoad testamentum II, 219 seq. — Quoad judicium sanguinis IV, 357.
Exsequiae III, 435 seqq.
Extasis. Quoad auditionem missae I, 420.
Extrema Unctio III, 387 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.

F.

Fabri. Quoad jejunium I, 514.
Facultas. Testandi undenam II, 214 Binaudi III, 143. — Absolvendi a reservatis 331 seqq. — Benedicendi et imponendi scapularia IV, 314 seq. — Absolvendi a censuris 393 seqq. — Quae facultates suspendantur tempore jubilaei anni sancti IV, 332.—Facultas legendi et retinendi libros prohibit. 518 seq.
Falsarii litterarum apostolicarum IV, 442 seq.
Fama. Quoad defensionem I, 457. — Quoad laesionem 471, 477 seqq. — Quoad dominium II, 15. — Quoad restitutionem 167 seqq. — Quoad irregularitatem ob defectum famae IV, 358 seq.
Familiares regularium II, 348; — III, 43, 315, 346 et 402.
Familiaritatis episcopus III, 459.
Famuli. Quoad cooperationem I, 332. — Quoad eorum obligationes erga dominos 438.— Quoad auditionem Missae 424. — Quoad opera servilia 428. — Quoad jejunium 515. — Quoad furta minuta II, 80 seqq. — Quoad compensationem 93. — Quoad restitutionem 147.
Febricitans. Quoad auditionem sacri I, 153.
Feniani. Quoad excommunicationem IV, 454.
Feria V in Coena Domini vid. *Coena*.
Feria VI in Parasceve quoad Missam III, 140.

Ferrarii. Quoad jejunium I, 514.
Festa. Quoad institutionem I, 498.— Quoad sanctificationem 499 seq.
Feudum II, 256 seq.
Fictio. Quoad legem I, 140. — Quoad contractus II, 188. — Quoad promissionem matrimonii IV, 4 seq.
Fidejussio II, 257 seq.
Fides I, 274 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* t. I.
Figuli. Quoad jejunium I, 514.
Figurae Eucharistiae III, 7.
Filii. Quoad obligationes erga parentes I, 431 seq. — Quoad jejunium 515. — Quoad dominium II, 25 seqq. — Quoad furta 80 seq. — Quoad contractus 184 seqq. — Quoad ingressum in religionem 351 seq. — Quoad baptismum, parentibus invitis 466 seq. — Quoad sponsalia et matrim. IV, 8 seq. — Illegitimi quoad irregularitatem 354 seq.
Finis. Quid sit et quotuplex I, 59 seq. — Ex quo fine actus hum. desumat suam moralitatem 60 — Qualis moralitas desumatur ex fine 60 seq. — An finis quilibet malus totum actum corrumpat 61. — An bonitas finis tollat malitiam actus ex objecto pravi 62 seq. — Finis legis non cadit sub lege 148. — Finis quoad matrimonium IV, 56 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Firmitas matrimonii quoad vinculum IV, 79 seqq. — Quoad thorum et cohabitationem 89 seqq.
Flaminis baptismus II, 443.
Flores decerpere in die festo I, 414. — Aut artificiales conficere 415. — Quoad ornandum altare III, 152 seq.
Fluxus menstruus. Quoad communionem III, 81. — Quoad actum conjugalem IV, 230.
Fodinae. Quoad occupat. II, 46 seq.
Foecunditas artificialis IV, 199 seq.
Foeminae. Quoad ordinat. III, 461.
Foetus abactio vel enecatio ad matrem servandam I, 459 et IV, 475.—Abortivus an baptizandus II, 462 seq.
Forensia I, 427.
Fori privilegium pro clericis II, 319. — Quoad censuram latam in violatores IV, 439 seq.
Forma contractuum II, 193 seq.
Forma sacramentorum II, 378 seqq. — Baptismi 457 seqq. — Confirmationis 497. — Eucharistiae *in fieri* III, 37; in facto esse 39. — Poenitentiae 209 seqq. — Extr. Unct. 399. — Ordinis *in genere* 476; *in specie.* Cfr. *Ind. Syn.* tom. III. — Matrimonii IV, 66.
Forma ordinaria in dispensationibus matrimonialibus IV, 212.
Forma pauperum in disp. matrim. IV, 212 seq.
Forma politici imperii quoad Ecclesiam I, 119.
Formale peccati. Quid sit I, 185 et 189 seq.
Formula juramenti gubernio Ecclesiae hostili praestanda I, 394.
Formulae blasphematoriae I, 382 seq.
Fornicatio. Quid sit et quale peccatum I, 238 seq. — An prima specifice differat a sequentibus 239. — An fornicatio sponsorum cum extranea persona mutet speciem 241. — An dissolvat sponsalia IV, 23 seq.
Fortitudo. Ut virtus cardinalis I, 270.
Fossores quoad jejunium I, 514.
Fragmenta hostiarum, si decidant, quomodo tractandae III, 48.
Fraudatores tributorum II, 173 seqq.

Fraus legis quomodo fiat I, 131 seq. et III, 331.
Frequens communio. Quid de ea dicendum III, 82 seqq.
Frequentatio. Quoad scholas *neutras* seu *mixtas* I, 434. — Quoad *universitates acatholicas* et maxime in odium *religionis* ac *societatis* institutas. praesertim ubi non deest *catholica*, uti in Belgio 436 seqq. — Quoad universitates *Oxoniensem* et *Cantabrigiensem* 437.
Fructus. Quoad usumfructum et accessionem I, 12 seq. et 51. — Quoad Spiritum Sanctum II, 493. — Quoad missam III, 108.
Fuga. An reo sit licita I, 142 seq. et II, 274 seq. — In persecut. I, 291.
Fugitivi religiosi II. 346.
Fullones. Quoad jejunium I, 514.
Fulminatio dispensationis IV, 210, 220, 224.
Funambuli. Quomodo peccent I, 450.
Fundamentum dominii II, 22. — Sigilli III, 374.
Fundatio. Quoad obligationem celebrandi III, 124 seqq.
Funera. Quoad jus parochi III, 419 seqq. — Haereticorum funeribus assistere an liceat catholicis 439 seq.
Furtum. Quidditas II, 72 seq. — Quotuplex et quale peccatum 74 seq. — Materia gravis 75 seqq. — Uxorum, filiorum, famulantium, religiosorum 78 seq. — Furta minuta 82 seqq. — Quomodo haec sint restituenda 86. — Quantitas notabilis in furto sacrilego 86. — Causae acceptionem rei alienae a furto excusantes 86 seqq. — Furtum rei profanae in loco sacro an sit sacrilegium I, 369 et II, 74.

G.

Gabellae II, 173 seqq. vid. *Tributum*.
Gaudium. De re mala I, 213 seq. — De pollutione naturali 215.
Gaz super altare prohibetur III, 156.
Generalis confessio III, 279.
Geomantia. Ut species divinationis I, 358.
Gestatio. Quoad habitum clericalum II, 280 seq. — Quoad tonsuram 281. — Quoad arma 307.
Gestio negotiorum II, 223.
Gibbosi. Quoad irregularitat. IV, 354.
Glacies. Quod baptismum II, 453.
Gradus. Quoad ordinationem III, 474. — Quoad consanguinitatem IV, 140 seqq. — Quoad affinit. 173 seqq.
Gratia. Sanctificans II, 366. — Sacramentalis (*ibid.*). — An fides sit *prima* gratia I, 277.
Gratiarum actio post communionem III, 22. — Post missam 170.
Gratuitus contractus II, 180 et 201 seqq.
Gula. Quid, quale peccatum, ejus filiae et remedia I, 226 seqq.
Gutta. Quoad baptismum II, 456. — Quoad extr. unct. III, 397.

H.

Habituale voluntarium I, 11. — Habituale peccatum 187.
Habituatus in peccato turpi. Quoad absolutionem si cupiat ascendere ad SS. Ordines vel statum Religiosum II, 411 et III, 464.
Habitus bonus. Vid. *Virtus*.
Habitus clericalis II, 279 seq. — Religiosus 340 et IV, 502.
Haeredes et *Haereditas* II, 211 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.

Haeresis. Quoad quidditatem et divisionem I, 296 seqq. — Quoad requisita ad haeresim formalem coram Ecclesia 298. — Quoad poenas canonicas 299 et IV, 433 seqq.

Haeretici. Quoad leges ecclesiasticas I, 128. — Quoad rebaptizationem II, 469 seqq. et 480. — Quoad confessionem in casu rebaptizationis III, 208 seq. — Quoad impedimenta IV, 124 seq. — Quoad clandestinitatem 181 seqq. — Quoad poenas canonicas IV, 433 et I, 299.

Haereticum ministrum adire an unquam liceat catholicis qui matrimonium ineunt cum haereticis IV, 111 et 434.

Hasta. Quoad venditionem II, 244.

Hebetudo mentis filia gulae I, 228.

Heri. Eorum obligationes qua *superiorum* I, 444. — Qua *locatorum* rerum II, 249 seq. — Qua *conductorum* operarum 252 seq.

Hermaphroditi. Quoad ordinationem III, 462. — Quoad matrimonium IV, 198.

Hierarchia ordinis III, 444, — jurisdictionis 444 seq.

Historia quomodo scribenda I, 485.

Histriones. Quoad malitiam I, 265. — Quoad irregularitatem IV, 359.

Homicidium. Quoad suas species I, 449. — Quoad restitutionem II, 159 seq. — Quoad irregularitatem IV, 363 seq.

Honestas actus conjugal. IV, 229 seq.

Honestas publica. Ut imped. dirimens IV, 166 seqq.

Honor. Quoad laesionem I, 471 seqq. — Quoad reparationem II, 168 seq

Hora. Quoad refectionem in die jejunii I, 503 seq. — Quoad horas canonicas II, 290 seqq. — Quoad jejunium naturale III, 75. — Quod missam celebrandam 141 seq. — Quoad lucrandas indulg. IV, 285.

Horae canonicae II, 282 seqq.

Horror futuri saeculi filia interior luxuriae I, 237.

Hospitalarii ordines II, 328.

Hostia. Quae sit consecrabilis III, 23 seqq. — Quid si mutetur in carnem etc. 16 seq. — Si cadat 48. — Si immittatur in strophium 48 seq. — Si evomatur 49. — Si sumpta infirmus illico moriatur (*ibid.*). — Quoties renovanda 52 seq.

Humanitas Christi. Quo cultu colenda I, 343 seq.

Humilis sit confessio tum *habitu* III, 224: — tum *mente* 246.

Hydromantia. Species divinationis I, 358.

Hyperdulia I, 342.

Hypnotismus I, 365 seq.

Hypocrisis. Filia superbiae I, 220.

Hypotheca II, 258.

Hypothecarii creditores II, 142 seq.

I.

Idololatria. Quid, quotuplex, quale peccatum I, 357 seq.

Ignis inferni est realis non metaphoricus III, 113 seq.

Ignorantes. An possint absolvi, si ignorent necessaria necessitate medii vel praecepti I, 287. — An debeant doceri a confessario III, 372 seq.

Ignorantia. Quid, quotuplex I, 36 seq. — Quid faciat circa voluntarium 38. — Quid circa peccatum

39 seq. — Vincibilis sitne speciale peccatum 41. — Qualis excuset a culpa 151. — Qualis a poena 153 seq. — Est causa peccati intrinseca occasionalis 201. — Ad quid teneatur confessarius ex ignorantia non monens poenitentem de restitutione facienda II, 131. — Quid faciat circa reservationem III, 325 seqq. — Quid faciat circa impedimenta IV, 125 seqq. et 152 seq. — Quid circa irregularitatem 353 seq. — Quid circa censuras 390.

Illegitimi. Quinam sint et quotupliciter distinguantur quoad irregularitatem IV, 355.

Illitterati. Quoad irregularitatem IV, 354.

Imagines. An et quo cultu colendae I, 344 seqq. — An adhiberi possint in expositione publica SS^mi 345 et III, 54. — Quaenam absolute vetentur IV, 515.

Immersio in baptismo II. 455 et III, 448.

Immobilia II, 19.

Immunditia. Vide *Mollities*.

Immunitas asyli ecclesiastici IV, 457 seq.

Impanatores III, 16.

Impediens. Consecutionem alicujus boni II, 110 seqq. et 158. — Jurisdictionem ecclesiasticam IV, 438 seq. — Promulgationem vel executionem Actorum S. Sedis 441 seq. — Matrimonium 484. — Mulierem ne statum religiosum amplectatur 485.

Impedimenta matrimonii *impedientia* IV, 105 seqq. — *Dirimentia* 117 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Impediti adire Romam pro absolutione censurarum IV, 393.

Imperfectiones. Quoad confessionem III, 203.

Imperium. Voluntatis in alias potentias I, 5 seq. — Politici imperii divina origo 118 seq. — Quoad ejus formam 119.

Impletio operum praescriptorum pro lucrandis indulgentiis IV, 260 seqq.

Impotentia. Quoad legem I, 153 seq. — Quoad missam audiendam 423 seq. — Quoad jejunium 513 seq. — Quoad restitutionem ex bonis *ejusdem ordinis* II, 97. — Quoad restitutionem debitorum 150 seq. — Quoad horas canonicas 300 seq. — Quoad integritatem confessionis III, 262 seqq. — Quod matrimonium IV, 192 seqq. — Quoad censuras 390 seq.

Imprecatio seu *Maledictio* I, 384.

Imprimentes. Quoad libros propugnantes haeresim IV, 525 seqq. — Quoad libros S. Scripturae sine approbatione Ordinarii 529.

Improperium I, 489.

Impuberes. Quoad casus reservatos III, 324. — Quoad matrimonium IV, 169. — Quoad poenas et censuras ecclesiasticas I. 128; IV, 384.

Imputabilitas actuum humanorum I, 46. — Requisita ut voluntarium *indirectum* imputetur ad culpam 16.

Incarnatio. An explicite credenda I, 286.

Incestus. Quid sit I, 244. — An diversus pro diversa cognatione 245 seq.

Inconsideratio, filia luxuriae, I, 237.

Inconstantia, filia luxuriae I, 237.

Index librorum prohibitorum. Quoad

originem, regulas, obligationem IV, 508 seq.

Indifferentes actus. An dentur I, 48 seq.

Indifferentia. Quoad libertatem I, 21 seqq. — Quoad moralitatem 48 seq.

Indignatio. Ut filia irae I, 222. — Ut justa 223.

Indigni. Quale peccatum : ipsis administrare Sacramenta II, 408 seqq. ; — ab ipsis petere sacramenta 426 seqq.

Indissolubilitas matrimonii IV, 79 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Inductio seu *sollicitatio* ad fornicationem an sit speciale scandali peccatum I, 239 et 330.

Indulgentiae IV, 246 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Infallibiliter an prosint indulgentiae defunctis IV, 263 seqq.

Industriales fructus non debent restitui a possessore malae fidei II, 102.

Infamans delictum. Quoad irregularitatem IV, 362 seq.

Infamare seipsum an liceat I, 485 seq. et II, 15 seq.

Infamia juris. Quoad irregularitatem IV, 358.

Infantes. An ante usum rationis alicui legi subjiciantur I, 126 seq.— An, baptizati et mortui ante usum rationis, possint invocari 352. — An, cum adoleverint, interrogandi sint, num ratum habeant baptismum II, 463 seq. — An baptizari possint in utero matris 464.— An licite baptizentur infantes acatholicorum, invitis parentibus 466.— An licite baptizentur ante usum rationis filii acatholicorum, rogatu eorum parentum 467.

Inferiores. Obligationes eorum erga superiores I, 438 seq.

Infernus. Fidelis qui novit poenas inferni magis cruciabitur quam infideles qui eas non novit I, 153. — Quoad poenar. mitigation. III, 112 seq. — Quoad ignem 113 seq.

Infideles. An teneantur ad leges Ecclesiae I, 128. — An possint compelli ad fidem 293. — An eorum ritus possint tolerari 293. — Quid de eorum matrimonio IV, 44 et 70 seq.

Infidelitas. Quid, quotuplex, quale peccatum, etc., etc. I, 291. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.

Infirmi. Quoad auditionem missae I, 423. — Quoad abstinentiam 501. — Quoad jejunium ecclesiast. 514. Quoad viaticum III, 47.— Quoad jejunium naturale 77. — Quoad extr. unct. 415. — Quoad eorum visitationem 409 seqq. — Quoad indulgentias IV, 272 seq.

Informe sacramentum II, 363. — An detur sacr. poenit. validum simul et informe III, 239 seq.

Ingressus in religionem II, 330 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.

Inhabilitas. Quoad contractus II, 184 seqq. — Quoad licitam susceptionem Ordinum eorumque administ. IV, 349 seqq. vid. *Irregularitas.* — Ut effectus excomm. maj. 410 seq.

Inimici. Quoad dilectionem I, 313 seqq.

Injectio manuum violenta quid sit IV, 450 seq.

Injuria. In *genere* II, 67 seqq. — In *specie* 70 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* t. II.

Innocens. Quoad occisionem I, 457.

Innominatus contractus II, 180.

Inquietudo animi, filia avaritae I, 221.

Insordescentia in excommunicatione quid operetur IV. 403.

Inspectores. Quoad scholas neutras I, 435.

Institutum religiosum. Vid. *Congreg. relig.*

Instruere. Ut est officium: *parentum* I, 433 seqq.; — *superiorum* 441 seq.; — *confessarii* III, 355.

Instrumenta. Quoad contactum in ordinatione III, 476 seq.

Integritas. Quoad auditionem missae I, 421 seq. — Quoad recitationem horarum II, 286 seq.—Quoad confessionem III, 251 seqq.

Intellectus. Quomodo concurrat ad act. hum. I, 3 seq.; — quomodo subsit voluntati 5.

Intentio Quoad actuum moralitatem I, 59 seqq. — Quoad legem implendam 148. — Quoad missae auditionem 418. — Quoad furta minuta II, 82 seq. — Quoad horas can. 297 seq. — Quoad sacram. conficienda 393 seqq. — Quoad ea suscipienda 418 seqq. — Quoad missae applicationem III, 113 seqq. — Quoad indulgentias IV, 260 seq., 267 seq. et 305 in fine.

Interdictum In *genere* IV, 422 seqq. — Interdicta *Piana* 498 seqq. — Interdicta *Tridentina* 500. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Interdictum ab ingressu Ecclesiae. Quid sit IV, 428.

Internationalistae. Quoad excommunicationem IV, 454 seq.

Interpres. Quoad confessionem III, 262 seq.— Quoad sigillum 380 seq.

Interpretatio. Quoad leges I, 157 seqq. — Quoad dispensationem 165 seq.— Quoad privilegium 174. — Quoad juramentum 396. — Quoad votum 407 seq. — Quoad contractus modales II, 197 seq.— Quoad fundationes III, 124 seqq. — Quoad indulgentias IV, 289.— Quoad Const. *Officiorum ac munerum* 507.

Interrogationes in confessione III, 356 seqq.

Interruptio. Quoad actuum multiplicationem I, 208 seq. — Quoad jejunium 505 seq. — Quoad horas canonicas II, 295 seq. — Quoad missam III, 177 seq.

Interstitia III, 471 seq.

Intrusus Quoad susceptionem sacram. II, 426 seqq. — Quoad poenas IV, 430.

Invariabilitas materiae et formae in sacramentis II, 384.

Invadentes bona Ecclesiae Romanae IV, 445 seq. — Bona cujuscumque ecclesiae 473.

Invasor. Quoad occisionem I, 453 seqq.

Inventarium II, 212 seq.

Inventio rerum amissarum II, 50 seq.

Invidentia fraternae charitatis est supremum invidiae peccat. I, 224.

Invidia. Quid, quale peccatum, ejus filiae et remedia I, 223 seq.

Invitati ad prandium. Quoad abstinentiam I, 502.

Involuntarium. Quid et quotuplex I, 27 seq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.

Ira. Quid, quale peccatum, ejus filiae et remedia I, 222 seq.

Irregularitas IV, 349 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Irreligiositas I, 356 et 366 seqq.

Irrisio. Quid I, 489.

Irritatio. Quoad *legem* I, 145 seq.— Quoad *vota* 408 seqq.

Irrumatio. Quid I, 251 et IV, 235.
Ite, missa est. Undenam III, 98.
Iter. Quoad missam audiendam I, 424. — Quoad jejunium 491.
Iteratio. Quandonam et quomodo fieri debeat in sacram. II, 387 seq.

J.

Jactantia. Filia superbiae I, 220.
Jansenistarum ordinationes III, 455. — Circa confess. venialium III, 197 seq.
Jansenius. Circa libertatem I, 23, 25.
Jejunium. Ecclesiasticum I, 502 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I. — Naturale III, 74 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III. — In ordine ad jubilaeum IV, 338 seq.
Jentaculum in die jejunii I, 508 seq.
Joanna papissa III, 461.
Jocalia. In sponsalibus IV, 17.
Jocus I, 472.
Jubilaeum IV, 330 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Judas. An adfuerit institutioni Eucharistiae II, 410 et III, 5 seq.
Judex. An possit damnare reum juridice convictum, quem certo novit innocentem I, 152 et II, 269. — Obligationes II, 268 seqq. — Quoad divortium IV, 98 seqq.
Judicium. Speculativo-practicum et practico-practicum I, 74.
Judicium temerarium. Quid, quantum et quale peccatum I, 491 seqq.
Jura stolae II, 33.
Juramentum I, 385 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Jus II, 8 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Jurati (*membres du jury*). Quoad sententiam ferendam II, 270. — Quoad irregularitatem in judicio sanguinis IV, 358.
Jurisdictio sacramentalis III, 301 seqq. Cfr. *Ind Syn.* tom. III.
Jus patronatus. Quid, quotuplex, etc. II, 322 seq.
Justa causa pro indulgentiis IV, 255 seqq.
Justificatio juxta doctrinam reformatorum II, 379 et III, 195 seq.
Justitia. Quidditas, divisio, etc. etc. II, 1 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.
Justitia christiana juxta protestantes II, 379.
Justum pretium. Ejus norma stabilitur I, 442 seqq.

L.

Labor. Ut excusans ab abstinentia I, 501; — a jejunio 514.
Laesio juris. Quoad bona corporis I, 448 seqq. — Quoad bona honoris et famae 471 seqq. — Quoad bona animi II, 70 seq. — Quod bona fortunae 61 seqq.
Laicalis status II, 266 seqq.
Laicus. An et quando possit sibi vel aliis administrare viaticum II, 370 et III, 42 seq.
Lampades coram SS^mo III, 52.
Lanarii. Quoad jejunium I, 514.
Laparotomia IV, 476.
Latria I, 342 seqq.
Latrocinium. Ut species homicidii I, 449.
Laxismus. Quid sit I, 100.
Lectio librorum pravorum quo jure prohibetur IV, 505 seq. Cfr. ADNOTATIONES in Const. *Officiorum ac munerum* (ibid.).
Lectoratus III, 499 seq.
Lectores. Quoad jejunium I, 516.
Legatum formis legalibus destitutum an valeat in conscientia II, 214 seqq.

Legentes libros apostotarum et haereticorum aut nominatim a S. Sede prohibitos, quandonam excommunicationem incurrant IV, 525 seqq.

Legislator. An teneatur propriis suis legibns I, 129. — Legislatoris civilis obligationes II, 267. — An possit constituere impedimenta, saltem pro infidelibus IV, 120 seqq.

Legitima, sen reservatio II, 206.

Legitimitas conjugum et prolium ut effectus sanationis in radice IV, 228.

Lenitas. Irregularitas ex defectu lenitatis IV, 356 seq.

Lenones. Quoad absolutionem I, 241.

Leoninus contractus II, 248.

Lepra. Quoad susceptionem Euch. III, 81.

Lex. Quidditas, etc. etc. I, 112 seqq. — Causae, effectus et actus legis 111 seq. — Quotuplici modo leges aliae ab *aeterna* deriventur 115 seq. — Quomodo lex negativa et affirmativa obligent 116.

Libellus. *Repudii* an solvebat matrimonium IV, 82 seq. — *Supplex* quoad matrimonium 214 seqq.

Liberalismus. Quidditas, capitale vitium, forma multiplex I, 295 seq.

Libertas. Quomodo concurrat ad act. hum. I. 4 seq. — Ejus quidditas, variae distinctiones 20 seqq. — Qualis requiratur ad act. hum. 24 seq.

Libertates modernae I, 294.

Liberum arbitrium. In quo situm I, 21 seq. — Errores circa illud 22 seq. — Ejus variae definitiones 23. — Non est exstinctum, sed viribus attenuatum 24.

Libri liturgici. Quoad lectionem et impressionem IV, 516.

Libri precatorii. Quoad publicationem IV, 516 seq.

Licitatio vid. *Hasta.*

Ligamen IV, 164. Cfr. *Ind. Syn.* t IV,

Lignatio. Modus occupandi II, 47.

Limitatio fructuum in sacrif. miss. undenam III, 108 seq.

Linea. In consang. IV, 139. — In affin. 173.

Lintea sacra a quibus lavanda III, 161

Litaniae. Quoad approbationem et recitationem I, 349 seq. et IV, 516. — In die festo S. Marci et triduo Rogation. II, 286.

Litterae turpiter amatoriae an possint deferri a famulantibus I, 333.

Litterae apostolicae quaenam sint IV, 527 et 443. — *Testimoniales* III, 459 et IV, 488 seq.

Lixivium. Quoad bapt. II, 453.

Locatio-conductio II, 249.

Locus. Quoad auditionem miss. I, 422 seq. — Quoad sacrilegium 368 seq. — Quoad restitutionem II, 145. — Quoad celebrationem miss. III, 145 seqq. — Quoad debitum conjugale IV, 230. — Quoad indulgentias 271 seq. — Quoad interdictum 423.

Longaevitas. Cur promittatur honorantibus parentes I, 430 seq.

Lora. Quod materiam Euch. conficiendae III, 26.

Loteria seu *Sortitio* II, 261.

Loth. Ejus peccatum I, 36.

Lotio. Pedum in ultima coena III, 5. — Corporalium, etc. 161.

Lucia (S.). Ejus verba ad Paschasium explicantur I, 30 seq.

Luciferiani. Quoad causam peccati I, 199.

Lucrum cessans. Ut titulus ab usura excusans II, 232.

Ludus II, 261.
Lumina. Quoad tabernaculum III, 52. — Quoad expositionem SS^mi 53. — Quoad missae celebrationem 155 seq.
Lunatici. Quoad irregul. IV, 253.
Lunula ostensorii. Quoad benedict., exsecrat. et tactum III, 161 seq.
Lutherani. Circa libertatem I, 22. — Circa causam peccati 199. — Circa justificationem II, 379 seq. et III, 195 seq.
Lux electrica III, 54 et 156.
Luxuria. *In genere.* Quid, quale peccatum, ejus filiae et remedia I, 235 seqq. — *In specie* 238 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.

M.

Macula animae ex peccato, quid sit I, 202 seq.
Magia Quid, quotuplex I, 363 seqq.
Magister. Ejus obligationes erga discipulos I, 441 et II, 71. — Quoad scholas neutras I, 435.
Magnetismus I, 364.
Maledicere I, 384.
Malefactores. Quoad occisionem I, 453 seqq.
Maleficium. Quid, quotuplex I, 363. — Qualiter liceat et non liceat ea solvere vel solvi petere 363 seq.
Malum intrinsecum *per se*, vel *per accidens* I, 25.
Mandans. Quoad cooperationem II, 116 seqq. — Quoad restitutionem (*ibid.*). — Quoad contractum 273.
Mandatarius. Ejus obligationes II, 223.
Mandatum. Ut contractus II, 222.
Manifestatio. Quoad *secreta*, quandonam liceat I, 494 seq. — Quoad ejus *omissionem* in ordine ad restit. II, 128 seqq. — Quoad conscientiam in Institutis religiosis III, 86 seqq. et 318 seqq.
Manipulus. Quoad missam, benedict., exsecrat., materiam, colorem, formam et significationes mysticas III, 162 seqq.
Manuscripta. Quoad dominium religiosorum II, 37. — Quoad excommunicationem IV, 526.
Manutergium in missa III, 155.
Mappa III, 155.
Marcionitae. Quoad causam peccati I, 199.
Mare. Quoad missae celebrationem III, 146.
Maria (S.). Quoad cultum I, 344 seqq. — Quoad sacramenta II, 417, 464; III, 405. — Quoad matrimonium IV, 48 et 54.
Maria Stuart. Quoad communionem III, 42.
Maritus. Quoad votorum irritationem I, 409 seq. — Quoad ejus obligationes 441.
Martyrium II, 444 seq.
Massones. Quoad matrimonium IV, 74 seq. — Quoad censuras 454 seq. — Quoad absolut. 456 seq.
Masturbatio. Vide *Mollities.*
Materia. In lege I, 120 seq. — In consuetudine 182. — In peccatis 192 seqq. — In luxuria 235. — In correct. fraterna 323. — In voto 403. — In auditione missae 421. — In esu carnium die abst. 501. — In violatione jejunii 505 seq. — In furto II, 75 seqq. — In contract. 181 seqq. — In horis canonicis 286. — In sacramentis 378 seqq. — In bapt. 452 seqq. — In confirm. 494 seqq. — In Euch. tam *in fieri*,

quam *in facto esse* III, 23 seqq. — In poenit. 202 seqq. — In extr. unct. 394 seqq. — In ordine 476 seqq. — In matr. IV, 66 — In censuris 389 seq.

Materiale peccati. Quid sit I, 185, 189.

Matrimonium IV, 43 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Matrina. Vid. *Patrini.*

Matutinum et *Laudes.* An recitanda ante missam II, 293.

Mazziniani. Quoad excomm. IV, 454.

Media nox quomodo intelligenda in jejunio naturali III, 75.

Medici. Obligationes II, 277 seq.

Medicinae ars. Quoad clericos II, 306. — Quoad irregul. IV, 358.

Meditatio. Ejus necessitas I, 351 seq.

Medium. Quoad virtutem I, 273 seq.

Membrum genitale. Quomodo subsit imperio voluntatis I, 5.

Memoria. Quoad imperium voluntatis I, 5. — Quoad caecum celebrantem III, 159 seq.

Mendacium. Quid, quotuplex, quale peccatum I, 471 seqq. — In confessione III, 249 seqq.

Mendicantes Ordines II, 327.

Mensa. Ut titulus ordinationis III, 469 seq. — Ut prohibita cum excommunicatis IV, 408 seq.

Menstrua. Quoad susceptionem Euch. III, 81. — Quoad actum conjugalem IV, 230. — Quoad agenesim 234 et 238.

Mercatores. Quoad cooperat. I, 334. — Quoad furta minuta restit. II, 86. — Quoad debita incerta 138 seq.

Mercatura. Quoad excommunicationem IV, 429 et 485.

Meretricium. Quid sit I, 239 seq. — An permitti possint meretrices 241. — An liceat locare ipsis domus 335. — Quoad restitutionem II, 183 seq. — Quoad confess. III, 252.

Meritum I, 65 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I. — Excellentia merit. IV, 208.

Merx II, 236.

Mesmerismus. Vid. *Magnetismus.*

Metallum. Quoad calicem et patenam III, 158.

Metus. Quoad actum human. I, 32. — Quoad legis adimplet. 147. — Quoad legis violat. 153. — Quoad juramentum 389. — Quoad votum 401. — Quoad jejunium 515. — Quoad contractus II, 192. — Quoad sponsalia IV. 7. — Quoad matrim. 161 seq. — Quoad censuras 391.

Militares Ordines II, 328.

Milites. Quoad abstinentiam I, 502. — Quoad bona in bello capta II, 48 et 140. — Quoad desertionem 176.

Militia. Huic se subducere, an liceat II, 175 seq. — Eam deserere 176.

Mille et *decem millium* et ultra annorum indulgentia IV, 250 seq.

Minister in sacramentis II, 389 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II. — Inserviens missae III, 167 et 169.

Minores. Quoad contractus II, 185 seqq.

Misericordia. Ejus opera corporalia et spiritualia I, 318.

Missa. Ut est audienda I, 418 seqq. — Ut est sacrif. III, 94 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III. — Contra Miss. onera non currit praescriptio II, 64.

Missale III, 159 et 176.

Missionis titulus quoad ord. III, 469 seq.

Mitigatio poenarum in inferno an detur III, 112 seq.
Mixta matrimonia IV, 106 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Moderamen inculpatae tutelae I, 453.
Modificationes. Quoad contractus II, 194.
Modus. Quoad contractus II, 197. — Quoad interrogationes in confessione III, 356 seq.
Moechia. Vide *Adulterium.*
Mohatra. II, 243 seq.
Molitores quoad servilia I, 429.
Mollities. Quid sit et quale peccatum I, 252 seq.
Moniales. Quoad statum in Gallia II, 38. — Quoad horas canon. 284 seq. — Quoad clausuram 341. — Quoad ablutionem corporalium, etc. III, 161. — Quoad communionem et conscientiae manifestationem 84 seqq. — Quoad confession. 317 seqq. — Quoad jubilaeum IV, 343. — Quoad poenam, si e clausura exeant 458 seq.
Monititio canonica IV, 282 seq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Monogamia IV, 76 seqq.
Monomachia. Vide *Duellum.*
Monopolium II, 245 seq.
Monstrum an baptizand. II, 465 seq.
Montanistae circa remiss. peccat. III, 198.
Montes pietatis II, 234.
Mora. Ut causa dissolvendi sponsalia IV, 28 seq.
Moralitas. Quid sit I, 44 seq. — In quo constituendae sint regulae morum 46 — Quot et quaenam moralitatis species 47 seq. — Principia seu fontes moralitatis 51 seq.
Morganaticum matrimonium IV, 63 seq.
Moribundi. Quoad restitution. II, 97 seq. — Quoad absolut. III, 225 et 268 seqq,
Morphium II, 278.
Mortale peccatum I, 187 seq., 192 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Morum regulae. In quo constituendae sint I, 46.
Motus. Concupiscentiae primoprimi, secundoprimi, plene deliberati I, 42 seq. — Motus carnales 257 seq.
Mulcta. An custodes debeant restituere mulctas fisco non applicatas II, 129.
Mulier. Quinquagenaria quoad jejunium I, 414. — Quoad clericos II, 396.
Multiplicitas actuum moraliter interrupt. I, 207 seqq.
Mundus. Ut causa peccati I, 201.
Munera accipere a litigantibus, an liceat judici II, 269.
Munus a *manu*, ab *obsequio* vel a *lingua* quibus committitur simonia I, 370. — Munus confessarii ut patris, doctoris, medici, judicis III, 354 seq.
Murarii. Quoad jejunium I, 515.
Mutatio. Quoad materiam et formam in sacramentis II, 384 seqq. — Ut causa dissolvendi sponsalia IV, 24 seq
Mutilatio. Quoad culpam I, 451 seq. — Quoad poenam 452. — Quoad restitutionem II, 159 seqq. — Quoad irregularitat. IV, 365 seq.
Mutuans et *Mutuatarius.* Quoad obligat II, 225.
Mutus. Quoad restitutionem II, 128 seqq. — Quoad matrim. 378. — Quoad confessionem III, 263. — Quoad indulgentias IV, 272. — Quoad irregularit. 354.

Mutuum II, 224 seqq.
Mysteria fidei de necessitate tum *medii*, tum *praecepti* credenda I, 286 seq.

N.

Nani. Quoad irregul. IV, 354.
Naso carentes sunt irregulares IV, 354.
Natantes. Quoad aspectum I, 263.
Nativitas. Ut est modus *accessionis* II, 53.
Nativitas Domini. Quoad stipend. III, 138. — Quoad miss. in media nocte 142. — Quoad triplicem miss. 143.
Naturale. Quomodo differat a voluntario I, 10.
Naturales filii IV, 355.
Naufragium. An liceat in eo tabulam amico cedere I, 316.
Navigantes in Oceano. Cui confiteri possint III, 305.
Necessitas. Triplex quoad proximum distinguitur I, 315; II, 87 seqq. et 406 seq.
Necromantia. Species divinat. I, 358.
Negotiatio. Vetita clericis II, 307 seqq.
Negotiorum gestio. Ut contractus II, 228.
Nemesis I, 223.
Neocatholici. Quoad ordinat. III, 456.
Neomistae. An consecrent cum episcopo ordinante III, 40.
Neophyti. Quoad irregularitatem IV, 354.
Neopresbyter quoad stipendium III, 487 seq.
Nigritarum commercium II, 18 seq.
Nihilistae. Quoad jus proprietatis II, 16 seq. — Quoad excommunicationem IV, 454 seq.
Nix. Quoad bapt. II, 453.
Nomen. Dei et Sanctorum quoad vanam usurpat. I, 377 seq. — Nomen in bapt. imponendum II, 480 seq. — Quandoque mutatur in Confirm. (*ibid.*).
Nomen Jesu. Quoad cultum I, 343. — Quoad indulg. IV, 308 et 328.
Non-jejuno. Quandonam liceat communicare III, 77 seq.; — an liceat celebr. ad dand. viat. 78 seq.
Non-manifestans II, 128 seq.
Non-obstans II, 128 seq.
Notarii seu *Tabelliones*. Quoad cooperationem defraudationi tributorum II, 174. — Quoad eorum obligationes 276 seq. — Quoad irregularit. IV, 355.
Notorietas facti, juris, famae I, 483 seq.; II, 409.
Novatiani. Quoad remiss. peccat. III, 198.
Novae devotiones a S. Sede reprobatae IV, 514. — Quid de libris novas devotiones inducentibus (*ibid.*)
Novitii. Quoad votorum irrit. I, 409. — Quoad ordinationem III, 460. — Quoad eorum sustentationem I, 375 et IV, 464.
Nudus contractus II, 180.
Numerus. Quoad peccata I, 207 seqq. — Quoad sacramenta II, 358 seq. Quoad dona Spiritus S. 491. — Quoad confession. III, 252 seqq.
Nundinae. In festis I, 427.
Nuntii. Quoad indulgentias IV, 254.
Nuptiae secundae et ulteriores IV, 78.
Nupturientes quoad parochum IV, 41 seq.

O.

Obduratis an detur gratia sufficiens ad poenitendum III, 189.

Obedientia. Quoad filiosfamilias I, 431. — Quoad inferiores 438. — Quoad religiosos II, 336 seq. — Quoad sacerd. erga episc. III, 488.
Obex gratiae in sacram. II, 376 seq.
Objectum. Quoad actum moralem I, 53 seqq. — Quoad legem 120 seq. — Quoad consuetudinem 182.
Oblationes in missis III, 177.
Oblivio. Ut causa excusans ab integrit. confess. III, 262. — Oblita peccata an adhuc sint confitenda et absolvenda 272 seq. et 66.
Obreptio. Quid I, 163 seq.
Obsceni libri quoad prohibitionenem IV, 512 seq.
Observantia. Ut superstitio I, 362. — Ut virtus 438 seq.
Obsessio I, 398.
Occasio peccati III, 363 seq.
Occasionarii. Quoad absolut. III, 366 seqq.
Occisio. Malefactoris, — aggressoris — innocentis I, 453 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Occultatio seu *dissimulatio* fidei I, 290 et 477.
Occultum impedimentum IV, 205, 211, 218. — *Omnino* occultum 223.
Occupatio. Ut modus acquirendi dominium II, 42 seqq.
Oculus canonicus IV, 354.
Odium Dei filia luxuriae I, 237. — Est omnium peccatorum gravissimum 312. — Odium proximi est filia invidiae 224. — Adversatur charitati 313. — Indirecte seu implicite prohibetur per V Decal. praecept. 448 seq. — Qui ex odio diversa mala proximo exoptat, an teneatur illa in conf. *specifice* manifestare I, 210 seq. — An in peccatis odii circumstantia *propinquitatis* debeat exprimi III, 258 seq.
Officia saecularia quoad clericos II, 306.
Officium canonicum II, 281 seqq.
Officium parvum B. M. V. est recitandum in lingua *latina* ad lucrandas indulg. IV, 316 et 337.
Officium (S.). Quoad excommunicat. eorum qui hujus tribunalis personas laedunt aut scripturas diripiunt IV, 479 seq.
Oleum sanctum. Triplex distinguitur III, 394.
Omen. Species divinationis I, 358.
Onanismus. Ut species luxuriae I, 258. — Quoad interrogationes a confessario faciendas III, 357 et IV, 239. — Quoad remedium IV, 234.
Onanista Quomodo uxor se geret cum viro *onanista* IV, 233.
Onera missarum. Contra illa non praescribitur II, 64.
Onerosus contractus II, 180 et 235 seqq.
Oneiromantia. Species divinationis I, 358.
Opera liberalia I, 426.
Opere operato, — operantis, quid sit II, 367 seqq.
Opifices. Vid. *Artifices.*
Opinio. An differat a dubio I, 85. — Quid sit opinio *probabilis* 93. — Sub quotuplici respectu spectari possit 93 seq. — Quid sit opinio *communis, communior, communissima* 94. — Quid sit opinio *minus probabilis, aeque probabilis, probabilior, probabilissima, tenuiter probabilis* 94. — Quid sit opinio *tutior* et *minus tuta* 95. — An possit dari opinio quae sit tutior et minus probabilis aut

probabilior et minus tuta 95 seq. — An semper teneamur sequi opinionem *tutiorem* 96. — Quandonam teneamur sequi op. *tutiorem* 96 seq. — An aliquando sit obligatio sequendi opinionem minus probabilem et minus tutam 105. — An quis possit in eadem materia, inter probabiles opiniones, modo hanc, modo oppositam sequi 105 seq.

Opium. Ejus usus in operationibus chirurgicis I, 233.

Opus. An opera dirigi debeant ad gloriam Dei, ut sint moraliter bona I, 63. — An fieri debeant ex charitate, ut sint meritoria *de condigno* 68. — Opera *ex gratia* facta quotupliciter distinguantur 72 seq.

Oraculum. Ut species divinationis I, 358.

Oratio I, 348 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I. — Orationes in Missis quotidianis defunctorum III, 172 seq. — Oratio funebris quomodo habenda 439.

Oratoria. Publica, quasi publica, privata III, 146. — Quaenam observanda circa privata 151 seq. — Per se requiritur oratorium *stricte publicum* pro visitatione ecclesiae ad lucrandum indulgentiam IV, 336.

Ordines religiosi II, 327 seq.

Ordo. In dilectione I, 315; — in correptione fraterna 324; — in restitutione II, 140 seq.; — in recitatione horarum 294.

Ordo seu *Ordinatio* III, 431 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.

Ordo. Ut imped. dirim. IV, 163. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Originale peccatum I, 186 seq. — Ejus poenae 202 seq.

Origenes. Quoad mendacium I, 473.

Os. Quoad privat. commun. civilis IV, 409.

Oscula. Extra conjugium I, 260 seqq. — In conj. IV, 236.

Ostensorium. An debeat benedici III, 161.

Ostentum. Quomodo baptizandum II, 464.

Ostiariatus III, 497 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.

Ova. Quod jejunium I, 519.

Ovarii utriusque defectus an constituat imped. *impotentiae* IV, 194.

P.

Palla III, 159.

Pallium III, 155.

Palpo. Quoad restitut. II, 124 seq.

Panis. Ut materia remota Euch. III, 24 seqq.

Papatus III, 444.

Paramenta sacra III, 158 seqq.

Paraphernalia bona uxorum II, 30.

Parcimonialia bona clericor. II, 34.

Parentes Quoad irritat. votor. I, 409. — Quoad obligationes erga filios 433 seqq. — Quoad testamentum II, 218. — Quoad ingressum in relig. 331 seq. — Quoad sponsalia et matrim. filior. IV, 8 seq.

Parochi. Obligationes II, 316 seqq. — Quoad ingressum in relig. 329 seq. — Quoad administ. sacram. 406 seqq. — Quoad missam pro populo III, 120 seq. — Quoad nupturientes IV, 41. — Quoad assistentiam matrimonio 183 seqq. — Quoad matrim. invalide contractum 225 seqq.

Participans. Quoad restitutionem II, 126 seq.
Participatio activa et passiva sacr. qua privant. excomm. IV, 403 seq.
Particulae consecratae quandonam renovandae III, 52.
Partus. Quoad accelerationem I, 460; IV, 476.
Parvitas materiae in quibusnam peccatis dari nequeat I, 196. — An in luxuria detur 235 seq.
Pascere II, 47.
Pascha. Quid I, 526.
Passio Christi. Cur ejus passioni et morti salus et redemptio nostra specialiter sit adscribenda II, 364 seq. et IV, 266.
Patena III, 157. — Significatio 162.
Paternitas IV, 146.
Patriarchatus III, 445.
Patrimonialia bona quoad cler. II, 33 seq.
Patrimonii titulus quoad ord. III, 468 seq.
Patrini. In baptismo II, 471 seqq. — In confirmatione 509 seqq,
Patronatus II, 322 seq.
Paupertas. Quoad votum II, 337 seq. — Quoad titulum ord. III, 469 seq.
Paupertas viduae. Ut causa dispensat. IV, 208.
Peccatum. Quidditas, divisio, gravitas, causae, effectus I, 185 seqq. — An detur pecc. pure *philosophicum* 186. — Distinctio *specifica* et *numerica* 204 seqq.
Peculatus. Ut circumst. furti II, 74.
Peculium. Quoad religios. II, 337.
Pelagiani. Circa liberum arbitrium I, 22.
Pensio quae solvitur a gubernio II, 34 et 321.
Percussio clerici vel monachi IV, 450 seq.
Peregrinationes. Quoad originem I, 347. — Quoad jejunium 516.
Peregrini. Quoad leges I, 130 seqq. — Quoad absolutionem a reservatis III, 329 seq. — Quoad ordines 457 seq. — Quoad matrim. IV, 183 seqq. — Quoad libros proscriptos ab Ordinario 519.
Perfectio. Obligatio tendendi in illam pro religiosis II, 334 seq.
Perfidia filia avaritiae I, 221.
Periculum peccati III, 363.
Perjurium I, 390 seq.
Permutatio. Ut contractus II, 242.
Perpetuitas seu *Firmitas* matrimonii IV, 78 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Perplexa conscientia I, 83 seq.
Persona moralis. Quoad dominium II, 40 ssq.
Pertinacia. Ut filia superbiae I, 220, — Ut requisita ad haeres. form. 297 seq.
Perturbatio gallicana. Quoad restitutionem bonorum II, 176 seqq.
Petrolium III, 52.
Pharmacopolae. Obligationes II, 267 seq.
Philtrum I, 363.
Photographi in die festo I, 426.
Phisionomia species divinat. I, 358.
Pietas. Ut exhibenda parentibus I, 431 seqq. — Ut excusans opera servilia in die festo 429.
Pignus II, 258.
Pileolum. Quoad missam III, 173 seq.
Pingere in die festo I, 426.
Piscatio. Ut est modus acquirendi II, 43 seqq. — An licita diebus festis I, 426.
Pisces cum carne in eadem refectione die jejunii I, 510.
Pistores. Quoad opera servilia in die festo I, 428. — Quoad jejunium 514.

Plagium seu *Plagiatus*. Ut circumstantia furti II, 74.
Planeta. Vid. *Casula*.
Plantatio. Ut est modus accessionis II, 54 seq.
Plato. Quoad mendacium I, 473.
Pluralitas beneficiorum II, 323 seq.
Poena. An delinquens eam effugiat, si poenituit facti ante effectum secutum I, 144.— Originalis peccati 203 seq. — Poena *conventionalis* in contractibus II, 197. — Ut titulus excusans ab usura 232. — Ut adjecta sponsalibus IV, 15 seq. — Poenae *canonicae* 370. — *Vindicativae* 371 seqq. — *Medicinales* 374 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Poenalis. An de facto dentur leges mere poenales I, 145 seq.
Poenitentia. Ut *Virtus* III, 181 seqq. — Ut *Sacramentum* 197 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.
Poenitentia. Ut *Satisfactio* III, 280. — Pro poenit. praesertim imponenda est *Oratio pro defunctis* 283 seq. — An possit imponi *publica* 288. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.
Poenitentiaria IV, 211 seq.
Pollutio. Quid I, 252. — Quandonam sit pecc. mortale, veniale, nullum 255 seq. — Quoad communionem III, 81. — Inter conjuges IV, 235.
Polyandria IV, 76.
Polygamia IV, 76 seq.
Portiunculae indulgentia IV, 280.
Possessor bonae, malae vel dubiae fidei II, 95 seqq.
Potentes ad bibendum qualiter peccent I, 231.
Potentia peccandi non est de essentia libertatis I. 22.
Potestas ecclesiae statuendi imp. dirimentia IV, 117 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Potestas. Condendi leges I, 116 seq. — Undenam proveniat 117 seq.
Potus inebriativus in operationibus chirurgicis I, 233 seq.
Praecepta. Decalogi I, 335 seqq. — Ecclesiae 496 seqq.
Praecipitatio filia luxuriae I, 237.
Praeco in vendit. sub hasta II, 244.
Praedestinatiani circa liberum arbitrium I, 22.
Praegnantes mulieres quoad abstin. I, 501. — Quoad jejun. 514.
Praelaturae inferiores III, 445.
Praescriptio. Quid, quotuplex II, 55 seq. — An valeat in conscientia 55 et 64; — conditiones 56 seqq. — Quandonam interrumpatur, quandonam dormiat 65 seq. — Non currit contra onera miss 64.
Praesentia realis in Eucharistia stabilitur III, 10 seqq. — Quandonam cesset in Euch. 20 seqq. — Qualis requiratur praesentia pro consecratione materiae in Euch. 32 seq.
Praeservationis privileg. IV, 316.
Praestigium. Species divinationis I, 358.
Praesumptio. Quoad legem I, 140. — Quoad *spem*. 306 seq.
Precarium II, 220.
Preces recitandae pro indulgentiis IV, 337 seq.
Presbyteratus III, 481. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.
Pretium justum I, 442 seqq. et II, 251 seqq.
Primatia III, 445.
Principes. Obligationes II, 267. — An habeant potestatem statuendi impedimenta IV, 120 seqq.

Principia actuum humanorum I, 3 seqq. — Circa sententiam a confessario ferendam III, 361.
Principia reflexa. Quibus consc. speculative dubia fieri possit moraliter certa I, 86 seqq.
Priscillianistae. Circa liberum arbitrium I, 22.
Privatio. *Sepulturae eccles.* III, 427 seqq. — Communionis *civilis* IV, 408 seq.— Commun. *forensis* 409.
Privilegiata missa non confundenda cum *altari privil.* IV, 303.
Privilegium. Quidditas, distinctio a quo et cui concedendum, interpretatio, cessatio, renuntiatio, revocatio, non usus, abusus I, 169 seqq. — Clericorum II, 319 seq. — Regularium 346 seqq.
Privilegium Altaris IV, 298 seqq. — *Tricenarii Gregoriani* 318 seq. — Altaris *S. Greg.* in Monte Coelio 319. — *Ad instar* (ibid.).
Privilegium praeservationis IV, 316 seq.
Privilegium sabbatinum IV, 316.
Probabiliorismus. Quid sit I, 99 seq.
Probabilismus. Quid sit I, 99 seq.
Probabilitas. Vid. *Opinio.*
Probitas. Quoad ministrum sacrament. II 393 seqq.— Quoad vocat. et ordinat. III, 463.
Procationes. Quid de iis dicendum I, 266 seq.
Proclamationes. Vid. *Banna.*
Procuratio abortus I, 457 seq. et IV, 475 seqq.
Procurator. Officia II, 270.— Quoad matrim. IV, 49.
Proditio. Ut filia avaritiae I, 221. — Ut species homicidii 449.
Productio. Ut est modus *accessionis* II, 53.
Profectitia bona filiorum II, 26.
Professio fidei I, 288.
Professio religiosa. Requisita ad illam II, 332: — ejus effectus 333.
Proles. Ut bonum matrimonii IV, 50 seqq.
Promissio. Ut contractus II, 201 seqq.
Promulgatio. Quoad legem I, 135.
Propositiones quas docere vel defendere vetitum est sub poena excom. latae sent. IV, 448 seq.
Propositum quoad contritionem III, 240 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.
Proprietates matrimonii IV, 73 seqq.
Proscriptorum bona quoad restit. II, 178.
Proxeneta II, 246 seqq.
Proximus quis sit I, 309 seq.
Prudentia. Ut virtus cardin. I, 270.
Pruritus. Quoad tactum I, 261.
Publica honestas IV, 166 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Publicitas. Triplex I, 483.
Pueri. Ante septennium an teneantur legibus positivis I, 128. — Quid in dubio an adepti sint usum rationis 129. — Quoad confess. annuam 519. — Quoad comm. pasch., viat. et prim. commun. 524 seq. — Quoad absol. sub condit. III, 221.
Purgatorium. Quoad virtutes I, 274. — Quoad restitution. II, 95. — Quoad missam III, 106.
Purificatorium III, 159.
Pusillanimitas filia acediae I, 225.
Pyxis. Qualis III, 50; — quoad benedictionem, tactum, etc. 161; — quomodo purificanda 55.

Q.

Quaestuosa negotiatio clericis prohibetur II, 308 seq.

Qualificatus seu *Non-purus* contractus II, 180.
Quamprimum confitendi praeceptum explicatur III, 72 seq.
Quantitas rei ablatae sub *triplici* respectu considerari debet ut judicetur de gravitate furti II, 75 seqq. — Qualis requiratur quantitas ad peccandum mortaliter per furta *minuta* 84 seq. — Quomodo determinanda quantitas notabilis in furto *sacrilego* 86. — Quantitas restituenda 133. — Quantitas aquae miscenda vino in miss. III, 29. — Circumstantia quantitatis an debeat exprimi in confess. 254 seq.
Quarta funeralis III, 421 seq.
Quasi-castrensia bona II, 24.
Quasi-contractus II, 180.
Quasi-domicilium IV, 187 seqq.
Quasi patrimonialia II, 33.
Quesnellus. Quoad connexionem virtutum I, 272.— Quoad fidem 277. — Quoad oration. peccat. III, 193. — Quoad absolutionem 359.
Quietistae. Quoad amorem concupiscentiae I, 310.
Quinquennalia IV, 203.
Quotidiana communio III, 83 seqq.

R.

Rancor filia acediae I, 225.
Rapina. Species furti II, 73 seq.
Raptores mulierum quoad excomm. IV, 484.
Raptus. Ut est species luxuriae I, 244. — Ut est impedimentum dirimens IV, 200 seqq. Cfr. *Ind Syn.* tom. IV.
Rationalistae. Quoad excomm. IV, 433.
Ratum matrimonium IV, 61 seq.
Reatus. Culpae seu *macula* I, 202 seq. — Poenae (*ibid.*).
Rebaptizandus quoad confessionem III, 208 seq
Rebaptizans, Rebaptizatus quandonam irregul. IV, 359 seq.
Rebellare. An aliquando licitum I, 439 seqq.
Recentes sint hostiae consecrandae III, 25.
Receptans seu *Receptator.* Quoad restitutionem II, 125 seq.
Recidivi quoad absolutionem III, 363 seqq. Cfr. *Ind, Syn.* tom. III.
Reconciliatio. Quoad inimicos I, 317 seq. — Quoad eccles. pollutam III, 150. — Quoad coemeterium 433 seq.
Recuperatio virtutum III, 193 seq.
Recurrentes ad laicam potestatem quandonam excommunicentur IV, 438 seq.
Recursus. Vid. *Receptans.*
Reditus ecclesiastici quomodo impendendi II, 34 seq,
Redemptionis pactum. Vide *Retrovenditio.*
Reductio. Quoad donationem II, 206.
Reductio Missarum III, 127 seq.
Refectio unica in die jejunii I, 505 seq.
Reflexa principia I, 87.
Reges, Reginae. Quoad censuras IV, 384. — Quandonam reginae possint ingredi in septa monasterii virorum 460 seq. et II, 341 seq.
Regina coeli. Quoad indulgentiam IV, 338.
Regulae. Quoad interpretationem doctrinalem I, 158 seq.
Regulae morum. In quo constituendae sint I, 46.
Regulae Ordinum quoad obligationem II, 334 seq.

Regulares. Quoad leges episcoporum I, 139. — Quoad interpretationem eorum privilegiorum 176. — Quoad eorum obligationes II, 336 seqq. — Quoad transitum, ejectionem, etc. 343 seqq. — Quoad varia privilegia 346 seqq. — Quoad statum dispersionis 351 seq — Quoad jurisdictionem et approbationem III, 314 seq. — Quoad confessionem 317 seqq. — Quoad ordinationem 460. — Quoad excommunicaiionem IV, 468 seq. et 474 seq.

Reincidentia. Quoad absolut. a censuris III, 305 et IV, 394.

Relapsus praecedentes et subsequentes non habent *logicam* connexionem cum *actuali* dolore et proposito III, 368 seq.

Relatio actuum ad Deum I, 63 seq., 68, 311.

Religio. Ut virtus I, 339 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.

Reliquiae. Quoad cultum I, 343 seq. — Quoad *furtum* II, 86 et IV, 469. — Non adhibendae in expositione publica SS^mi III, 54.

Remedia. Contra scrupulos I, 107. — Contra consc. laxam 108. — Contra peccata capitalia 220-237. — Contra onanismum in conjugio IV. 234.

Remissio peccatorum venialium quomodo obtinetur II, 437; — III, 90, 190 et 390.

Repetitio formae II, 388 et III, 39.

Repudiatio mulieris apud Hebraeos IV, 82 seq.

Res accepta. Ut titulus restitut. II, 98.

Rescissio seu *Rescindibilitas* in contract. II, 201.

Reservatio casuum III, 321 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.

Residentia. Quoad episcopos II, 313 et IV, 500. — Quoad canonicos II, 313 seq. — Quoad pastores 316.

Resignatio. Quoad beneficia II, 324.

Restitutio. In communi II, 94 seqq. — In specie 158 seqq. — Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.

Restrictio mentalis I, 474 seqq.

Retentio donorum a religiosis acceptorum an sit casus papalis reservatus III, 336 seq.

Retinentes libros prohibitos, quandonam excommunicentur IV, 525 seqq.

Retrovenditio II, 243.

Reus. Obligationes II, 272 seq. — Quoad defensionem et fugam 274 seq. et I, 142 seq.

Revalidatio matrimonii IV, 226 seqq.

Revelatio. Quoad secretum I, 494 seq. — Quoad crimina II, 274. — Quoad sigillum III, 382 seqq. — Quoad impedimenta IV, 38 seqq.

Revelationes privatae I, 280 seq. et IV, 514 seq.

Reverentia erga parentes et superiores I, 431 seq.

Reviviscentia sacramentorum II, 373 seqq. — Meritorum III, 191.

Revocatio. Quoad privilegia I, 176 seqq. — Quoad donation. II, 208 seqq.

Rigorismus absolutus et mitigatus I, 100.

Rituale Romanum. Quod obligation. II, 431.

Ritus. Vid. *Caeremoniae.*

Rixa I, 464.

Rogationes. Quoad abstinent. I, 501. — Quoad litanias dicendas II, 286.

Rosaria. Quoad materiam IV, 304.

— Quoad benedict. 304 seq. — An uni possint applicari indulg. diversae 305 seq.

Rosarii (SS) confraternitas IV, 308 seq. — Sanatio confraternitatum SS. Rosarii 321.

Rosarium vivens IV, 309.

Rosarium perpetuum IV, 309.

Rubricae quoad Missam III. 169 seqq.

S.

Sabbatinum privilegium IV, 316 seq.

Sabbatum. Quoad mutationem in dominicam I, 417. — Quoad esum carnium 501.

Sabbatum sanctum. Quoad communionem III, 45. — Quod missam 141.

Saccharum. Quoad jejunium eccles. I, 508.

Sacerdos. Quot peccata committat celebrans in mortali I, 211 et III, 41. — Quomodo peccet, si in mortali Euch. dispenset II, 402 et III, 43. — An toties peccet, quoties in mortali absolvit II, 404 seq.

Sacerdotium. Duplex distinguitur III, 448. — Minus seu *presbyteratus* 481 seqq. — Majus seu *episcopatus* 488 seqq.

Sacramenta. In genere II, 354 seqq. — Differentia inter vetera et nova sacramenta 356. — Undenam eorum virtus 363. — Quid sit *sacramentum tantum*, — *res et sacramentum*, — *res tantum* 388 seq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.

Sacramenta. In specie. *Bapt.* II, 438 seqq. — *Conf.* 485 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II. — *Euch.* III, 1 seqq. — *Poenit.* 196 seqq. — *Extr. unct.* 386 seqq. — *Ord.* 440 seqq. — Cfr. *Ind. Syn.* tom. III. — *Matr.* IV, 1 seqq. — Cfr. *Ind. Syn.* tom IV.

Sacramentalia. Quidditas, numerus II, 432 seqq. — Valor 436. — Effectus 436 seq.

Sacrificium. Generice sumptum III, 94 seqq. — Veteris legis 96. — Christi in cruce 97. — Missae 98 seqq.

Sacrilegium. Ut species luxuriae I, 246 seqq. — Ut species irreligiositatis 367 seqq.

Sacrista. Quoad regulares mendic. III, 161.

Sacrosanctae. Quomodo haec oratio sit recitanda IV, 337 et II, 300.

Saevitia. Ut causa divortii IV, 91. — Ut causa irregul. 365. — Ut causa excomm. 436 seqq.

Salarium. Vid. *Pretium justum.*

Salarium familiale an debeatur ex justitia commutativa I, 445 et II, 251 seqq.

Saltus. Quoad ordinat. III, 454 et 474.

Sanatio. Quoad restitutionem bonorum ecclesiasticorum II, 177. — Quoad confraternitatem SS. Rosarii IV, 321.

Sanatio in radice IV, 227 seq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Sancti. Quomodo venerandi I, 343 seqq.

Sanctificatio festorum I, 498 seq.

Sanctitas vitae. Quoad clericos II, 279 seq.

Sanguinis baptismus II. 444 seq.

Sartores. Quoad cooperat. I, 334. — Quoad opera servilia 428. — Quoad furta minuta II, 82.

Satisfactio. Quoad sacr. poenit. III, 280 seqq. — Cfr. *Ind. Syn.* t. III.

Satisfactiones Christi et SS. quoad indulgentias IV, 243 seq.

Scandalum I, 325 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Scapularia IV, 309 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Schedula confessionis an danda non absoluto III, 383.
Schisma. Quid, quotuplex I, 300. — Quoad excommunicat. IV, 435 seq.
Scholae. Neutrae, mixtae, laicae, normales I, 434 seq.
Scientia. Quoad confessarios III, 355. — Quoad ordines III, 467.
Scotistae quoad essentiam Sacram. Poenit. III, 199.
Scripturae sacrae libros aut ejus commentarios imprimentes aut imprimi facientes sine approbatione Ordinarii IV, 529 seq.
Scrupulus. Quid agendum sit ei qui scrupulis laboret I, 107 seq.
Scrutinium. Quid III, 464. — Triplex distinguitur (*ibid.*).
Sculpere in die festo I, 426.
Scurrilitas Filia gulae I, 228.
Sebum. Quoad missae celebrat. III, 155.
Secretum. Naturale, commissum, promissum I, 499. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I. — Sacramentale seu sigillum III, 374 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.
Sectae. Massonicae aut Carbonariae aut ejusdem generis quoad excomm. IV, 454 seqq.
Sectio caesarea II, 481 seqq.
Seditio I, 464.
Seductor puellae ad quid teneatur II, 163 seq.
Semen mulieris quoad generat. I, 254 seq.
Semi-fatui. Quoad communion. III, 63. — Quoad absolut. sub condit. 221.
Semi-Pelagiani. Circa libert. I, 32.
Semi-Quietistae. Quoad objectum formale charit. theol. I, 310.
Semi-voluntarium I, 11.
Senatores. Ut ad legem iniquam concurrentes II, 123 seq. — Ut senatum subterfugientes 129.
Senes. Quoad jejunium eccles. I, 514 seq. — Quoad matrim. IV, 193.
Sententia communis, communior, communissima I, 94. — Principia circa sententiam a confessario ferendam III, 361 seq.
Separatio bonorum II, 28 et 31. — Conjugum IV, 89 seqq. — Oratorum 271 seq.
Septenarius numerus sacramentorum stabilitur II, 359. — Donorum Spiritus Sancti 491 seq.
Sepultura III, 419 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.
Sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus Eccles. IV, 444 seq.
Sequestrum II, 222.
Sermones impudici. Extra connubium I, 263 seq. — In connubio IV, 234 seqq.
Servi seu *Mancipia* quoad irregul. tom. IV, 355.
Servientes infirmis. Quoad auditionem Missae I, 424. — Quoad jejunium 516.
Servilia I, 425.
Servitus. Ut species dominii II, 14 seq. — Ut status subjectionis 17 seq. — Ejus abrogatio christianae religioni tribuenda 19. — Ut impedimentum matrimonii dirimens IV, 133 seq.
Sexagenarii. Quoad jejunium I, 514 seq.
Sigillum sacramentale III, 374 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.

Signa. Imperfecti consensus I, 194. — Perfectae ebrietatis 229 seq. — Dilectionis inimico exhibenda 317 seq. — Verae possessionis diabolicae 398. — Vocationis ad statum II, 265 seq. — Dispositionis in poenitente III, 360 seq. — Vocationis ad ordines 463 seq.

Signaculum virginale. Quid sit I, 243.

Simon Magus. Quoad formale peccati I, 190. — Quoad causam peccati 199.

Simonia. Quid, quotuplex, quale peccatum I, 369 seqq. — Poenae 376 et IV, 462 seqq. — Restitutio I, 376 seq.

Simulatio. Quid I, 477. — Quoad sacramenta II, 411 seqq.

Simultas materiae et formae in sacramentis II, 382 seq.

Socialistae. Quoad jus proprietatis II, 16 seq. — Quoad excommunicationem IV, 454 seq.

Societas. Ut contractus II, 247 seq.

Sodalitas Franciscalium Tertii Ord. saec. IV, 324 seq.

Sodomia. Quid sit I, 249 seq.

Solemnitas votorum undenam repetenda II, 37 et IV. 136 seq.

Solemnitates civiles. Quoad matr. celebrationem IV, 240 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Solidarii. Quoad excomm. IV, 454.

Solidaritas. Quoad restitutionem II, 133 seqq.

Sollicitatio ad turpia in confessione III, 345 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* t. III.

Solutio. Ut differt a restit. II, 94.

Somnia. Quid liceat ex iis conjicere I, 359 seq.

Sortes. Quotuplicis generis I, 359. — Periculum sortis in mutuo II, 237.

Sortilegium I, 359.

Sortitio seu loteria II, 261.

Species. Quoad peccata I, 204 seqq. — Quoad Eucharistiam III, 17. — Quoad praesentiam realem 20 seq. — Quoad confessionem 252 seqq.

Specificatio. Ut est modus accessionis II, 54.

Spectacula. Quid de iis dicendum I, 265 seq.

Spelta. Quoad materiam in Euch. III, 24.

Spes. Ut virtus theolog. I, 301 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.

Spiritismus I, 364 seq.

Sponsalia IV, 1 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Sponsio II, 260 seq.

Spontaneum. Quomodo differat a voluntario I, 10.

Spurius IV, 355.

Statuae obscoenae. Quoad aspectum et confect. I, 263.

Status. In genere II, 264 seq. — Laicalis 266 seqq.: — Clericalis 279; — Religiosus 325 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II. — *Liber* in ord. ad matr. IV, 35 et 165 seq.

Stearina III, 155.

Stipendium missae III, 128 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.

Stola. Quoad jura II, 33. — Quoad miss. III, 162 seqq.

Stultiloquium filia luxuriae I, 237.

Stuprator. Quis sit et ad quid teneatur II, 163.

Stuprum. Quid I, 242. — An liceat illud pati. 31 seq. — Restitutio ob stuprum II, 163.

Stylus curiae IV, 214 seq.

Suadente diabolo quid sit IV, 451.

Suadere minus malum, ut vitetur majus I, 329 et II, 122 seq.

Subdelegare quandonam possit delegatus I, 163.
Subdiaconatus III, 496 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.
Subjectum. Legis I, 126. — Dominii II, 21 seq. — Contractus 184 seqq. — Sacramentorum 416 seqq. — Baptismi 463 seqq. — Confirm. 498. — Euch. III, 55 seqq. — Poenitentiae, ut est virtus 185; ut est sacram. 198. — Extr. unct. 404 seqq. — Ord. 461 seqq. — Matrim. IV, 70 seqq. — Irregularitat. 350. — Censurae 384.
Subreptio. Quid I, 163.
Subsannatio. Quid I, 489.
Substitutio. Quoad canonicos in choro II, 314 seq.
Suburbicarii clerici IV, 492 seq.
Suffragatores. Quoad reparationem damni II, 123 seq. Vid. *Consentiens.*
Suffragia communia Ecclesiae IV, 405 seq.
Suicidium. Quoad culpam I, 450 seqq. — Quoad poenam 452.
Sumptio Eucharistiae qualis necessitatis III, 53 seqq.
Superbia. Quid, quotuplex, quale peccatum, ejus filiae et remedia I, 219 seq.
Superflua. Alia sunt *vitae*, alia *statui* I, 319 seqq.
Superiores. Obligationes eorum erga inferiores I, 441. — Quoad religiosos II, 235 seq.
Superstitio. Quid, quotuplex, quale peccatum I, 356.
Surdi. Quoad irregul. IV, 354.
Surdo-muti. Quoad commun. III, 63. — Quoad confess. 263. — Quoad indulg. IV, 272.
Susceptio in baptismo II, 473.
Suspensio. In genere IV, 412 seqq. — Suspensiones *Pianae* 486 seqq. — Suspensiones aliae addendae necnon *Tridentinae* 494 seqq.
Suspensio ex informata conscientia IV, 417 seqq.
Suspicio temeraria I, 492.
Susurratio. Quid sit I, 224 et 478.
Synagogas judaeorum aedificare an liceat I, 333.
Synderesis. Quidditas I, 74. — Quomodo differat a conscientia 76 seq.
Systemata circa relativae probabilitatis usum I, 99 seqq.

T.

Tabacum. An frangat jejunium eucharisticum III, 77 seq.
Tabella secretarum. Quoad miss. III, 160.
Tabellio. Vid. *Notarius.*
Tabernaculum III, 50 seq.
Tabulae rotantes I, 364 seq.
Taciturnitas. Quoad assensum I, 12. — Quoad sponsalia IV, 5 seq.
Tactus. Corporis extra conjugium I, 260 seq. — In conjugio IV, 234 seqq. — SS. Vasorum eorumque paramentorum III, 161 seq.
Taxa. Quoad stipendium miss. III, 128 seq. — Quoad dispensat. matrim. IV, 212 Vid. *Componenda.*
Telephonium. Quoad absolut. a peccatis III, 218. — Quoad absolut. a censuris IV, 396.
Templa haereticorum aedificare an liceat I, 333.
Tempus. Quoad circumstant. I, 58. — Quoad refectionem in jejunio 506. — Quoad praescript. *acquisitivam* II, 58, *liberativam* 63 seqq. — Quoad horas canon. 290 seq. —

Quoad jejun. naturale III, 74 seq. — Quoad indulg. IV, 262, 271. — Tempus pro lucranda indulg. alicui determinato diei affixa currit *a media nocte ad mediam noctem*, nisi aliud expresse habeatur in indulto concessionis 285. — Quod valet etiam pro indulgentiis ratione *festivitatum* concessis (*ibid.*). — Quod si indulgentia concessa sit *a primis vesperis usque ad occasum solis sequentis diei*, tunc tempus pro ea lucranda incipit non *a media nocte*, sed *a primis vesperis* (ibid.). — Qua vero hora primae vesperae incipiant, inter DD. disputatur juxta dicta II, 291.

Tempus clausum IV, 112. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Tentatio Dei I, 366 seq.

Tentationum seu peccatorum causa occasionalis *extrinseca* et *intrinseca* I, 201.

Testamentum II, 210 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.

Testiculi utriusque carentia ut imped. matrim. IV, 194. — Unius testiculi abscissio quoad irreg. 365.

Testimoniales litterae III, 459 seq.

Testis. Obligationes II, 271 seq. — Quoad matrimonium IV, 191.

Textores. Quoad jejun. eccles. I, 514.

Theatra. Vid. *Spectacula.*

Thesaurus. Quoad occupationem II, 48 seqq. — Quoad indulgentias IV, 247 seqq.

Timor relative ad contrition. III, 230.

Titulus. Quoad praescript. II, 57. — Quoad jurisdict. III, 306 seq. — Quoad ordinat. 468 seqq.

Tolerantia modernarum libertatum I, 294 seqq.

Tolerati IV, 491 seq.

Tonsura. Ejus gestatio II, 281. — Quidditas, instit., signif., effectus, etc. III, 502 seqq.

Torpor filia acediae I, 225.

Trajani imperatoris liberatio ab infernis est factum commentitium III, 111.

Transitus de una ad aliam religionem II, 343.

Translatio indulgentiarum IV, 228 seq.

Transsubstantiatio stabilitur III, 15 seq.

Tributum. Quid, quotuplex II, 172. — Tributorum solutio 173 seq.

Tricenarium Gregorianum IV, 318

Trinus contractus II, 248 seq.

Tristari de bono alterius I, 223.

Tumor mentis filia irae I, 222.

Tunsio pectoris ut sacramentale II, 434.

Turpiloquia. Quid de iis dicendum I, 263 seq.

Tutiorismus. *Strictus* quid sit I, 96. — Quis ejus auctor 100. — *Mitigatus* quid sit (*ibid.*).

Tutum. An semper teneamur sequi *tutiora* I, 96. — Quandonam teneamur ea sequi 96 seq.

Typographi. Quoad cooperationem I, 334. — Quoad festa 425 seq. — Quoad jejunium eccles. 514. — Quoad librorum approbationem IV, 524. — Quoad censuras 525 seqq. et 529 seq.

Tyrannus. An ejus leges obligent in conscientia I, 139. — An liceat tyrannum occidere 453 seq.

U.

Unctio (Marc. VI, 13), quae pertine-

bat ad donum miraculorum, non fuit sacram. extr. unct., sed illius *figura* seu *adumbratio*, cum illa unctio etiam aegris non baptizatis nec de vita periclitantibus ab apostolis nondum sacerdotibus collata fuerit; et quidem ad sanitatem corporis, non vero animae III, 388.

Unctio extrema. Quidditas III, 387. — Cur sic vocetur (*ibid.*). — Quando nam instituta (*ibid.*). — Est verum sacram. 388. — Ejus effectus 390 seqq. — Materia et forma 394 seqq. — Minister 401 seqq. — Subjectum 404 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.

Unilateralis contractus II, 180.

Unitas matrimonii IV, 75 seq.

Universitates appellantes ad futur. conc. IV, 498 seq. — Universitatum acatholic. frequentatio I, 436. — Quo sensu et sub quibus conditionibus toleratur frequentatio Universitatum *Oxoniensis* et *Cantabrigiensis* 437 seq.

Usucapio. Vid. *Praescriptio.*

Usura II, 225 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.

Usurpantes jurisdict. vel bona Ecclesiae. Quoad censuras IV, 444 seq. et 473.

Usurpatio. Quoad *nomen* Dei, Sanctorum et verba S. Script. I, 377 seq. — Quoad ordines IV, 361.

Usus. Quid II, 10. — Jura usuarii (*ibid.*). — An usus separari possit a domino in rebus *unico actu consumptibilibus* 11 seq. — Ex hac controversia nihil potest confici contra infall. R. Pont. 12.

Usus-fructus. Quid II, 10. — Quomodo constituatur 12. — Jura et obligat. usufructuarii 13. — Quibus modis finiatur 14.

Utilitas indulgentiarum IV, 251.

Utilitas publica. Quoad servilia in die festo I, 427. — Quoad dominium *altum* II, 8.

Uxor. Quoad eleemosyn. I, 321. — Quoad votorum irritat. 409. — Quoad ejus obligat. 438 et 441. — Quoad jejun. 515. — Quoad dominium II, 28 seqq. — Quoad furta 80. — Quoad restit. 147. — Quoad contract. 187. — Quid si consenserit, ut maritus SS. Ord. susciperet 304 et IV, 90.

Uxorati. Quoad irregul. IV, 355.

V.

Vacantia bona II, 47 seq.

Vagi. Quoad leges I, 133 seq. — Quoad comm. pasch. 529. — Quoad bapt. II, 461. — Quoad banna IV, 35. — Quoad matrim. 184. — Quoad censuras 386.

Valor sacrificii III, 108.

Vana gloria. Filia superbiae I, 220.

Vana observantia. Quid, quotuplex, quale peccatum I, 361 seqq.

Vana SS. Nominis Dei usurpatio I, 377.

Variatio. Quoad formas sacramentorum II, 384 seq. — Quoad formam baptismi 457. — Quoad missam III, 172 seq.

Vasa sacra. Calix, patena, pyxis, parva custodia, ostensorium, lunula III, 161 seqq.

Vaticinium. Species divinationis I, 358.

Vectigalia II, 173 vid. *Tributum.*

Velum. Quoad miss. III, 159.

Venatio. Ut est modus acquirendi

dominium II, 43 seq. — An licita diebus festis I, 426. — An clericis prohibita II, 43 et 306.

Vendere aliquid temporale spirituali annexum an semper sit *simonia* I, 375.

Venditio-Emptio II, 235 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. II.

Venditio sub hasta II, 244 seq.

Venditores. Quoad libros obscenos et prohibitos IV, 524 seq.

Veneficium I, 449.

Veneratio. Quoad sanctos, imag., reliq. I, 343 seqq.

Veniale peccatum. Quidditas I, 187. — Ejus constitutiva 194 seq. — Quotupliciter distinguatur 195 seq. — Ex quibus causis mortale possit fieri veniale et vicissim 196 seq. — In quo conveniant et disconveniant veniale et mortale 198. — Ejus effectus 201 seq. — An non habens nisi venialia teneatur ad annuam confession. 519 seq. — Quotuplici ratione venialia remittantur II, 437 et III, 90, 190 et 390. — An venialia impediant effectum Euch. III, 92. — An peccet venialiter qui Euch. sumit cum peccato veniali 92 seq. — An recte exponantur in conf. venialia 204. — An veniale possit esse obex ad lucrandam indulg. plenariam IV, 263. — Confessio venialium quoad indulg. et jubil. 277 et 333 seq.

Verba obscoena. Vid. *Turpiloquium.*

Verba. Consecrationis explicantur III, 38. — Item absolutionis 214 seq.

Verberare causa disciplinae an possit superior religiosus II, 336. — An incurrat excomm. IV, 450 seq.

Verificatio precum IV, 219 seq.

Veritas in juramento I, 390 seq.

Versiones S. Scripturae quoad prohibitionem IV, 511 seq.

Vestis. An liceat uti vestibus infidelium I, 290. — Vestis seu habitus quoad clericos II, 280; quoad religios. 339 seq. — Vestes sacrae ad Euch. distribuendam III, 45 seqq. — Ad missam celebrandam 162 seqq.

Vestitus contractus II, 180.

Veteramentarii. Ut recept. II, 125.

Viae crucis indulgentia IV, 289 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.

Viaticum. Quoad nomen III, 9. — Quoad administrationem 47 seq. — Quoad necessit. illud suscipiendi 59 seqq. — An, qui post viaticum peccet mortaliter, teneatur, stante eodem morbo, denuo communicare 61. — An debeat dari pueris, amentibus, perfecte ebriis, damnatis ultimo supplicio 62 seqq. — An liceat infirmis non jejunis saepius communicare per modum viatici 77 seq. — An liceat sacerdoti non jejuno celebrare ad dandum viaticum 78. — Cfr. *Ind. Syn.* t. III. — An possint regulares administrare viaticum II, 348; — III, 44 et IV, 468 seq.

Viator. Cur solus de lege ordinaria, sit capax sacramentorum II, 416.

Viatores. Quoad auditionem miss. I, 424. — Quoad abstinentiam a carn. 502. — Quoad jejun. eccles. 515.

Vicarius. *Capitularis* II, 315; — III, 120. — IV, 254 et 395. — *Generalis* III, 445. — *Foràneus* seu *Decanus* 446.

Vice-pastores II, 319.
Viduae paupertas ut causa disp. IV, 208.
Vigilia. Quoad comm. et confess. in ordine ad indulg. IV, 272 et 277. — Item 333.
Vinum. Ut materia Euch. conficiendae III, 26 seq.
Violaceus color quoad signific. III, 167.
Violantes. Privilegium fori II, 319 et IV, 439 seq. — Immunitatem asyli eccles. IV, 457 seq. — Clausuram II, 341 et IV, 458-460. — Libertatem matrim. IV, 484. — Libertatem ingred. relig. 485.
Violentas manus injicientes in clericos vel monachos II, 319 et IV, 450 seqq.
Violentia I, 29 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Violentum. Quomodo differat a voluntario I, 10.
Virga divinatoria I, 361 seq.
Virginitas. Ut virtus I, 468: — quomodo amittitur 469; — amissa an possit restitui per poenitentiam III, 193. — An matrimonium virginitati sit praeferendum IV, 56 seq.
Virgo. An possit permittere, se occidi ne violetur I, 450 seq.
Virtuails. Contractus II, 180. — Intentio I, 11 et II, 397.
Virtus. Quid, quotuplex, etc. etc. I, 269 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Vis. Quoad actum human. I, 29 seqq. — Quoad contract. II, 192 seq. — Quoad sponsal. IV, 7 seq. — Quoad matrim. 161 seq.
Visio beatifica. An sit actus humanus I, 2.
Visitatio dioecesis per episc. II, 312. — Visitatio SS. Liminum 313.
Visitatio ecclesiarum tempore jubilaei IV, 335 seq
Visitatio infirmorum III, 409 seqq. Cfr. *Ind. Syn.* tom. III.
Vita communis. Quoad statum religios. II, 326.
Vita periclitantes. Quoad confess. III, 264.
Vitandi IV, 400 seq.
Vitium solitarium. Vide *Mollities*.
Vivi capaces indulgentiarum IV, 259 seq. — Conditiones ut eas sibi lucrentur 260.
Vocatio. Ad statum II, 265 seq. — Ad religion. 330. — Ad ordin. III, 463 seq.
Volitum. Quomodo differat a voluntario I, 10.
Voluntarium. Quidditas, principia, divisio. I, 8-16. — Quae causae tollant, minuant vel augeant voluntarium 28 seqq.
Voluntarium indirectum. Quandonam imputetur ad culpam I, 16 seq. — Quandonam contrahatur malitia effectus in causa dumtaxat voluntarii 19.
Voluntas. Quomodo concurrat ad act. hum. I, 4 seq. — Ejus dominium in alias potentias imminutum per pec. orig. (*ibid.*). — An possit pati violentiam 30. — Quid requiratur ex parte voluntatis ad actus bonitatem vel malitiam moralem contrahendam 52. — Quomodo debeat conformari voluntati divinae, ut bona sit 64.
Voluptas. An malus sit actus positus voluptatis causa 1, 62; — III, 81 seq. — IV, 60. — An opus sit se inebriare *voluptatis* causa, ut detur peccatum ebrietatis I, 232 seq.

Vomitus in administ. viatici III, 49.
Votum. Quidditas, divisio, obligatio, interpretatio, irritatio, dispensatio, reservatio, commutatio, etc. etc. I, 399 seqq. — Cfr. *Ind. Syn.* tom. I.
Votum. Ut imped. *impediens* matr. IV, 112 seqq. — Ut imped. *dirimens* 135 seq.
Votum heroicum IV, 269. Cfr. *Ind. Syn.* tom. IV.
Vota simplicia an sufficiant ad essent. status relig., et in quo *solemnia* differant a simplicibus II, 328.
Vulgari lingua missa non est celebranda III, 178.

W.

Wicleffistae. Circa libertatem I, 22. — Circa dominium II, 22.

X.

Xenodochium. Quoad expositionem prolium II, 167.

Z.

Zelator in ord. relig. II, 336.

MONITUM.

Praesens opus typis erat absolutum, dum apparuit « **Summarium** *indulgentiarum omnibus Christifidelibus pro devotione SS. Rosarii concessarum*, » quas, 29 Aug. 1899, « *uti authenticas recognovit* » S. CONGREGATIO INDULGENTIIS ET SS. RELIQUIIS PRAEPOSITA. — In hoc autem **Summario** non reperitur indulgentia supra (pag. 308) memorata, qua, juxta praecedentia SUMMARIA (31 Jul. 1679 et 18 Sept. 1862) confratres lucrabantur « *semel in die* » indulgentiam 100 ANNORUM ac TOTIDEM QUADR., « *si contriti secum detulerint Rosarium in obsequium B. V.* »

250.8
H 152
V.4 Hainz A. J. J. F.
AUTHOR
Theologiae moralis elementa ex S.
TITLE
Thoma aliisque probatis Docroribus
DATE DUE | BORROWER'S NAME
26454

250.8
H 152
v. IV
26454

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
1962
Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library